MERCEDARIOS

Regula et constitutiones Fratrum Sacri Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum. -- Salmanticae : Cornelius Bonardus excudebat, 1588

[8], 222 [i.e. 224], 137 [i.e. 135], [4] p., @4, A-Z4, 2A4, A-D4, a-q4, r6 ; 4°


Port. con orla tip. y anagr. calc. de la Orden de la Merced. -- Colofón. -- Apostillas marginales. -- Errores de pág., p. 71-72 repetidas en el cuaderno de 222 p. y de p. 133 pasa a 136 en el cuaderno de 137 p.

1. Mercedarios-Reglas, constituciones, etc. 2. Mesedetakoak-Erregelak, konstituzioak, etab. I. Título

R-6370 An. ms. en port. -- Enc. piel gofrada con hierros dorados

REGVLAE ET CONSTITVTIONES

FRATRVM SACRI ORDINIS BEATÆ MARIÆ DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORVM.



Cornelius Bonardus excudebat Salmanticæ

M. D. LXXXVIII.

FRATER FRANCISCVS A SALAZAR CÆSARaugustanus, totius Ordinis Redemptorũ Beatæ Mariæ de Mercede, humilis Magister Generalis, ac seruus: Omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus, et professoribus salutem, et obedientia spiritũ precatur.

POstquàm, dilectissimi Patres, Ordini & familiæ Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede Generalis Magister fui præfectus, decreui solicitudinẽ mei officij, meq; ipsum in salutem omniũm vestrorũ, quibus præsideo, referre & ordinare. Quocirca maiorũ nostrorũ leges, sanctiones, & instituta, quæ ab antiquo seruata fuêre, ea etiã decreta, quæ hisce diebus nouè extant, debitè colligere statui: Sicq; regularẽ disciplinã propagare, & mores omniũ cõseruorũ meorũ, ad regulæ quã profitemur, & constitutionũ principiũ, ac obseruationẽ deducere. Idcircò Constitutiones Ordinis prælo mãdare curaui: ea tamẽ forma, vt ab omnibus præ manibus haberentur: Vt illis quidem perlectis, atq; excogitatis, vitia & errata fratres omnes propulsarent, vt vel sic antiquus nostri Ordinis decor, splendor, & mageſtas, omnibus palàm ostenderetur. Cùm igitur hæc animo conceperim, dilectissimi Fratres, idq; munus, quod aggressus sum, iudicetur, & vtile valdè esse & perneceſſarium fore. Id sanè restat, vt o-

peribus exequamur, quod votis & desiderijs ardẽter concupiuimus. Sic enim procerum, & priscorum patrũ mores, & vestigia sequemur, & Ordo noster splendore & decore fulgẽtissimè coruscabit. Sicq; fiet, vt reuertamur in viam patrum nostrorũ. Quapropter, vt obseruationis cultus, reformationisq; candor, ad cõmune religionis bonũ ordinatũ sincerè obseruetur: tãdẽ animo decreui, vt D. Augustini Regula primùm interpretaretur, deindè etiam, vt difficiliora, quæ in duarum constitutionũ distinctionibus continentur, explicarentur, & aperirentur. In quo etiam opere noua omnia decreta, quæ à Summis Pontificibus Pio PP. V. Gregorio XIII. & Sixto. V. nobis data sunt, cum singulis eorum ordinationibus fideliter eisdem constitutionibus inserũtur. Statui rursus, vt pariter reponeretur accurata quædam nostræ professionis explicatio: & quantæ perfectionis sit finis in quem noster Ordo est destinatus: quantumq; vinculum nobis accedat ex emissione quarti voti essentialis pro redemptione captiuorũ, & quo pacto tuta cõscientia nemo nostri instituti professor possit etiã ad ordinẽ mendicantiũ trãsire, vt ex certa scientia decernitur à Martino. V. & Calixto. III. summis Pontiff. Postremoverò loco, instructionẽ quandam Officiorũ nostri Ordinis vobis, fratres charissimi, offero: Vitasq; Patrũ & Magistrorum Generaliũ, aliorumq; virorum illustrium qui nos antecesserunt. Faxit Deus, vt hæc omnia iugi meditatione contemplemini, vt spretis mundi blandimentis Deo placeamus, & mundo simus exemplo in ædificationem sacrosanctæ matris Ecclesiæ.

INDEX

INDEX EORVM quæ in Regula & Constitutionibus continentur

De initio ac fundatione ordinis nostri Fol. 1.

De antiquitate fundationis, si cõparetur ad ordines Mendicantium fol. 12.

Quòd Ordo noster simul ortus sit cum Ordinibus Prædicatorũ, & D. Francisci. 13. 14.

Quòd Ordo B. Mariæ de Mercede immediatè sit subiectus Romanæ Ecclesiæ, & à iurisdictione Ordinariorũ liberatus 16

Quòd nullus Ordo censetur esse probatus, aut Canonicus, nisi à Summo Pontifice approbetur, & quòd Ordo Monachorum D. Augustini, et Carmelitarum, posteriùs habuerit confirmationẽ, quàm Religio D. Mariæ de Mercede 16. 17. 18.

De regimine nostri Ordinis. fol. 20. 21.

REGVLA D. Augustini, per octo capita diuisa. à fol. 23. vsq; ad 52.

Scholia eiusdem Regulæ D. Augustini ad singula capita, et principales sententias ipsius. à fol. 24. vsq; ad 52.

Index Constitutionum.

Proœmium Constitutionũ. 53

Scholia eiusdem Proœmij valdè necessaria. à fol. 54. vsq; ad 60

Primæ Distinct. Index.

Caput Primum. de officio Ecclesiæ, cum scholijs 60

Cap. ij. de inclinationibus 63

Cap. iij. de suffragijs mortuorum, cum scholijs 65

Cap. iiij. de horis fratrum laicorum. 67

Cap. v. de oratione mẽtali. 68

Cap. vj. de disciplinis recipiendis post Completorium 69

Cap. vij de cibo 70
Cap. viij. de ieiunijs: cum scholijs 71.72
Cap. jx. de collatione. cum scholijs 71.
Cap. x. de vestitu: cum scholijs fol 72
Cap. xj. de lectis 72
Cap. xij de rasura 73
Cap. xiij. de infirmis 73
Cap. xiiij. de minutione 74
Cap. xv. de silentio. cum scholijs 75
Cap. xvj. de leui culpa. cum scholijs 76.77.78
Cap. xvij. de graui culpa. cũ scholijs 79.80
Cap. xviij. de grauiori culpa. cũ scholijs. 81.82.83.84.85
Cap. xjx. de grauissima culpa. cum breui scholio 85
Cap. xx. de proprietarijs. 86
Cap. xxj. de Apostatis. cum scholijs. à fol. 87. vsq; ad 91.
Cap. xxij. de absolutione Apostatæ, vel excommunicati. fol. 91.
Cap. xxiij. de recipiẽdis ad Ordinem. cum scholijs & animadversionibus 92.96.
Cap. xxiiij de instructione nouitiorum. cum schol. 97
Cap. xxv. de Professione 100
Scholia ad cap. xxv. de Professione 106
De obedientia quam profitemur. 107
De paupertate scholium 109
De voto castitatis. pulchrum scholium 110
Quòd solus Ordo B. Mariæ de Mercede profitetur B. Virgini 113
De obedientia Fratrum vsq; ad mortem 115
Quòd Fratres B. Mariæ, in Sarracenorum potestate, si necesse fuerit manere debeant 117
Quòd Ordo noster, in fauorẽ fidei, specialiter fundatus sit, plerisque in locis differitur, præsertim in fundatione Ordinis 117. & 118
Quòd Fratres Ordinis Redẽptorum B. Mariæ de Mercede non possint ad ordinem Mendicantiũ transire 119

Quòd

Quòd Ordo B. Mariæ de Mercede rigorẽ habet in regula & in constitution. 120.121
Decretum Martini V. & Calixti III. quòd Ordo noster meritò potest iudicari arctior Ordinibus Mendicantium 121
Bulla Calixti, et Decretũ ex certa sciẽtia, quòd nemo ex fratribus nostris potest trãsferri ad ordines Mendicantium. 122
Explicatio & interpretatio eiusdem Decreti 125.126
Cap. xxvj. de tradẽdo habitũ manentibus in sæculo, et recipiendo ad beneficia Ordinis. 127
Cap. xxvij. de confessionibus & confessoribus. 128
Cap. xxviij. de redẽptione captiuorũ cũ scholijs. 129.130
Cap. xxjx. de his qui eleemosynas redemptionis procurant cum scholijs. 132
Cap. xxx. de redemptorib. 133
Cap. xxxj. de modificatione pœnarum. 135

Index secundæ distinctionis.

Cap. j. de possessionibus habendis & de domibus acceptandis de nouo. 136
C. ij. de capitulo generali. 137
Cap. iij. de electoribus magistri generalis. 140
Cap. iiij. de electione magistri generalis. 142
Cap. v. de officio magistri generalis. 146
Cap. vi. de capitulo prouinciali. 149
Cap. vij. de electione prouincialis. 151
Cap. viij. de prima die capituli prouincialis, & de electione diffinitorũ eiusdem capituli. 155
Cap. jx. de secunda die capituli prouincialis. 156.
Cap. x. de tertia die capituli prouincialis. 157
C. xi. de quarta die & de absolutione cap. prouincialis. 159
Cap. xij. de officio prouincialis. 160
Cap. xiij. de statu omniũ prouintia-

uinciarũ, & quibuſdam aliis totum Ordinem concernentibus 162
Cap. xiiij. de Vicario Magiſtri, & eius poteſtate 166
Cap. xv. de aſſignatione Commendatorum 167
Cap. xvj. de electione Prioris Barchinonenſis 169
Cap. xvij. de capitulo quotidiano 170
Cap. xviij. de Viſitatore. 172
Cap. xjx. de appellationibus fruſtratorijs 176
Cap. xx. de literis deprecatorijs non impetrandis 177
Cap. xxj. de non recipiẽdis fratribus alienæ profeſſionis, ſine debita licentia & conſilio. fol. 177
Cap. xxij. de dignitatibus ſine licentia nõ recipiendis 178
Cap. xxiij. de fratribus iteragentibus 179
Cap. xxiiij. de bonis temporalibus 182
Capit. xxv. de Magiſtris & Præſentatis 183
Cap. xxvj. de forma graduandi Magiſtrum in Theologia fol. 184
Cap. xxvij. de ordine ſedendi. fol. 188
Cap. xxviij. de confeſſoribus, & confeſſionibus 189
Cap. xxjx. de ſepultura fratrum. fol. 190

DE INITIO AC FVNdatione ſacri ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum.

Vigilantiſſimo Paſtori Fratri Franciſco à Salazar, Magiſtro generali ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede, ſacræ Theologiæ Magiſtro, ſuus F. Franciſcus çumel Prouincialis Caſtellæ, Hæc dicit et conſecrat.

DEus Pater miſericordiarum,& totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, miſit filiũ ſuum dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum ſub lege factum, natũm ex muliere (vt ait Apoſt.) vt eos qui ſub lege erant redimeret, & pariter eos qui captiui in ſinu Abrahæ detinebantur liberaret,& ad cæleſtia regna reuocaret. Cùm igitur diuina dilectio & ineſtimabilis charitas erga homines ſemper impulerit Deum ipſum, vt iuſtorum clamorem & ſanctorum ſuſpiria libenter exaudiret:nolẽs hominum ſcelera & crimina ſeuerè ſemper punire: miſericordia excitatus Prophetas miſit Hieremiam, Iſaiam, validè clamantes, vt à via mala ſeſe homines auerterent, & vitia deteſtarentur. Quia

diſsimulat peccata hominum propter pœnitentiam (vt canit Eccleſia) Inter tot igitur Hiſpaniæ clades, quibus à Barbaris infœliciſsimè fuit impetita, potiſsimùm à Mauris & Sarracenis fuit debellata, & per tot ſæcula impio dominio ab inimicis fidei poſſeſſa, & hæc cauſa fuit cur Chriſtiani Hiſpaniæ degentes vndique ſepti, & à Barbaris & à Mauris oppreſsi, miſerè vitam tranſegerint, quibuſdam eorum trucidatis, quibuſdam verò captiuitate detentis, & vinculis crudeliter ligatis. Hac igitur ætate, cùm vndique pericula, & corporis, & animę creſcebant, diuino Deus excitatus amoris ardore, vt populum fidelem à ſubiectione infidelium liberaret, miſit potentiſsimum & Chriſtianiſsimum Iacobum Aragonum Regem mirabiliter natum, quem Barbarorum debellatorem vnicè eſſe voluit. Qui non ſolum Sarracenorum perfidiam impugnaret, ſed miſeros Chriſtianos captiuitate ab eis detentos è manibus eorum liberaret: imò verò ex fœliciſsima Hiſpaniæ prouincia, quam poſsidebant propulſaret. Vnde anno 1203. natus in vigilia Purificationis B. Mariæ Virginis poſt dimidiam noctem, à parentibus in templo eſt præſentatus, & diuina prouidentia, nomen Iacobi donatum eſt illi, quaſi à Diua Virgine id nomen ei indicatum. Vnde Iacobus Debellator in annalium hiſtorijs nuncupatur. Sicut ergo ſanctiſsimus Iacobus Chriſti Apoſtolus totius Hiſpanię ſingularis patronus exiſtit, ſic inclytus hic Iacobus Rex protector fidei, & contra impios Sarracenos Chriſtianę religionis propugnator extitit. Qui cum plæraque regna è manibus Maurorum eriperet, in eiſdem locis ſuo iuſſu, & regali mandato, duo milia Baſilicarum conſtruxit, vt ibi vexillum Crucis leuaretur, vbi ab impijs Barbaris fuerat ſine honore calcatum. Tot igitur templa conſtruxit zelo religionis ardens, vt nullus hactenus Regum eum in ea re ſuperauerit. Pulcher erat aſpectu & velut alter Saul ſibi ſubditos omnes corpore ſuperabat, patiens in laboribus, indefeſſus victor & triumphator, & Sarracenorum inſignis perſecutor: ſemper è bello victor egrediens, & Maurorum acies profligans. Hic in infantia poſitus, à Pędagogo ſuo Comite Simone de Monfort detętus fuit, & veluti captiuus

ab eo

ab eo patrem ſuum D. Petrum regem Aragonum, & Cataloniæ Comitem, adire & inuiſere non permittebatur.

Cùm ergò Chriſtianiſsimus Rex Iacobus à nutritio ſuo Comite de Monfort fuerit oppreſſus, & quaſi abſque libertate factus, ſatis nouit deinceps quanti libertas ſit æſtimanda, quamq; acceptum & inclytum opus ſit miſeros captiuos ab immaniſſimis tyrannis liberare, quantumque meritum in eo opere exiſtat apud Deum & homines. Optimè rurſus inuictiſsimus Iacobus cognoſcebat, in quantis verſentur anguſtijs captiui Chriſtiani, & quantis periculis infeſtentur corporis & animæ propter inſigne fidei periculum, quo iugiter cõcitantur. Fuit ergò ſanctiſsimus Rex Iacobus velut alter Iudas, Nehemiæ. 4. qui prima manu muros Hieruſalem conſtruebat, altera verò enſem tenens & haſtã vigilanter attendebat contra fidei hoſtes. Quocirca anno Domini. 1218. regnante Iacobo Aragonum Rege anno quinto regni ſui, dum oraret in ſecretiori loco, et ardentiſſimo affectu à Deo peteret Chriſtianorum libertatem, et ab Hiſpaniæ finibus Maurorum expulſionem, qui Chriſti fideles iniuſtè oppreſſos miſerè detinebant, circunfulſit eum ſplendor quaſi Solis in medio die, ſubitoque in ſplendore matrem ſacratiſsimam Dei vidit, à qua meruit audire, quanti æſtimabatur apud Deum Religionis zelus, qui in eo ſplendebat, non ſolum Sarracenos et infideles debellando, verum captiuos Chriſtianos crudeliter à Mauris deuinctos liberando, et quòd idcircò inſtituendus erat Ordo qui in redimendis captiuis ſemper eſſet intentus, cuius Religionis atque Ordinis Patronus & Protector, non ſolum ipſe Rex Iacobus, verum etiam inclyti eius ſucceſſores eſſe deberent: eiuſque Religionis titulus Deiparæ Virginis eſſet, et ordo Diuæ Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum nuncuparetur. Hæc ſane inuictiſsimus Rex Iacobus dum audiebat magno lætitiæ perfundebatur gaudio, ſuſpirijs lacrymas effundebat, alacriori corde intus delectabatur à Deo. Vnde aſſenſit et annuit animo, inſignique humilitatis vultu promiſit, ſe fundatorem Religionis fore ad miſeros captiuos redimendos et liberandos. Nehemiæ. 4.

Sunt qui falso in chronicis suis dicant, Iacobum regem, religionis nostræ promisisse se fundatorem & Patronum fore, cùm deprehensus à Comite Simone de Monforti iniuste detinebatur, vt Deus eundem libertate donaret. Cęterum plerisq; transactis diebus eo iá regnante, sępius proprio protulit ore testimonium reuelationis diuinæ, de fundatione Ordinis B. Mariæ, ad redimendos Christianos captiuos se accepisse. Cum ergo opus nouæ religionis ædificandæ admirabile, & incredibile esset, in prouincia Cataloniæ dum promulgaretur, auide & ardenter est exceptum. Præsidebat in Ecclesia dei tempore quo hæc gesta sunt Honorius tertius eximius Pontifex anno. 6. Pontificatus sui. Et quidem eodem die quo primũ nostrę religionis initium, diuina reuelatione & consilio cœpit, nempe prima die Augusti Anno à natiuitate Christi. 1218. eadem reuelatio facta est sancto Petro Nolasco primo huius sanctę religionis Generali magistro. Nam cum ille in discursu vitæ suæ, tempus consumpsisset in misericordiæ operibus explendis: potissime in eruendis captiuis Christianis à Barbarorum acerba seruitute: à Deo ipso cùm ardentissimè oraret exauditus est, & diuina prouidentia factum extitit, vt misericordiæ habenas deus ipse pariter laxaret & ostenderet. Quare subitò, cœli splendore circunfusus atque septus, sacratissima Virgo deipara illi apparuit, monuitq;, vt in liberationem Christianorum, omnia bona sua prorsus erogaret, vt ab immanitate Barbarorum & Maurorum eruerentur, quod opus filio suo Seruatori nostro, charissimum & gratissimum, insignis incredibilisq; meriti esse fore iudicauit, & affirmauit. Et in hac re Christi sane consilium impletur, cum ipse viuens in terris dixerit, Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me. Profectò pauperiores sunt captiui Christiani, & miserabiliores cæteris pauperibus. Qui ergo donat bona sua captiuis, benè sequitur Christum humani generis redemptorem, qui à Babylonica Dæmonũ seruitute nos liberauit. Accepit & audiuit rursus, Virginis Deiparæ, diuinum oraculum, sanctissimus vir Petrus Nolasco, quòd ordo nouus stabiliendus esset, ex cuius

Math. 19.

societate

ſocietate & familia profeſsi fratres, in fide Chriſti, in charitate & dilectione Dei, & in ſpe æternæ ſalutis: exemplo filij ſui ipſiuſque Chriſti Ieſu veſtigijs inhærerent, qui ſicut humanum genus ſacratiſsimo ſuo ſanguine à diaboli poteſtate redemit, & liberauit, & à ſinu Abrahæ iuſtorum & Patriarcharum animas ibi detentas ſecum aſportauit. Sic pariter religioſi fratres noui ordinis inſtituendi, fideles Chriſti captiuos qui in poteſtate Maurorum & Turcarum detinebantur redimerent, & liberarent. Sic adeo vt ſi ad præclariſsimum redemptionis opus explendum oporteret, ſeipſos in pignus donarent, pro chriſtianorum captiuorum libertate. Non longo tempore, antequam hæc geſta & facta fuiſſent: tranſtulerat ſe D. Petrus Nolaſco, à villula ſuæ habitationis domicilio, in ciuitatem Barchinonæ, cuius eſt municeps factus, vt liberius vacaret miſericordiæ operibus: & captiuorum redemptioni, cui peculiariter addictus erat, & feruentiſsime intẽtus. Cumque audiuiſſet in ſplendore illo reuelationis cęleſtis, diuinum oraculum de religione inſtituenda pro Captiuorum redemptione, pronus cecidit in terram, admiratus viſionem nouam & mirabilem; & cum tantiſper ſiluiſſet, ad ſe rediens cum clamore valido ſic faſſus eſt. Quiſnam eſt qui adhortatur me, & fideles omnes ad opus hoc diuinum Deoq; gratiſsimum? aut quis mihi narranti fidẽ præſtabit? Vrebatur zelo chriſtianæ religionis, et diuini honoris ardebat deſiderio, & ob id incredibile ſibi videbatur quod audiebat. Tanto erat amore charitatis flagrans, vt præ amoris magnitudine iam rem eſſe factam, & noui ordinis inſtitutionem amaret. Quapropter à ſanctiſsima Virgine reſponſum accepit: Ego ſum, ait, Deipara Virgo & Redemptoris Chriſti Ieſu mater, robuſtus eſto et fortis, nec vlla ratione dubites hanc eſſe diuinam reuelationem, diuina prouidentia et voluntate factam, vt ſub meo nomine talis inſtituatur ordo, qui fideles Chriſtianos à poteſtate Sarracenorum et infidelium eruat et liberet. Hæc igitur viſio, diuinaque reuelatio, quæ eadem nocte ſereniſſimo Regi Aragonum Iacobo, Barchinonæ facta fuit, et D. Petro Nolaſco, pariter etiam facta eſt, fratri Raymundi de Pena-

Raymundus colitur vt sanctus & extant hodierna die plærąq; illius miracula, & ad eũ confluit turba populi insignis in regno Cataloniæ & Aragonum.

fortí regio confessario et capellano sanctissimi Papę Honorij. III. cui diuina voluntas patefacta est, vt in regno sereníssimi Regis Iacobi verus ordo institueretur in honorẽ et gloriã virginis beatissimę qui diceretur ordo Beatæ Mariæ de Mercede redẽptionis captiuorũ. Igitur vir sanctissimus Petrus Nolasco, primus ordinis nostri magister, vita prę clarus et insignis, cum iudicaret, quanto excellentius conseruarentur diuitiæ pauperibus erogatę quam inter domesticos parietes, vbi à furunculis et latronibus deprædãtur, thesauri eius pauperes captiui ab eo iudicabantur. Quocirca nihil aliud agebat quã christianorũ libertati incũbere. Videtur sanè mihi vir iste sanctissimus velut alter Thobias, qui strenue noctu diuq; in humãdis & sepeliendis mortuis prorsus versabat & ob id in sacris literis à Spiritu sancto satis commendatur. Sic excellẽtissimus vir & pijssimus Petrus Nolasco noctu diuque in captiuorum redẽptione & liberatione cõtinuo solicitabatur, & in ea re fiebat in opere charitatis eximio, velut alter Thobias in suo. Et id circo eadẽ nocte diuinitus reuelationẽ accepit de institutione nouæ religionis. Magni nominis erat & eximiæ authoritatis in ciuitate Barchinonæ pijssimus vir Petrus Nolasco, qui cũ animo suo sæpius euolueret mirabilem Dei omnipotentis reuelationem, apud se decreuit quæ vidit & audiuit fratri Raymundo de Penafort, confessario etiam suo pariterque regio denunciare, palamque illi facere. Quocirca assiduis lacrymis, & suspirijs orans cum insomnem duxisset noctem, primo surrexit diluculo, tum vt in Ecclesia Deo gratias ageret, quod eum tanto affecerit beneficio, vt in sanctissimo redemptionis exercitio confirmaret, tum etiam vt confessario suo Raymundo narraret visionem, & reuelationem diuino consilio & prouidentia factam. Eundemq; inuenit Raymundũ in Ecclesia orantẽ, & cum ei Deiparæ Virginis visionem Deique simul reuelationem enarrare cæpisset, vt ab eo acciperet consilium: quid in ea re esset agendum, vt diuina ordinatio executioni mandaretur: lætabundus, hilaritate animi perfusus frater Raymundus, verbis suis festinanter occurrens, eandem

sibi

ſibi reuelationem factã fuiſſe protulit. Vnde ſimul ambo inſi gni charitatis affectu lacrymis et ſuſpirijs ingétes Deo gratias egerunt. Sicque ſpiritu Dei acti ambo currunt ad ſereniſsimũ Regem Iacobum, vt quæ ſibi reuelata fuerant denuntiarent, et dum hæc narrare Regi cæpiſſent, incredibile eſt quantis cor Regis motibus agitabatur, nam eo audito idem ſibi gueniſſe dicit. Perpendens ergo omnia quę contigerant, qualiterque fratri Raymundo confeſſario ſuo: et Piiſsimo atque ſanctiſsimo viro Petro Nolaſco, eadé prorſus diuina reuelatio facta fuiſſet, et qualiter tribus teſtibus fideliſsimis eius veritas populo eſſet promulganda flexis genibus Deo & ſanctiſsimæ Virgini matri eius gratias primum egit. Et cum deprecaretur à cõfeſſario ſuo et à viro ſanctiſsimo Petro Nolaſco maximo affectu, vt huic inſtituto et vere regio operi auxilium impenderet magnificentiſsimum: vt nouus ordo ad pręclariſsimum et diuinũ redemptionis opus inſtitueretur, lętus et gaudẽs inuictiſsimus Rex Iacobus iterũ et ſępius genua flectens ſummo plaſmatori gratias agebat et virgini ſanctiſsimęque Deiparę, quę illi apparuerat: Gaudebat rurſus et lętabatur Rex Iacobus de homine iuſto Petro Nolaſco, ſibi diuinitus dato, qui ędificare ordinem redemptionis eſſet idoneus in regno ſuo vt perpetuo ſanctiſſimum inſtitutum pro redimendis Chriſtianis captiuis perduraret. Quocirca Chriſtianiſsimus et inclytus rex Iacobus, vt opere expleret Dei voluntatem, et reuelationem, quippe, qui nouerat quantum vtilitatis fidelibus accreſceret, ex inſtitutione noui ordinis, propoſuerat quę ad Dei laudem, & Genitricis ſanctiſsimę honorem et in vtilitatẽ quoq; orthodoxę fidei nouã et ſanctiſsimam fundare religionem: quę non ſolum ab Agarenorũ manibus miſeros liberaret chriſticolas, ibi detentos, verũ ad officium ſpecialiter diuinũ deputaretur, vt pariter Dei laudibus, orationibus et contẽplationi incumberet. Quo decreto et deliberatione habitis, Rex ſanctiſsimus Barchinonenſem Epiſcopũ Dominũ Berengariũ Palauſinum accerſiri iubet, cui debito ordine omnia quę nocte externa reuelata & viſa fuere ſibi et Cõfeſſario ſuo Raymundo de Penaforti, et ſanctiſsimo

Petro

Petro Nolasco ex ordine narrauit: qualiterq; testimonio à tribus testibus fidelissimis probato, id esset peragendũ: & quod hæc erat Dei & eius genitricis volũtas, vt ad redimendos christianos captiuos nouus ordo institueretur. Vocauit pariter inclytus rex, definitores et consiliarios ciuitatis Barchinonę et alios quoq; egregios viros, et consilio habito, sanctè decretum est, vt insigne reuelationis miraculum, in regno Cathaloniæ, et in ditione regia specialiter promulgaretur: Ita quidé vt quarto idus Augusti, nempe in die sancti Laurentij publice fundaretur ordo redemptionis sanctæ Mariæ de mercede. Vnde in prędicto die sanctissimi Martyris Laurentij, die decima à reuelatione facta, inclytus rex Iacobus cum Episcopo, definitoribus et consiliarijs eiusdem ciuitatis Barchinonæ, et pariter cum prædicto Raymundo de Penaforti, et viro sanctissimo Petro Nolasco, ingentique alia multitudine comitum, vicecomitum, baronum, nobiliũ, innumeraque alia gentium multitudine totius regni, quę illuc aduentauerat, vt rem cerneret mirabilem, et inauditam, et fere cum omni populo, in Cathedralem Ecclesiam maioré sanctę Crucis conuenere. Factaque prius solenni processione et litania, religiosissimus vir F. Raymundus de Penaforti publica concione ab eo facta recẽsuit, et narrauit, quę Deus dignatus fuerat ostendere, et reuelare, et quod illuc omnes conuenerant, vt nouus institueretur ordo, à sereniſsimo Rege Iacobo, ad redimendum Christianos captiuos, à potestate et seruitute infidelium. Multaque de sanctissimo instituto et decõmendatione præclari operis populo proposuit. Quæ omnia cum populus audiret, lætabundus et exultans, magna cũ acclamatione gestiebat, & quasi tripudians animorum hilaritatem ostendebat, de præclarissimo redemptionis opere, et instituto. Quapropter cum episcopus solemnem et Pontificalem missam ageret, post offertorium ante altare, prẽsentibus ibidem inuictissimo rege Iacobo et F. Raymundo de Penaforti confessario eius: coram omni populo prædictus Barchinonensis Episcopus solennia agens, primum noui ordinis habitum dedit Petro Nolasco, videlicet tunicam, Scapularium cũ

Quo die fũ data fuerit Religio.

capa

capa & caputio omnino albis, in honoré & gloriam virginitatis Mariæ. Deditque insuper inclytus rex Iacobus regium signum, eius nempe scutum cum barris rubeis croceique coloris cum cruce insuper alba in honorem Ecclesiæ sanctæ Crucis, vbi primitus ordo fuit institutus, & hæc pectori impositi, vt ab ipso & successoribus fratribus semper deferretur.

Hæc sunt fratres arma regia quæ pectori imposuit rex Aragonum Iacobus nostri ordinis patronus, & insignis fundator, qui pariter concessit armorum insignia, quæ ille gestabat propria, debere & posse à fratribus redemptionis B. Mariæ de Mercede portari, vt constat ex regio priuilegio in Archiuis Barchinonensibus contento. Deditque deinceps ordini nostro honorifica, & pene infinita priuilegia, manu propria subscripta, dum esset apud Cęsaraugustam anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo; à fundatione vero ordinis trigesimo tertio. Et cum hæc gesta fuerint, mirabile est Volaterranum, Cassaneum & plerosque alios historiographos iuniores dixisse, quod à principio fundationis nostræ deferebatur à fratribus religiosis luctuosa Crux atra & nigra, hancque donatam fuisse à rege Iacobo cum barris rubeis croceique coloris, quasi in luctuosum signum propter miseros captiuos durissima seruitute à Mauris & infidelibis detentos. Veritas est quod nunquam à fratribus ordinis nostri nigra & atra Crux in signum regium fuit recepta. Nam licet merito ad ostensionem mœroris & tristitiæ gestari possit luctuosa Crux, cæterum vt retulimus candida & alba semper fuit crux pectori impressa, & ordini nostro illiusque fratribus à rege Iacobo donata. Vnde sæculis retroactis, ab initio ordinis nascentis portabatur Crux alba à fratribus nostris, quod vel ex eo patet, quod in priuilegio regis Iacobi sæpius refertur crux alba, in ea quidem forma atque figura in qua modo cernitur in scuto ordinis, & in regno Cathaloniæ et Aragonum, cunctis enim introeuntibus ciuitatem Cesaraugustam ex australi parte continuo in ædibus regni superposita splendet crux, quæ in cathedrali Ecclesia Barchinonensi pariter ostenditur vbi primitus ordo fuit institu-

Volaterranus lib. 21. Cassaneus par. 9.

tus. Decorauit rursus multis & redditibus, & insignibus, nouũ ordinẽ & apud Barchinonenses in ciuitate Barchinonæ: & pariter in regno Valentiæ & Aragonum præclarissimus rex Iacobus Maurorum insignis debellator. In vetustis quibusdam codicibus reperi, serenissimũ Regem Iacobum dedisse fratri Petro Nolasco, primũ nostri ordinis habitum coram omni populo, & quod idcirco frater Petrus Nolasco, habitauit plerisq; annis in aula regia, pariter cum eodem Rege Iacobo, fuisseq; subinde fratrem Petrum Nolasco primum Magistrum generalem equitum: & quod idcirco fuit laicus magister generalis eques, à quo deinceps equites inclyti, cõmendatores & magistri generales processerunt, vt infra paucis dicemus. Etquidem cum hæc vere ita facta & gesta fuerint: tamen ob id dicitur, Iacobum regem dedisse primum habitum nostræ religionis. Quia pariter Rex ipse veluti patronus specialis præsens astitit in traditione primi habitus, & propria manu habitum ordinis, videlicet tunicam, scapulariũ, cum capa, & caputio obtulit episcopo Barchinonẽsi, vt eo indueretur prædictus frater Petrus Nolasco primꝰ frater & primꝰ ordinis magister generalis. De quo rursus in eisdẽ vetustis codicibus legi, Deũ illi reuelasse, vt ipse primus esset, nostri instituti frater, qui primo nostri ordinis habitum susciperet, sicut defacto suscepit, ob Dei diuinam reuelationem, quam misericorditer acceperat.

Hoc ergo iam ordinis nostri principio firmiter stabilito, ille sanctissimus vir primus ordinis magister, frater Petrus Nolasco plerisq; probatis & integris viris, habitũ religionis imposuit, & inter eos præcipuos sibi socios vocauit fratrẽ Guillelmũ Basensem, & fratrẽ Bernardum Corbarensem, quos pios redẽptionis amatores nouerat, & sanctissimi instituti solicitos executores. Qui sane non solũ orationi & contẽplationi erant intenti, verũ redemptioni captiuorũ feruentissimè incũbebãt. Hic sanctissimus Petrus Nolasco zelo religionis exarsus totũ se Deo tradidit & pernoctabat in oratione Dei. Hic, zelo religionis permotus Christũ ardenter diligebat, eiusq; fideles Christicolas à potestate barbarorũ liberare curabat. Hic, populo ac

cla-

clamante merito fidei propugnator iudicabatur. Hic, testificante etiam omni populo mirabilia gessit opera, quę omnium animos Barchinonæ ad diuini instituti professionem inuitabant. Hic, non solum castigans corpus suum in seruitutem redigebat, verum & animum Deo tradens, à Deo dilectus sæpius periculis expositus in defensionem fidei pro redimendis captiuis, militabat. Hic, ob vitæ sanctitatem & animi candorem inter ethnicos & Barbaros tantæ fuit autoritatis, vt plerosque eorum ad Christi fidem pertraxerit. Nam in redimendis Christianis captiuis, adeò suauiter & grate cum Mauris conuersabatur vt apud illos fuerit in admiratione. Hic, cum pijs socijs diuinitus datis diuersa in regno Aragonú monasteria erexit & primo fundauit. Cumq; nouus ordo magis ac magis augeretur, & cresceret, & diuinum Redemptionis opus fidelium mentibus infigeretur, incredibile est, quanti fuerit ordo habitus, non solum apud regem Iacobum, verum apud inclytos & plebeios totius regni viros. Idque animaduertens rex Iacobus, misit fratrem Raymundum confessarium suum sanctissimo Pontifici Gregorio Nono, apud Perusium ipsius Pontificis ciuitatem tunc agentem, vt fidelissimo testimonio accepto, dignaretur nouum & sanctissimum ordinem redemptorum D. Mariæ de Mercede reuelatione diuina institutum approbare & confirmare. Igitur insignis vir frater Raymundus de Penaforti anno Domini 1229. à fundatione ordinis vndecimo, prima die mensis Decembris, sanctissimum accersiuit Gregorium, & regium testimonium deprompsit, totiusq; regni acclamationé pro confirmatione noui ordinis declarauit, & quantis religiosis & debitis operibus, nouus ordo Deo inseruiret exposuit. Et quod diuina reuelatio eum instituerat sub titulo redemptionis captiuorum Beatę Mariæ de Mercede. Quę omnia cum intus secum Pontifex Gregorius euolueret, rectè perpendens, diuinam hanc fuisse ordinationem, & grauitatem rei, ordinisq; grauissimum initium, & optimum finem in quem destinabatur, læto & hilarescente animo annuit, vt confirmata & approbata censeretur religio nouiter fundata in ecclesia Dei. Idque concesit, vt sub regula B. Aug. fratres euis

Ordo noster in fauorem fidei fundatus est ne contemneretur fides apud infideles, dū cernerent christianos à sua religione apostatare, fidēq; deserere, et obid illi primò sunt redimendi à Mauris, in quibus magis periclitatur fides.

Confirmatio ordinis nostri facta à Gregorio IX.

militarent & penè infinitis gratijs & indulgẽtijs & priuilegijs insigniuit: Anno Pontificatus sui octauo die sanctissimi Antonij Abbatis, vbi iam agebatur millesimus ducẽtesimus tricesimus annº à natiuitate Christi, & à reuelatione facta annº duodecimus in mẽse sexto, decima sexta die mẽsis Ianuarij anni nouiter currentis. Idque constat verissimum & firmissimum esse nõ solum ex priuilegio regis Iacobi Cęsaraugustæ concesso, & manu regia subscripto, vt in archiuis Barchinonensis cænobij habetur, & publicis instrumentis autoritate iudicum roboratis apud nos defertur. Verum ex confirmatione ordinis à sanctissimo Gregorio IX. concessa & facta.

Non possum non mirari diuinum consilium, & quantis nos Deus prosequatur beneficijs. Nam eodem fere tempore tres sunt ortæ & confirmatæ religiones: nempe Prædicatorum, & Minorum ordo, sub beatis Dominico & Francisco, & pariter religio redemptorum D. Mariæ de Mercede sub sanctissimo & sereniſsimo rege Iacobo Maurorum & Barbarorum inuictissimo debellatore. Nam cùm Prædicatorum ordo quantum ad sui exordium cæpisset sub B. Dominico in partibus Tolosanis, Anno Domini millesimo ducentesimo tertio, breuissimo tẽpore deinceps transacto fuit cõfirmatus ab Honorio III. anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto, vndecimo Kalendas Ianuarij Pontificatus sui anno primo. Ordo autem fratrum minorum cæpit sub B. Francisco in partibus Tusciæ anno Domini millesimo ducentesimo septimo. Cæterum fuit cõfirmatus postea ab Honorio III. anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, anno octauo Pontificatus sui. Ordo tamen redemptorum D. Mariæ de Mercede quantum ad sui exordium cæpit sub sereniſsimo rege Iacobo Aragonũ, anno Domini millesimo ducentesimo decimo octauo, Præsidente in Ecclesia Dei Honorio. III. Pontificatus sui anno. 6. fuit tamẽ cõfirmatus à Gregorio. IX. illius successore anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo in die sancti Antonij Abbatis mensis Ianuarij illius anni nouiter currentis: à reuelatione vero & fundatione ordinis anno 12. mense .6.

Tres

Tres ſimul religiones ortæ ſunt,& à ſanctis Pontificibus & Patribus approbatæ: & iure credimus id fuiſſe diuinum conſilium. Nam cum tot iacturis Hiſpania eſſet oppreſſa,& à Mauris & Turcis crudeliter occupata,vbi crucis vexillum veluti inglorium à fidei inimicis tractabatur, ſurrexit Prædicatorum ordo vt fides Chriſti illuſtraretur, & vera ſalutis ſemita edoceretur ne ex ignorantia miſere prolaberentur homines. Cum vero mundus plurimum inhiabat diuitijs,& animo excandeſcebat quaſi furore ſuperbiæ correptus, ortus eſt Seraphici Franciſci humillimus ordo, vt ſuperbiam deprimeret,& diuitiarum deſideria temperaret, & vt exemplum eſſet humilitatis & patientiæ. Verum cum inimici Chriſti gloriabantur, & Maurorum, atque Turcarum impetus Hiſpaniæ vigebat,ortus eſt ordo Redemptorum B.Mariæ de Mercede,ſub inclyto patrono, & inuictiſsimo Rege Aragonum Iacobo Maurorum, & Turcarum vnico debellatore. Et ortus eſt ſane primò,vt Chriſtianos captiuos erudiret & ſolidaret in fide,ne deficerent: & vt eos etiam cum periculo vitæ,à Turcis & Mauris datis,& vita & pecunijs liberarent. Hic ergo ſanctiſsimus Redemptorum ordo,non ſolum doctrinæ,orationi, & contemplationi addictus, & conſecratus eſt, verum eximio,& excellentiſsimo operi redemptionis captiuorum,in quo duci noſtro,& Chriſto Ieſu ſaluatori aſſimilatur:qui doctrina,opere,& ſermone, etiam vſq; ad vitæ,& ſanguinis diſpendium,homines miſere captiuos,redemit. Et in ea re ordo hic vtranq; eſt vitam amplexus;contemplatiuã videlicet,& actiuam. Sane vt operi redemptionis iugiter incumbat, in quo apud perfidos Paganos,& infideles etiam Hebræos cõuerſari debet,neceſſe eſt, vt literis ſacris,& ſupercœleſti doctrina,ſit inſtitutus:vt eiſdem perfidis Sarracenis & Hebræis vehementer & inſtanter quærentibus, paratus ſit reddere rationem, de ea quæ in ipſis eſt fide. Chriſtianos etiam captiuos apud eos luctuoſe afflictos ob Chriſti fidem quam profitentur, ne in ea deficiant, viriliter animando. Vt autem actiuæ vitæ brachium ſimul ſuſcipiat, captiuorum redemptioni, & eximio atque excellentiſsimo charitatis & miſericordiæ operi, pariter conſe-

cratur, vt vel sic Marthæ,& Mariæ assimiletur, actiuam & contemplatiuam prosequens vitam. Addictus nanque est Prædicatorum ordo contemplationi: Minorum vero humilitatis & paupertatis exemplo. Cæterum hic Redemptorum D. Mariæ de Mercede ordo, contemplationi & actioni simul. Illa prior sancti Dominici religio Mariæ assimilatur, Minorum autem, Marthæ similima est; hic tamen sanctissimus redẽptorum ordo diuinaq; religio, Marthę & Mariæ per omnia similis esse perhibetur. Quis non videt quantis agitentur fidei periculis captiui Christiani, dum inter fidei inimicos versantur ab eis concitati? Necesse igitur fuit expergefieri, & inuigilare: & sanctis sermonibus & veris argumentis palam facere, in quantis versentur Sarraceni erroribus, & quantis delitescant tenebris Hebræi, ne fides in captiuis fidelib⁹ periclitetur. Et idcirco fratres redẽptores huius sancti instituti, diuinis literis instructos & imbutos esse oportet, sanctimonia, misericordia, & patientia armatos, vt captiuorũ misereantur. Vnde merito Marthæ & Mariæ simillimus dicitur ordo, vtranq; vitam cõplectens. Habet rursus institutũ hoc diuæ Mariæ, quid in professione specialius, quod cum professores aliorum ordinum obedientiam, paupertatem & castitatem promittunt obseruare Deo: hic tamen ordo redemptorum, non tantum promittit obedientiam, paupertatem, & castitatem obseruare Deo & Beatæ Mariæ: verum in Sarracenorũ, & infideliũ potestate esse, ad redemptionẽ Christifidelium, suos obligat professores. Promittunt enim si necesse fuerit ad redemptionem Christianorum in pignus detineri, ne Christi fides periclitetur in ipsis, præsertim in pueris & infantibus. Propter quam causam sanctè perpendens hæc omnia Calistus III. Pontifex eximius, asseuerauit, quòd ratione quarti voti emissi pro redimendis captiuis, quo se pignus esse ad salutem proximorum, fratres huius instituti promittunt, merito potest ordo iste alijs ordinibus celsior, & perfectior iudicari. Cuius instituti fratres propriam voluntatem abnegantes, semetipsos pro redemptione captiuorum, qui in potestate infideliũ durę seruituti subijciuntur, Altissimo deuouerũt: pro

Quid Calixtus sensserit & decreuerit circa ordinem Redẽptorum D. Mariæ.

fiten-

fitentes ſe paratos etiam pro vnius redemptione captiui, non modo ſeipſos captiuitati Paganorũ in excambium tradere, ſed etiam ſi opus foret mortem, & tormenta tolerare. Et Martinus V. diplomate ſuo declarauit ordinem redemptorum D. Mariæ de Mercede arctiorem eſſe alijs ordinibus, & conſequenter aliarum religionum profeſſores poſſe ad ordinem D. Mariæ de Mercede conuolare petita licentia à Prælatis ſuis, etiam nõ obtenta. Hic etiam plæriſq; poſitis cenſuris præcepit & mandauit, ne Antiſtites & prælati quicunq; impedirent eleemoſynas captiuorum & petitiones earum. Et Alexãder fratribus redemptoribus terram Sarracenorum introeũtibus cõmiſit, vt tanquam legati à latere poſſent captiuos Chriſtianos abſoluere, & eorum vota cõmutare, non ſecus atque ſi perſona eiuſdem Pontificis præſens adeſſet. Abſoluendo eos à quibuſcunque criminibus quouis modo ſedi Apoſtolicæ reſeruatis.

Sic habetur in c. licet. de regularibus & trãſeũtibus ad religionem ex Innocentio III.

Quocirca ab huiuſmodi ſancti voti iugo nemo fratrum ordinis noſtri ſe ſubtrahere valet, nec ad mendicantium aut aliorum ordinum monaſteria euolare. Nam vt inquit Calixtus Papa, ex acceſsione emiſsionis poſterioris voti, videlicet pro redẽptione prædicta, ad tria per reliquos religionum quarumlibet emitti conſueta ſubſtantialia vota, tranſmarinis peregrinationibus in acceſsione ad eoſdem infideles, & periculoſa cum Paganis conuerſatione, reliquiſq; diſcriminibus in redimendis captiuis omiſsis, tale quidem vinculum fratribus ordinis Beatæ Mariæ de Mercede videtur acceſsiſſe: vt ordo hic videatur, non modo in regula par alijs ordinibus antedictis, ſed eis longè arctior, & non immerito. Vnde decernit Pontifex Calixtus, omnes & ſingulos, qui in præfato ordine ſolenne votum profeſsionis expreſſe emiſerint, ita ipſi ordini perpetuis eorum vitæ temporibus fore efficaciter obligatos, vt abſque ſedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia, eis ad alios quoſcunque regulares, etiam monachos tranſeundi authoritas, vel poteſtas minime ſit conceſſa. Et ob id ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum Generalis

Hoc, Calixti decretũ eſt, & ordinatio ex certa ſcientia, & non eſt priuilegium aut indultum.

ralis magiſter, repetere poteſt quemlibet fratrum, ſi ad alium ordinem quauis ratione euolauerit, eo excepto, qui ad ordinem Carthuſienſium acceſſerit. Et id deinceps Martinus V. diplomate ſuo confirmauit, & ſub præcepto obedientiæ ab eiſdem pontificibus præcipitur, vt profeſsi fratres in ordine redemptorum, nulla ratione commorentur aut permaneant in alia religione, ſed ſine repetitione aliqua ad priorē ordinem D. Mariæ ſub virtute ſanctæ obedientiæ redire tenentur. Et idcirco in conſcientia ſecuri non manent.

Ex certa ſcientia de creto ſuo Calixtus III. declarauit ordinē noſtrū eſſe arctiorem.

Dum inualeſceret ordo redemptorum B. Mariæ, pleriſq; fratribus ſanctiſsimè degentibus, & in captiuorum redemptione aſsidue laborantibus, in principio huius religionis naſcentis, ne litibus, & contentionibus in ſæculari foro ordo ipſiuſque fratres perturbarentur: Nicolaus Papa. V. ordinem ipſum, magiſtrumque generalem, ſinguloſque fratres, & antiſtites eius, ab omni iuriſdictione, obedientia, ſubiectione, & ſuperioritate, tā præſentium, quam futurorum ordinariorum, epiſcoporum, & archiepiſcoporum, liberàuit & exemit. Nec ſolū perſonas, ſed etiam bona quæcunque mobilia, ſeu immobilia, perpetuo eſſe libera ab ordinariorum iuriſdictione ſanciuit: & Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubiecta eſſe voluit. Non obſtantibus conſtitutionibus fœlicis recordationis Clementis P P. V. ſui prædeceſſoris. Quæ omnia Rex Aragonum Alphonſus primus ab eodem Pontifice Nicolao impetrauit.

Quo pacto Nicolaus. V. ordinem Redemptorū, B. Mariæ immediate ſubiecit Romanæ Eccleſiæ, & à iuriſdictione ordinariorum liberauit.

Poſtquam ſimul, hi tres commemorati ordines ſunt inſtituti, nempe Prædicatorū, Minorum, & Redemptorum B. Mariæ: ſucceſsit Eremitarum Auguſtiniana religio eo nomine vocata. Nō dico eam ſuccēſsiſſe, quia poſterius fuerit inſtituta, quoniam quantum ad ſui exordium cæpit ſæculis retroactis, & ab antiquioribus duxit originem, & ob id ordo Eremitarum vocatur. Quia certum eſt, pleroſque fuiſſe Eeremitas, in campis degentes, qui dum ſolitariè viuerent, à prudentiſsimo & ſanctiſſimo Auguſtino, viro & ſanctitate, & doctrina clariſsimo, ſuæ vitæ inſtitutionem & conſilium acceperunt: & id certum eſſe conſtat, quia ex eremitica vita ad clericatum aſcendebant, &

ob id

ob id Sacerdotes Canonici ex Eremitis instituebantur. Quòfit Eremitas istos nunquam religionem effeciſſe, qualem nunc cernimus eam esse, quæ in cænobijs & domibus Augustinianis, hodie seruatur. Alias quò fieri posset, vt ex Eremitis & religiosis fierent clerici, & sacerdotes Canonici? ita vt ex monastica vita ad clericalem transilirent? Imo vero legimus sanctissimum Augustinum antiquos visitasse Eremitas montis Pisani apud Italos. Et cum hospes apud eos fere per annum fuisset, & perpẽderet eorum religiosum viuendi modum, videns illos tantisper deficere, vt perfectam vitam agerent, eos instruxit, & in chartis, dedit quo pacto perfectiorem vitã deinceps instituere possent. Hæc docent Volaterranus in sua Antropologia, & Antoninus Florent. Profecto ad montem Pisanum se contulerat Augustinus mortua matre Monica, vt liberius vacaret orationi, & scripturarum intelligentiæ, & vt de morte matris consolaretur. Et idcirco dum tantisper leuaretur eius animus, Romam redijt, & apud se statuit viros quosdam Eremitas religiose & solitarie in agris degentes (qui magni æstimabantur Romæ) pariter visitare: vt solitarie aliquanto tempore agens, liberius cum Deo conuersaretur, & vt abipso instructus, calamum permoueret, quodque cum ipsis Eremitis aliquandiu ageret, quos prius in eo statu inuenerat, suis monitis & consilijs perficere curauit. Et idcirco Ioannes Andreas in rubrica de religiosis domibus asseuerat, & cum eo Volaterranus, ordinẽ Eremitarum D. August. fuisse ex plerisque viris, diuerso modo religiose agentibus, & eremitice viuentibus institutum ab antiquo. Et ob id dixi, quod quantum ad sui exordium anterioribus sæculis retroactis cæpit, & id docuit Naucle. Verum cũ nullus sit ordo in numero religionum computandus, donec ab Apostolica sede confirmetur, idcirco Innocentius Quartus Anno Domini milleſimo ducẽteſimo quadrageſimo, Pontificatus sui primo, congregauit fratres Eremitas, solitariè in eremis & solitudinibus viuentes. Quibus ex iustis & rationabilibus causis præcepit, vt sub vno pastore & generali magistro vitam instituerẽt, mortuo tamen Innocentio IIII. confirmauit

Pisani.

Volaterranus lib. 21. c. 14. Antoni. p. 3. titul. 24.

Ioan. Andreas. c. religio. in. 6.

Naucle.

religionẽ Alexãder IIII. eius ſucceſſor, & dedit fratribus Eremitis regulam D. P. Auguſt. obſeruandam, quibus pariter præcepit, vt eodem nomine ſanctiſsimi epiſcopi & doctoris Aug. deinceps nominarentur: cũ & Auguſt. ipſe pleriſq; in locis eremiticam obſeruantiam & religioſam ille duxerit. Aſsignauitq; eis habitũ quo induerentur. Et Romanæ Eccleſiæ horariũ & officiũ præſcripſit, vt canonicis horis intenderent in communi.

Platina Onufrius.

Tandem ordo religioſorum Carmelitarum, licet quantũ ad ſui exordium cæperit ante annũ 1205. cæterum Platina & Onufrius Panuinus referunt, ordinem fratrũ montis Carmeli ab Honorio IIII. fuiſſe approbatũ. Et huius ſententiæ eſt Antonius Florent. Verũ Honorius IIII. cæpit Eccleſiã Dei gubernare anno Dñi 1286. àquo habitũ quẽ modo ab eis geſtare cernimus acceperunt, cũ capa candida. Quibus præcepit, vt relicto priori habitu, quo minus religioſe incedebant, nouũ ſuſciperent, & vt eorũ titulus eſſet fratrũ ſanctę Mariç mõtis Carmeli, depoſito titu'o Heliæ prophetæ, quo antea nuncupabantur. Vnde anno Dñi 1287. emortuo Honorio IIII. & ſede vacãte, fratres huius ordinis in capitulo generali congregati apud Montem Peſſulanum, depoſitis priſtinis indumentis nouo habitu ſunt induti, quo modò vtuntur.

Quod nulla eſt religio canonica, aut regularis donec approbetur à ſummo Pontifice.

Hæc omnia à me dicta fuere, tũ vt omnibus explicarẽ, quo pacto eodẽ fere tempore, tres hi ordines, Prædicatorũ, Minorũ, & Redẽptorum D. Mariæ, orti atq; nati fuerint: tũ etiam, vt explicarẽ, quod licèt plæreq; religiones quantũ ad ſui exordium cęperint ex parte, tẽporibus retro actis. Cęterũ à tẽpore quo cę perũt eſſe probatę religiones à ſede Apoſtolica, ſunt cõputandæ. Quia vt ſanctè decretũ eſt à ſummis Pontificibus & à iure, nulla cenſetur eſſe religio & regula viuendi in Eccleſia Chriſti, niſi à ſummo Pontifice ſit approbata.

Profecto ſtatim à diuina reuelatione ordinis noſtri, Catholicus rex Iacobus debellator Turcarũ, regiam aulã ſeu domum, ſuæ habitationis domiciliũ, Petro Nolaſco primo noſtri ordinis magiſtro donauit Barchinonæ, & id vſq; in hodiernũ diẽ, ad nos defertur: extant enim ruinę in aula regia Barchinonæ, &

ibi vnus

ibi vnus vel duo aut plures fratres cõmorantur, quorũ alter vicarius aulæ regiæ appellatur, & in eadẽ ciuitate Barchinonensi, primum noſtri ordinis cœnobium eſt erectum. Et in regijs Iacobi priuilegijs & cartis, fratres ordinis noſtri, ſpeciali amoris nomine, ab eo nuncupantur: cum ait, *Mis frayles hagan eſto.* Nam ipſe fundator & patronus ordinis, extitit eximius. Accedit etiam, quòd in regno Aragonũ apud Cæſarauguſtam, ordo noſter, honoratiori ſedet loco, & antefertur reliquis ordinibus. Stat enim ſemper, in antiquiori & ſublimiori loco. Quapropter Catholicus rex Iacobus, ab ipſo primo die fundationis ordinis noſtri, fratrẽ Petrũ Nolaſco ſecum duxit, vt inhabitaret aulã regiam, donauitq; illi, ſacellũ regale, ſeu capellam regiam, vt in ea diuinũ officiũ, & canonicę horę perſoluerẽtur, quę res vſq; in hodiernũ diem perſeuerat. Nã hæreticę prauitatis inquiſitores, tribunal habẽt erectũ Barchinonæ, in eadẽ domo regia. Et vnus frater ex ordine noſtro appellatur Vicarius regalis palatij; qui rem ſacrã ſeu miſſam quotidie celebrat, veluti inquiſitorũ capellanus. Extat præterea cœnobiũ aliud inſigne, vbi fratrum & religioſorum copia, Altiſsimo famulatum exhibet Barchinonæ, quod primũ fuit ordinis monaſteriũ. Et qui in eo ſuperior, & prælatus eligitur, Prior eiuſdẽ domus nuncupatur. Et quoniam monaſteriũ hoc, primũ fuit, in inſtitutione ordinis, idcirco caput cenſetur totius religionis. Quoniã de iure cõſtitutionũ noſtrarũ; Prior illius conuẽtus ſanctę Marię de Mercede, redemptionis captiuorũ, ciuitatis Barchinonenſis, vocem habet in capitulo generali, & magiſtratu vacante, Prior ipſe, cenſetur vicarius generalis totius ordinis, ad quem ſpectat regimen religioſorũ, ſub certis clauſulis, & ſtatutis, conſtitutionum noſtrarum. Et ad eundem pertinet punire, & viſitare, & pariter magiſtratu vacante, electores capituli generalis in deputatum locum conuocare, ad noui magiſtri electionem faciendam, & in eodem generali capitulo præſidere.

Sanè ſanctiſsimus Petrus Nolaſco, primus ordinis magiſter, cum creuiſſet religioſorum, & ſociorum eius numerus, in nouo ordine ſic inſtituto, voluit à concurſu populi, & negotijs ſe

cularibus, quæ in palatio regio, ad eum occurrebant, ſegregare ſeipſum, & idcirco poſtquam per quatuordecim annos, cum rege & in domo regia habitauit: Anno Domini ducenteſimo triceſimo ſecundo, à fundatione vero ordinis, decimo quarto, ſecundo autem à confirmatione Pontificis, Raymũdus quidã ciuis Barchinonæ pijſsimus, & religione inſignis, emit agrũ, iuxta littora maris Barchinonenſis, & eum religioni donauit. Quo loco prędictum primum cænobium ordinis fuit erectũ, & in ipſum ſeſe recepit prædictus Petrus Nolaſco, cum ſocijs ſuis, vt monaſticam & religioſam quietius ageret vitam.

Quod & quale fuerit regimen in exordio religionis noſtræ, opportunè hoc loco aperietur. Nam id prudenter ſancitum eſt, vt in toto ordine, non ſolum eſſent fratres diuino cultui cõſecrati, verum etiam eſſent equites religioſi, ad quos ſpectaret, eleemoſynas à pijs fidelibus colligere: vt Chriſtiani captiui, à poteſtate Maurorũ liberarẽtur. Idque inclytis fratribus equitibus noſtri ordinis, demandabatur, ne religioſi fratres à diuino cultu auocarentur: & vt Martha & Maria, actio, & contemplatio, perpetuò eſſent ſorores. Itaque naſcẽte ordine noſtro, duo pariter fratrum & religioſorum genera extiterunt. Quidam fratres clerici, & ſacerdotes nuncupabantur, choro & diuino cultui mancipati. Quidam vero fratres, equites ſæculares nominabantur, vt redemptionis officium debitè perſoluerent. Vnde ex traditione maiorum legimus, ordinem noſtrum militarem eſſe: atque adeò, ſicut in alijs militaribus ordinibus, duo extant religioſorum genera: alterum quidem equitum ſæcularium: alterum vero ſacerdotum. Sic ſane primitus in ordine fuit. Et quamuis hi ſecernebantur in executione officij, non tamen in profeſsione religionis. Vnde in eadẽ domo, intra eiuſdẽ monaſterij ſepta omnes pariter religioſè degebãt.

Verum ſanctiſsimo Petro Nolaſco vita iã functo, qui totius ordinis fuit vnicus, & inſignis magiſter generalis, duo deinceps non longo tempore tranſacto, fuerunt ſimul magiſtri ordinis. Alter quidem erat prior generalis, & ſuperior in toto ordine, circa ſpiritualia, & is eo tempore ſemper fuit Prior Barchino-

chinonenſis cænobij. Alter vero nuncupabatur titulo magiſtri generalis, & hic ſæcularis eques erat, ſuperior tamen, in his quę ad redẽptionem, & bona omnia tẽporalia, & eleemoſynas cãptiuorũ chriſtianorũ pertinebãt, quo nouo regiminis modo, pleriſq; tẽporibus ordo regebatur. Sic adeo vtin capituli generalis cõgregationibus, duo definitores religioſi ſacerdotes eligerẽtur, alij vero duo, equites ſæculares. Priores quidẽ definiebãt, quęcunq; ad debitũ cultũ, & ſpiritualẽ religionis debitã gubernationẽ, ſpectabãt. Alij vero duo poſteriores decernebant, quæcunq; ad bona fortunæ, & ad captiuorum redemptionem, attinebant. Et in electione eorum voces eligendi habebant, non ſolum totius ordinis Commendatores, & Antiſtites, verum procuratores conuentuum, & religioſi omnes eius loci, inquo ſpecialiter peragebatur electio, magiſtri aut prioris generalis. Ita ſanè, vt in electione equitis magiſtri generalis, præſideret generalis prior totius ordinis. Nullus tamen eligi poterat in magiſtrum, niſi eſſet de numero equitum ſæculariũ, & vice verſa, in electione Prioris generalis, præſidebat magiſter generalis: nec poterat quiſquam alius eſſe electus, niſi ille eſſet de numero ſacerdotum, & eorum qui erant choro & diuinis officijs conſecrati. Et eo regimine ordo noſter pleriſque temporibus regebatur, nempè ab anno Domini 1218. primo vero fundationis ordinis, vſque ad annum 1317. Vnde per. 99. annos, equites & milites ſæculares in toto ordine, Magiſtri generales eligebantur, donec in die inuentionis ſanctæ Crucis, poſt 99. annos à fundatione ordinis, mortuus eſt Valentiæ, ſeptimus & vltimus generalis magiſter eques ſæcularis, frater Arnaldus Roſiniol, & eo quidẽ prædicto tẽpore, ſingulis annis, mirabiles captiuorũ chriſtianorũ redemptiones, efficiebãtur. Mirabilis enim ſolicitudo, & amoris cura, primos illos noſtri ordinis Patres tenebat: ardebãt charitatis amore ſuccenſi, & populus inuitabatur chriſtianus, vt bona erogaret magnificẽtiſſime ad pijſsimũ miſericordiæ, & redẽptionis opus: quod quotãnis cernebant. Cæterũ reſtrixit mirũ in modum ardor ille, in hominũ animis, & tepeſcẽte populo, res ipſa longius fuit protracta, partim quia perexiguæ, & paruæ ſunt eleemoſynarũ

elargitiones. Partim verò, quia post Maurorum ab Hispanię finibus exilium, difficilius redemptionis munus expletur.

Primi illi Patres, qui principio nascentis religionis vixerũt, feruore & zelo noui ordinis instituti, fuerunt insignes. Et idcir co seipsos tradiderunt in obsequium Dei, non quærentes gloriam suam, sed gloriam Dei, & religionis incrementum, & honorem. Quocirca primus magister ordinis, Frater Petrus Nolasco, aureo illo religionis sæculo: per triginta & vnum annos, totum ordinem, magna cum tranquillitate, & pace, principiò rexit, & gubernauit. Et suo tempore, plæraque ordinis monasteria construxit. Et Catholicus rex Iacobus, prope Valentiæ ciuitatem, in oppido del Puche, ordini cõcessit & donauit arcẽ fortissimam, domumque regiam: quam eo loci construxerat, cum debellare voluit Mauros & Sarracenos, Valentiæ degentes. Domum hanc inhabitat Beatissima Virgo Maria his temporibus, & clarissimis miraculis coruscat hodierna die, De cuius miraculis, eius prouinciæ populus, plura edidit scripta tri pudians. Concessit rursus, & nostro ordini donauit, prædictus Catholicus rex Patronus, & huius instituti insignis fundator, Mahumeticam ędiculã, quę communi vocabulo dicitur, mezquita, vt Valentiæ, cœnobium non infimæ notæ, erigeretur, in honorem Beatæ Virginis Marię, & duorũ Martyrum Cosmę & Damiani. Deinceps verò, tempore procedente, mortuus est Barchinonæ, prædictus frater Petrus Nolasco: primus ordinis magister, Anno videlicet 1249. Et profecto successorem habuit insignem (vt suo loco dicemus) fratrem Guillelmũ Basensem, secundum ordinis magistrum. Qui incredibili prudentia, per decem et nouem annos, totum gubernauit ordinem: nõ tantum quoad tẽporalia, verum quoad spiritualia. Nam generales Magistri adhuc eo tempore, pariter extiterunt Priores monasterij Barchinonensis, quod est caput totius ordinis, & simul etiam magistri generales. Cæterum, decedente secundo ordinis magistro, partitũ fuit religionis regimẽ vt supra retulimus. De qua re polliceor, plura me dicturum (si Deus dederit) suo loco. Fuerunt nanq; lites & contentiones in toto ordine, natæ, & ortę,

Beuther li. 2. cap. 13.

& ortæ inter equitem Magiſtrũ, & Priorem generalem totius ordinis: quæ tamen per ſedem apoſtolicam, à Clemente. V. Pontifice huius nominis, fuerunt definitæ. Verum de ſucceſſione & progreſſu ordinis, & quot in ea fuerint viri illuſtres, & ſanctiſsimi, & religione inſignes (vt ſpero) dicemus ſpeciali volumine. Vbi religionis cronicam palam aperiemus. Inſtitutum autem, huius ſanctiſsimæ religionis, tale Deo prouidente, incrementũ accepit, & quotidie accipit, vt non ſolũ in Hiſpaniæ finibus plæraque ſint cænobia & monaſteria fundata, verum & Galliæ plura alia ſint inſtituta, & Italiæ pariter non nulla ſerpunt, in regnoq; Siciliæ & inſulis Maioricarũ adiacentibus, & vſq; ad Indos & Barbaros mire proceſsit. Apud quos alia fere quinquaginta monaſteria, ſunt mirè conſtructa. Et hęc paucis dicta ſint, de primo illo ordinis exordio, & fundatione. Faxit Deus, vt ſuo tempore calamum admouentes, plura dicamus.

INCIPIT REGVLA B. AVGVSTINI EPISCOPI.

CAPVT PRIMVM.

ANTE omnia, fratres chariſsimi, diligatur Deus: deinde proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruatis præcipimus, in monaſterio conſtituti. Primùm, propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et nõ dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. Et diſtribuatur vnicuique veſtrum, à Præpoſito veſtro, victus & tegu-

& tegumentum, non æqualiter omnibus: quia non æqualiter valetis omnes, sed potius vnicuique sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat. Rursus, qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi fuerint monasterium, libenter velint illud esse cõmune. Qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen, eorum infirmitati, quod opus est tribuatur, etiam si paupertas ipsa, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Non tamen ideo putent se esse fœlices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt. Nec erigant ceruicem, quia associantur eis ad quos foris accedere non audebãt, sed sursum cor habeant, & terrena vana nõ quærant: ne incipiant monasteria diuitibus esse vtilia, non pauperibus, si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi, qui aliquid videbantur esse in seculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autẽ studeant, non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrũ societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas ipsi monasterio partiuntur, quam si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant, superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus & pauperẽ fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnẽdo, quã fuerat possidendo? Omnes ergo vnanimiter & cõcorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis.

SCHOLIÆ VTILES AD INTELLIgentiam Regulæ D. Patris nostri Augustini.

Scholiae Capitis Primi.

Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. *In his duobus præceptis, nempe dile-*

pè dilectionis Dei, & proximi, vniuersa lex naturalis pẽdet, cuius obseruatiã ante omnia proponit D. Pater Augustinus. Quoniam plenitudo legis, est dilectio charitatis ad Deum, & proximum. Mandata autem Dei, non sunt relinquenda propter mandata hominum: & ob id præponuntur diuinæ legis mandata, hominum monitis, & sanctis statutis. Sed expedit plurimum, religiosos omnes palam cognoscere, & intelligere regulam, sub qua viuunt, vt planè sciant, ad quid tenentur exprofessionis voto. Et idcirco iure à nobis proponitur breuis hæc regulæ quam profitentur interpretatio Sanè inter plures & varias regulas, sub quibus in Ecclesia Dei militant religiosi fratres, dignissima est Regula hæc à D. Augustino tradita, in qua non solùm quæ ad christianam perfectionem, sed etiam quæ ad monasticam pertinent continentur. Nam cum in exordio christianæ vitæ oriri cæperint Religiones in Ecclesia Dei, duo quidem fuerunt genera Religiosorum. Alij quidem Anachoritæ vocabantur, siue solitarij: Alij verò cænobitæ, seu in congregatione viuentes. Et quidem tempore procedente sanctissimus Benedictus, magnæ authoritatis vir in Ecclesia Dei, Regulam composuit ad exemplar vitæ cænobitarum: cæterum Beatus Augustinus suam instituit, ad exemplar Apostolicæ vitæ: quæ sanè sicut antiquior est D. Benedicto, ita eã præcellit. Regula verò ob id talis appellatur, quia in ea rectè viuendi forma Religiosis exprimitur. Vnde Regula Græcis, canon est, & græco nomine regulares, canonici dicuntur, hi videlicet, qui in cænobijs, & monasterijs constituti, iuxta regularia præcepta sanctorum Patrum canonice, & apostolicè viuunt.

Religiosi regulares alij Anachorite siue solitarij, alij vero cænobitæ.

Et hæc etiam causa esse potuit cur religiosi vocentur, nempè vel quia singulariter viuunt & perfectè: à communi hominum vita & societate seiuncti, vel vt Cicero 1. de natura Deorum dixit. Quia religiosi semper legunt, recogitantes quidquid ad cultum, & religionem Deorum spectat. Et Lactantius. 4. instit. Religiosi sic appellantur ait. Quoniam ex eorũ spontanea voluntate, nihil aut loquũtur aut amant, nisi quod Dei est: vinculis charitatis non semel ligati sed iterum religati cum Deo, ex professionis vinculo atq; voto. Quare sicut nouo & singulari nomine in primitiua ecclesia, qui Iesu religionem & doctrinam profitebantur, primum quidem in Antiochia Christiani sunt vocati, sic Ordinum professores, Religiosi, Monachi, & Fratres, sunt dicti. Et quidem merito Fratres sunt, qui habitu, & animo, moribus & vita, in omnibus debent esse pares atq; similes. Et ob eandem causam Paul. ad Rom. 12. præcepit singulis fidelibus, initio ecclesiæ nascentis, vt charitate fratrum se ipsos diligerent. Vnde salutationes fideliũ, eæ fuerũt eodẽ tẽpore, vt semper interse Fratres vocarẽtur, & nominarẽtur vbiq; Vt vel his salutationibus ostenderẽt, Christianos omnes, eo charitatis ardore se esse diligẽdos, quò mutuo fratres, se ipsos diligũt. Cũ enim Pater omnium sit Deus, restat vt omnes interse fratres sint & dicantur. Monachus etiam vocatur, omnis qui ordinem approbatum & religionem profi

Cicero 1. de natura Deorum.

Lactant. 4. inst.

Paul. Rom. 12.

D tetur, &

tetur, & ob id talis dicitur, quia ſolitarie viuit: quaſi à mundo in exilium & ſolitudinem relegatus. Forte Monachus à Monade dicitur. Quoniam peculiari ratione Deo conſecratur, & de Deo ſemper agit, relinquens ea quæ ſunt mundi. Et licet præfata nomina, ab exordio mundi non fuerint inuenta, cæterum ſpecialis modus viuendi in religione: & religio ipſa, ab ipſis mundi primordijs fuit, licet non in ea perfectione & puritate: in qua modo religionem, & profeſſores eius cernimus. Seth namq; filius Adæ ſe quaſi monachum & religionis profeſſorem exhibuit, nõ quidem quod habituvt monachus incederet, ſed quoniam primus, hymnis, canticis & orationibus, orabat Dominum, & eum inuocabat. Nam licet Abel Deum orauerit, & ipſius nomen inuocauerit, ſcriptura dicente. Verum Seth primus fuit qui religione ſacra ceremoniarum: & peculiari hymnorum & orationum cantico Deum collebat. Atque ita filij Seth, moribus recte inſtructi & inſtituti, caſte vixerunt. Et ob id quaſi per admirationem, dixit de eis ſcriptura, cum Deus voluit aquis diluuij perdere mundum,

Seth Terti' filius Adæ.

Geneſ. 6. Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores, ex omnibus quas elegerant. Nam prius in ſolitudine degebant, ab hominum cõſortio, longe vitam agentes. Tempore tamen deinceps procedente, modus iſte religioſæ vitæ incrementum ſuſcepit. Quocirca apud ſacram ſcriptu-

1. Paralip. 2. ram legimus, quod filij Ionadab ſimul in communi habitabant, ſine proprio viuentes, patris conſilium & voluntatem ſequuti. Sic tamen vt quoties ab eis Deus eſſet orandus, aut ſpeciali cultu religionis adorandus: in vnum pariter locum ad orationis & laudis conuenirent. Superiorem & præpoſitum habuerunt, virum illuſtrem & prudentiſſimum Iabes. Carnibus tandem non veſcebantur, neque vtebantur vino. Quæ omnia plane indicant, illo temporis articulo non parua fuiſſe veſtigia profeßionis, & votorum, quæ in ordine emittuntur. Samuel, & filij prophetarum, multo plenius religionis perfectionem coluerunt. Quid moror in re valde certiſſima: Quia Chriſtus & Apoſtoli in communi degebant, vno corde, vnaque voluntate, in puritate obedientiæ & caſtitatis. Ex quibus liquet, homines ab exordio mundi religionem coluiſſe: eius tamen præcipuum fundamentum, in Chriſto & diſcipulis eius conſtituendum eſſe. Liquet rurſus: quod varietas ordinum & religionum, maxime decet Eccleſiam Dei. Quippe qui in eis Deus & proximus maximo affectu diliguntur. Imo vero cum neceſſe ſit in Eccleſia diuerſa eſſe miniſteria, variaque officia, & inſtrumenta, ad multiplicia charitatis opera perficienda, & explenda: decuit valde, vt circumamicta varietate ordinum, & religionum, incederet Eccleſia: vt omni ex parte, ſpecioſa & pulchra redderetur, ex vita monaſtica: Quam Anachoritæ & Cœnobitæ ſancte ſemper coluerunt.

Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus in monaſterio conſtituti. An ſunt in præcepto omnia quæ ad regulam, & conſtitutiones pertinent?

nent? Sanè vnitas cordium, in his quæ Dei sunt, iuxta regulæ præscriptum, est in præcepto, sicut & communitas rerum: & ob id circa cordium vnitatem, magna diligentia adhibenda est. Sunt qui dicant quòd tota regula Diui Augustini est in præcepto, non quidem singulis fratribus, sed omnibus in communi viuentibus: & quòd idcirco, etsi in transgressione cuiuscunque partis non sit mortale peccatum, cæterum prælati negligentia, circa obseruantiam in communi, contra eum inducit lætale crimen. Profectò licet interpretatio hæc non nulla vera contineat, cæterum non plenè satisfacit. Quia alias posset Diui Augustini regula impleri in monasterio, si vnus obseruaret ieiunia, alter verò, sine proprio viuens, paupertatem custodiret, & alter castitatem seruaret, quod ridiculum sanè videtur. Quapropter dicendum est, quòd non singula quæ continentur in regula sunt in præcepto. (Verum namque est, prælatum teneri sub mortali vigilare, vt obseruentur constitutiones quantum fieri potest. Ne silentium pereat, ne ieiunia ordinis frangantur, ne lincis vtantur fratres, &c.) Neque rursus sunt in præcepto singula quæ in constitutionibus habentur. Nec est credibile sapientissimum Augustinum, voluisse omnia sub præcepto includere, & tantam damnationis materiam singulis regularibus ministrare. Et ob id censeo, quòd licet non intendat obligare sub præcepto in omnibus, tamen vt explicaret ardentissimum desiderium, quo tenebatur de obseruantia regulæ implenda, id expressit vocabulo illo (præcipimus) ne tepidè, regulæ professores eam obseruarent. Et cum hoc ita sit, nihilominus in regula, & constitutionibus, plura continentur præcepta: sicut & in Euangelio Lucæ septimo, sed non omnia quæ in eo sunt, & dicuntur, obligant sub præcepto. Nam Lucæ septimo dicitur: Siquis percusserit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram, & reputatur consilium. Quæ autem sint illa quæ obligant ad mortale: fusè dicemus in scholijs ad professionem, quam nostræ religionis professores emittunt. Adde etiam, quod huiusmodi verbum, præcipimus, non semper inducit imperium iuridice, sed solum in modo enuntiandi grammaticè: cuius sententiæ sunt plærique ex Theologis, inter quos est Caietanus. Vnde licet mendacia omni iure sint prohibita, tamen mendacium non cadit sub præcepto obligante ad mortale ex suo genere. Plæraque enim sunt, quæ statuuntur, decernuntur, & mandantur, tamen sine præcepti vinculo. Itaque verbum, præcipio, non vniuersaliter inducit vim præcepti, vt constat ex Euangelio, vbi legimus Dominum præcepisse eis, quos sanauerat, ne cui illud dicerent. Et tamen constat eos benè egisse promulgando Christi miracula. Rursus id constat ex Aristotele sexto Ethicor. dicente, quod præcipere significat proprium actum prudentiæ, qui vt constat, communis est bonis operibus, siue illa sint contraria venialibus, siuè mortalibus. Ex quibus colligo, quod quocumque lex Lucæ. 7.

vtatur verbo: ſi tamen communis ſenſus intellexit, non ob id in eo poſitam fuiſſe obligationem ad mortale, verè non includit præceptum ad mortale. Nec hoc indiget probatione aliqua, vt inter alios Caiet. credit, qui vt rem hanc oſtẽdat *præfata verba* Diui Auguſtini adducit (.Hæc ſunt, *quæ vt obſeruetis præcipimus in monaſterio conſtituti.*) De quibus ait conſtare nõ omnia ſubiuncta in regula eſſe ſub præcepto. Sed nihilominus, licet rationabile ſit, quod vbi in iure inuenitur, vocabulum præcepti ibi ſit obligatio ad mortale, quoniam in clementina Exiui de Paradiſo, præſupponitur præcepti vocabulum verè ſic eſſe obligatorium: Cæterum ſæpè ſæpiùs videbis multa ſub præcepto comprehendi, quæ ad venialem culpam tantum obligant. Quocirca ex præfata Diui Auguſt. ſententia, cum dicitur, Hæc ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus, Profeſſores regulæ obligantur ad obſeruantiam eius, ſed non idcircò mortaliter peccãt ex trãſgreſſione quacunq; Quia verbum, præcipimus, licet vim habeat obligatiuã, ſed non determinatè ad mortale. Et id ſemper ità intellexit communis ſenſus religionum, & ſapientum, vt deinceps nos oblata occaſione fuſius ſimus interpretaturi in conſtitutionum prohemio.

Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint omnia vobis communia. *Sanctè in cõſtitutionibus noſtris præcipitur ſine proprio viuere, & ſanctè etiã à Tridentino Concilio adumbratur, quid ſit ſine proprio viuere. Et in hoc eximio perfectionis vinculo nouitios inſtituendos eſſe, à conſtitutionibus ordinis noſtri præcipitur. Equidem antè peccatum omnia erant communia, & communem omnium rerum poſſeſſionem, ius naturale eſſe dixit* D. Iſidorus, *& in primordijs ſtatus gratiæ* Acto. 4. *omnia erant Chriſtianis communia, & omnia pariter erunt in ſtatu futuræ gloriæ. Igitur cum ſine peccato mortali, religioſi vitam tranſigere, & inſtituere debeant: idcirco nihil debent dicere proprium, ſed eis omnia eſſe communia oportet, ſicut & ante peccatũ, in ſtatu naturæ omnia erant communia. Proprietas ſanè frequenter eſt occaſio diſcordiæ, & litis.* Vndè *venerabilis* Beda *meritò dixit. Quod qui ita viuunt, vt ſint eis omnia cõmunia in domo, cœnobitæ vocantur, quorum vita tantò fœlicior eſt, quantò futurum ſtatum ampliùs imitatur, in quo erunt omnia communia.*

Concil. Tri. Seſſ. 25. de regularibus. c. 2.

D. Iſidorus. Acto. 4.

Beda.

Non æqualiter omnibus diſtribuatur, quia nõ æqualiter valetis omnes: ſed potius vnicuiq; ſicut opus fuerit, &c. Hoc *ſanè non ità intelligendum venit, vt vnicuiq; quod opus eſt, ſic diſtribuatur, vt nulla penitùs ſubſit indigentia. Nam cùm ſcriptum ſit de ſanctis Apoſtolis, quòd inter eos nullus erat egens: ſcriptum etiam legimus eſſe de eiſdem Apoſtolis, quòd ſeruiebant Deo in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate. Tanta namq; erat ſpiritalis gratiæ copia in primitiua Eccleſia, quòd nihil habere, diuitias reputabant.* Vnde *Apoſtolus dixit. Nihil habentes, & omnia poſſidentes. Sanctè ergo admonet Auguſtinus: quòd qui monaſterium fuerint ingreſſi, libenter velint eſſe commune quod habebant in ſæculo: quia & hoc fecerunt primitiuæ Eccleſiæ fratres.*

Paulus.

Dignum

Dignum namq; eis videbatur communem gratiam habentes, pariter communẽ habere substantiam. Et cùm dicitur à D. Augustino: libenter velint illud esse cõmune, id petit ex animo fieri: quia hilarem datorem diligit Deus. Vndè duo sunt propter Deum relinquenda: scilicet facultas possidendi, & voluntas habendi. Iuxta illud Christi Saluatoris nostri. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Qui enim vult venire post Christum, semetipsum abnegare debet. Nec sufficit exteriorem relinquere substantiã, nisi interiorem abscindamus concupiscentiam. Christus. Matth. 19. & Luc. 14.

Nec erigant ceruicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, &c. *Verba hæc, & quæ sequuntur vsq; ad finem capitis, humilitatis imaginem præseferunt, quam in religioso viro micare, & splendere necesse est. Ceruicem namq; erigere, signum superbiæ est. Quod si superbis angelis ceruicem erigentibus, non fuit vtile cælum: cur superbis hominibus vtile erit monasterium? Quoniam etsi sanctus sit locus, si sanctus etiam sit habitus, si sanctũ sit silentium, etsi sancta videantur opera; omnia tamen ex superbiæ vitio maculantur. Vnde Propheta aiebat: non veniat mihi pes superbiæ: Nam superbis Deus resistit, humilibus verò dat gratiam. Summopere ergò religiosi fratres socios eorum ardenter diligere debent: nec fastidio eis sint illi qui ad sanctam societatem, & communem vitam accesserunt; licet eis ditiores, aut sapientiores sint vel ex nobiliori familia geniti, aut orti. Quia sicut Paulus dicit: Infirma mundi Deus elegit, ignobilia, & contemptibilia, vt non glorietur omnis caro in cõspectu eius: & ob id non de diuitum parentum dignitate, sed de societate fratrum præcipimur gloriari: Nam ipse qui diues est in gloria sua, pauper factus est pro nobis. Siquidem non prodest nobis relinquere nostra, nisi relinquamus & nos: & idcirco Christus Dominus dixit: Beatos esse pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Profecto infelix est, qui positus in itinere virtutum, tendit ad vitia, & qui in monasterio constitutus corde elatus profundè labitur.* Psalm. 35. Paulus. Matth. 5.

CAPVT SECVNDVM.

ORationibus instate horis & temporibus constitutis. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit: vt si forte aliqui, etiam præter horas constitutas si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autẽ non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur. Carnem vestrã

domate ieiunijs & abſtinentia eſcæ & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ęgrotat. Cum accederitis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite, ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum: ſed & aures eſuriant verbum Dei. Qui infirmi ſunt ex priſtina cõſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet alijs moleſtũ eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent: quia ſumunt quod non ſumunt ipſi: ſed ſibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Etſi eis, qui venerũt ex moribus delicatioribus ad monaſterium aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorum ve datur, quod alijs fortioribus, & ideo fœlicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de ſua ſecularivita illi ad iſtam deſcenderint, quamuis vſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire non potuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos videt amplius (nõ quia honorantur ſed quia tolerantur) accipere, ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in monaſterio, vbi quantum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sane quemadmodum ęgrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur: ita & poſt ęgritudinem, ſic tractandi ſunt, vt citius recreentur: etiam ſi de humillima ſeculi paupertate venerint, tanquã hoc illis contulerit recentior egritudo: quod diuitibus anterior cõſuetudo. Sed cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad fœliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent, ne cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſsitas leuarat infirmos. Illos ſane exiſtiment ditiores, qui inſuſtinenda parcitate, fuerint fortiores. Melius eſt enim minus egere, quam plus habere.

★

SCHO-

Scholia Capitis Secvndi.

ORationibus instate horis, & temporibus constitutis. *Cum tradiderit Sanctissimus Augustinus ea quæ ad religionis statum maximè spectãt, quatenus religio est status, eorum qui in communi viuunt simul congregati, iam in hoc capite proponit mandata illa quæ ad religionem pertinent, quatenus est status pœnitentiæ, & ob id inquit, Orationibus instate. Oratio enim est qua erigitur, & eleuatur animus in Deum, & qua animi vitia impugnantur. Et ante tempus orare, est prouidentia, in tempore autem constituto, est obedientia, & præterire tempus orandi, est negligentia, & tantò crebrior oratio esse debet, quantò est vtilior: vndè ardenter, & instanter orare oportet, nam si quid petierimus patrem, in nomine Christi, dabit nobis. Quærite igitur fratres dilectissimi, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis, non enim ociosis, tepidis, & negligentibus promittitur regnum Dei. Imò verò testificante scriptura, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Amat igitur Deus instantiam, & importunitatem in precibus. Nam si ingentia sunt bona, non debent esse desideria parua: quia cum celsitudine præmiorum concordare debet desideriorum magnitudo. Nam cælites illi beati Deo assistunt, & perpetuò non tacent laudantes nomen Domini. Dauid quoque, neque diurnis, aut nocturnis perturbabatur delicijs, aut negotijs, quominùs media nocte surgeret ad confitendum Deo, & Christus Deus, & Homo, erat pernoctans in oratione Dei. Lucæ. 6. Paulus, & Silas non sic carceris angustia premebantur, vt in medio noctis silentio Deum non laudarent. Acto. 16. Quocirca infœlices sunt somnolenti, qui tantorum exemplo ad matutinum non excitantur. Prudentes virorum vxores solicitudine domus permotæ de nocte inuigilant, & surgunt, vt Prouerb. vltimo Sapiens docuit. Artifices etiam inuigilant: & sutores pariter vt lucrentur expergefiunt, scholastici, vt sapientiæ humanæ incumbant resurgunt. Cur ergo seruus Dei, & religiosi fratres in domo Domini constituti media nocte dormient? Cur non inuigilabunt? Aptius est contemplationi noctis silentium: & ob id Propheta in Psalmis dixit, In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius. Somnolentos namque frequenter tentationes carnis impugnant, & has demoliuntur honestæ vigiliæ: iuxta illud Ecclesiast. trigesimo primo. Honestatis vigilia tabefaciet carnes. Si fieri potest charissime frater semper completorio assiste, in ea namque hora de labore actiuæ vitæ transitur ad quietem contemplatiuè: & ob id in ea canitur. Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. Et in hac ora incipit silentium apud religiosos viros. Et apud D. Augustin. loquella semper debet esse in necessitate: taciturnitas verò in iucunditate. Vndè in completorio plura sunt quæ redolent diuinum amorem: nam in eo continẽtur benedictio prælati, & superioris, aspersio aquæ benedictæ, & in eo fit ad Diuã, & Sanctissimã Virginẽ peculiaris salutatio, & recomẽdatio. Quocirca in vitis*

Apocali. 4. & c. 7.
Psalm. 118.
Lucæ. 6.
Acto. 16.
Psalm.
Eccl. c. 31.

patrum legimus Monachum sanctißimum solitum fuisse videre Beatam Virginem, cùm à fratribus dicebatur: Eia ergo aduocata nostra. Meritò ergò & præclarè satis inquit D. P. Augusti. orationibus instate horis, & temporibus constitutis.

In oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod factum est: vnde & nomen accepit. Christus Dominus sumpto flagello vendentes, & ementes eiecit de templo dicens. Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eã Matth. 21: ſpeluncam latronum. Quibus verbis ostendit in dominica domo non esse quicquam aliud peragendum, quam orare, & sacrificare. Est enim templũ Dei, porta cæli, & domus dominica, in qua peccatores reconciliantur, & in qua diuina mysteria explentur, & supercælestia sacramenta ministrantur, & ob id Sapiens iure dixit alloquens Deum. Domine si conuersus fuerit populus tuus, & orauerit ad sanctuarium tuum, tu exaudies eos, & dimittes peccata illorum. Quocirca fratres in sanctuario Dei, non fabulas, non irrisiones, non comessationes, aut ebrietates, non risus, non vaniloquia, quæ diuinæ maiestatis ſplendorem offendunt pertractare debent. Huius rei exemplum singulare, quasi in magno precio reliquit nobis: vt ille exemplo esset, omnibus ordinis nostri professoribus, Sanctißimus etiam ille primus ordinis magister F. Petrus Nolasco, qui tam crebrò, & frequenter dominum orabat, vt etiam pernoctaret in oratione Dei, carens lecto, & humi iacens. Exemplo etiam nobis extiterunt in primordio religionis senes illi, & primitiui patres: quorum tempore, ordo noster plenus erat religioſißimis fratribus fuse orantibus, & lachrymantibus, humi prostratis, & quasi in oratorio semper degentibus. Sed heu refrixit mirùm in modum ardor ille in fratrum & religiosorum animis.

Psalmis & Hymnis, cum oratis Deum hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Psalentium fratrum in Ecclesia mens concordare debet cum voce, vt sic impleatur illud Apostoli: Psalam ſpiritu, psalam & mente. Si enim Paulus 1. Corint. 14. labijs oramus, & mentem alio diuertimus voluntariè, aut ex culpa propria id nobis agentibus, Dei opera maculamus: tenemur enim & voce, & mente, & debita attentione ex præcepti vinculo orare.

Carnem vestram domate ieiunijs. Hoc loco D. Augustinus in re difficili animum pulsat nostrum, & ſpecialiter ad pœnitentiam inuitat cum inquit. Carnem vestram domate ieiunijs. Profecto qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, vt docet Paulus ad Galat. 5. Caro quidem concupiscit aduersus ſpiritum, & ſpiritus aduersus carnem: sed ne caro inualescat, ieiunijs & abstinentijs domanda est. Quia si caro domatur, ſpiritus corroboratur. Subiungit tamẽ sanctißimus Augustinus, ieiunijs, & abstinentijs, frænandam esse, & domandam carnem quantùm valetudo permittit. Et cum hæc dixerit virtus discretionis ab eo nobis cõmendatur. Pereũt namq; bona, nisi cũ discretione prudenter fiãt. Quocirca sic caro nutrienda est, vt seruiat, & sic domanda vt non superbiat.

Quando

Quandó autem aliquis non potest ieiunare non tamen extra horã prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. *Tradit hisce verbis D. Augustinus ieiunij mandatum quoad impotentes: & huius sermonis sensus is est. Quod siquis ex iusta, & rationabili causa ieiunare non tenetur, aut nõ potest, ne ieiunij solutio fratrem scandalizet, aut religionem dissoluat, non debet extra horam communis prandij comedere, nisi forte non tantùm impotens sit, sed etiam ægrotus. Tunc ergo quis extra horam cibum, vel potum sumit, cui ante horam tertiam manducat. Nam ieiunantibus debitam reficiendi horam, à tertia, vsq; ad sextam decernimus. Nemini ergo ex ieiunantibus licet ante vndecimam horam quicquam sumere: imò verò nisi inualuisset consuetudo ante duodecimam, non licuit prandere cuiquam, sub reatu mortalis criminis. Verùm eo tempore quo ad mensam accedimus, non solæ fauces sumere debent cibum, sed & aures esurire Dei verbum. Nam quantò anima præstat corpori, tantò amplius nos debent alere animæ alimenta, potiùs quàm corporis: vt debitò nam Propheta dicamus. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Dauid Psal.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine si aliter tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, nec iniustum videri eis quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi. *Quasi palam diceret: fortiores contristari non debent, si debiles cernant leuius tractari. Melius namq; est abstinere, & fortiorem esse, quam plus sumere. Quia illud est virtutis, hoc verò infirmitatis. Quocirca gratulari quisq; Deo debet, qui dono suæ gratiæ sic validus est, vt sibi sufficiat communis aliorum victus, & vestitus. Nam profectò quantò quis arctius in religione viuit, tanto beatior existit. Vnde Christus dixit: angustã, & arctam esse viam quæ ducit ad vitã. Lætetur ergo monachus, & religiosus frater si potest parce viuere propter Christum. Parca namq; vita libidinem extinguit, virtutem nutrit, vitia pellit, animum firmat, mentem autem ad cælestia tollit.* Christus Matth.

Sed cum vires pristinas reparauerint, redeant ad fœliciorem consuetudinem suam, &c. *Fœlix quidem consuetudo est carnalia desideria abscindere, corpusq; proprium castigare, & in seruitutem redigere. Vnde licet ad infirmitatem leuandam carnis curam agere necesse sit: cæterùm postquam vegetata fuerit eandem carnis curam resecare oportet, ne famulos Dei teneat cibi voluptas. Regnum enim Dei, non est esca, & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Non enim ex conflictu spiritualis certaminis animus assurgit: si non priùs intra nos ipsos, hostis, nempè appetitus edometur. Imò verò nisi priùs quæ nobis viciniora sunt, prosternamus, inaniter ad ea quæ sunt impugnanda transimus. Nemo ergo negligens edomare gulam, ad spiritualia bella consurgat: nam dominante gulæ vitio per carnis illecebram, quæcunq; fortiter egerunt amittit. Et cum venter non restringitur, virtutes animi obruuntur. Quapropter ex Ægypto populus adductus in eremo occubuit: Quia despecto manna carnium* Paulus. Exodi.

na, carnium cibos appetijt. Esau primogenituræ gloriam perdidit, Quia ardentissimo desiderij æstu vilem cibum, seu lenticulam concupiuit. Nec tamen cibus in vitio est, sed appetitus, ac proinde lautiores cibos plerunq; sine culpa sumimus, abiectiores verò non sinè peccato degustamus. Vnde illa sumẽda sunt, quæ naturæ necessitas postulat, & non ea quæ edendi libido suggerit. Quod sanè mirè adumbratur in eo, quòd muros Hierusalem, Princeps coquorũ destruxit: quia dum non restringitur venter, virtutes animæ pereunt. Faxit Deus dilectissimi, vt ex fortitudine parcitatis vitia carnis deprimantur. Quoniam ex mortificatione vitiorum, procedit pullulatio virtutũ. Colligamus ergò, quòd melius est agere propter Dominum, quàm superabundantia vestiri: quia egestas propter Dominum humilitatem gignit, bonorum omnium initium, abundantia autem parit superbiam. Secundò colligo necesse esse, interiorem hominem dominari, & præsidere: eum autem quem exterius gestamus inseruire, & nunquã libera cervice superbè contradicere legi Dei.

CAPVT TERTIVM.

NOn sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate, cum veneritis quo itis, simul state. In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum: sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Nec enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: sed appetere, vel ab ipsis appeti velle criminosum est. Nec solo tacito affectu, sed affectu & aspectu quoque appetitur & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Et cum se inuicẽ sibimet (etiam tacente lingua) conspectu mutuo, corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis, alterutro delectãtur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in seipsum diligit fixum, ab alijs se non videri, cum hoc fecerit. Videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur. Sed etsi lateat, & à nemine hominũ videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quẽ latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientiùs, quanto sapientiùs? Ille ergo vir sanctus timeat displicere,

ne velit

ne velit fœminæ malè placere: illum cogitet omnia videre ne velit fœminam male videre. Illius namque, & in hac causa commendatus est timor, vbi scriptum est, Abominatio est Domino, defigens oculum. Quãdo ergo simiu lestis in Ecclesia aut vbicumque fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. Etsi hanc, de qua loquor, oculi pertulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne male cepta progrediantur: sed de proximo corrigantur. Si autem post admonitionem, iterum vel alioquoq; die, id ipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicunque hoc potuerit inuenire. Prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandũ: vt duorum vel triũ testiũ possit ore cõuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cum timeat secari: nõ ne crudeliter à te fileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est si negauerit, prius præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretius correctus non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij (etiam coram omnibus) vt possit nõ ab vno teste argui, sed à duobus vel tribus cõuinci. Conuictus vero secundũ præpositi vel etiã presbyteri (ad cuius dispẽsationẽ pertinet) arbitriũ, debet emẽdatoriã subire vindictã. Quã si ferre recusauerit (etiã si ipse nõ abscesserit) de vestra societate proijciatur. Nõ enim hoc fit crudeliter: sed misericorditer: ne cõtagione pestifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo nõ figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicandisq; peccatis, diligenter & fideliter obseruetur, cum dilectione hominum & odio vitiorum. Quicunq; autem in tãtum progressus fuerit malum, vt occulte ab aliquo literas, vel quodlibet

De vestra societate proijciatur, id est à vobis sequestretur, nempe carceri mãcipando.

munus acceperit: si hoc vltro cõfitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur & conuincitur, secundum arbitrium presbyteri vel præpositi grauius emendetur.

Scholia Capitis Tertii.

NOn sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere sed moribus. *Incipit his verbis Augustinus, de his quæ ad religionem pertinent, quatenus est status honestatis excellentis, & sanè ad honestatem pertinet, habitus decentia, & compositio. Indicant enim quæ exterius apparent, animi mentem, & consilium. Vnde Dominus in Euangelio: Ecce qui mollibus ve-*
Christus in Euangelio. *stiuntur, in domibus regum sunt, & mollia dicuntur vestimenta, eo quod mollẽ animum efficiunt. Mollibus vestimentis regia domus delectatur, asperis verò, & humilibus Christi gaudet Ecclesia, & hæc debent esse sacerdotum, & monachorum vestimenta, in quibus nihil quod ad inanem gloriam, aut pretiosum ornatum pertineat animaduerti possit: sic clarissimus August. in vestimentis incessit, vt vestimenta eius, & calceamenta nec nitida plurimum, nec abiecta nimis fuerint. sed moderata: ipse quoq; de se ipso ait. Fateor quòd de pretiosa ve-*
Dauid Psalm. *ste erubesco, quæ non decet hanc professionem, nec hæc membra, nec hos canos. Curemus ergo fratres Deo placere, non vestibus, sed moribus, quia sicut scriptum est de inuisibili sponso: omnis gloria eius filiæ regis ab intus: vnde pulchritudo vestimentorum boni mores sunt. Quid prodest religioso viro pulcher ornatus? Pretiosum vestimentum quo sæculares vehementer offenduntur? Profecto quicunq; religiosi, mollibus vestimentis vestiuntur, & ornãtur, aut sericis delineamentis compinguntur, religionem irrident, & tanquàm irrisores procul à consortio fratrum sunt repellendi. Hi enim alieni sunt & peregrini à reli-*
Sophon. 1. Eccles. 20. *gione, & de peregrina veste dicitur Sophon. 1. Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina. Eccles. 20. dicit sapiens, quòd amictus hominis annuntiat de illo. Simus ergo vt ait Paulus. 1. ad Timo. 5. quibus tegamur contenti. Ioan-*
Paul. *nes enim dilectissimus à Deo vestimentum habebat de pilis, imò verò Dominus*
Matth. 10. *volens discipulos ab omni scandalo arcere Matth. 10. dixit eis: nec duas tunicas habeatis. Quibus verbis insinuatur, quòd superfluitas interdicitur discipulis Domini.*

In omnibus motibus vestris, vestram bonam conuersationem ostẽdite, vt nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. *Hac ratione viuite fratres, vt vbiq; ordo vester in precio habeatur, & in admiratione sit, sic namq; monachus viuere debet, vt à nemine iustè valeat reprehendi. Namq; impudicitia est, religiosum reprehensibiliter viuere, & exterius in habitu formam sanctitatis ostendere. Nunquid religiosis non dicitur à Deo, Stote sancti, sicut & ego sanctus sum? Verè quidem*

sancti

sancti, debent esse monachi, qui nomen, & habitum sanctitatis, & religionis susceperunt, & qui diuino cultui, sacrisq; altaribus consecrantur. Sic ergo viuere oportet, vt vita concordet cum nomine, & professio cum opere. Profecto incredibile est quantum sæculares scandalizentur, & offendantur, de irreligiosa monachorum conuersatione, & idcirco Augustinus dixit: In omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cuiusquã offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatẽ.

Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam fœminarum in nullam figantur. *Oculis modestis, & demissis incedere debet monachus & religiosus, non solùm quia* Dominus *in Euangelio dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendũ* Matth. *eam, iam mœchatus est in corde suo. Sed etiam, quia pleraq; offendicula oriuntur ex vagis oculorum motibus. Vnde Propheta dixit: Ascendit mors per fenestras, & ingressa est domos nostras. Dauid sanctus erat, sed oculos in fœminam defigens, illicito raptus & deuictus appetitu, adulterium commisit. Tenẽda igitur est Beatissimi Iob sententia qui ait, Pepigi fœdus cum oculis meis vt non cogitarem de Virgine: nam cum sensisset per exteriorem visum, interiorem animũ quasari, & corrumpi pactum fecit cum oculis suis ne aspiceret incautè, quod minus benè concupisceret. Causa igitur, & opportunitas mali cauenda est: vnde Loth fugienti à Sodomitis præcipitur vt non retrò aspiciat, neq; permaneat in circumuicina regione, sed vt in monte se reddat incolumem, quia vt ait Augustinus, non solùm tacito affectu, & aspectu appetitur & appetit concupiscẽtia fœminarum: & ob id diximus ex Propheta quod ascendit mors per fenestras nostras, & ingressa est domos nostras: mors animæ est concupiscentia, domus verò interior mens nostra, fenestræ autem huius domus sunt corporis sensus: Non igitur dicat religiosus se habere animum pudicum si habeat oculum impudicum: quia impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. Valde timenda sententia est hæc: quia frequenter quæ intus latent, externa membra denuntiant: & frequenter per habitum corporis, habitus mentis cognoscitur, minor est quidẽ culpa cum iacet in occulto, minoraq; habet offendicula: sed dum incipit serpere publicè, maior efficitur, & amplius nocet in religione, & in Ecclesia Dei.*

Etsi hanc de qua loquor oculorum petulantiam in aliquo vestrum animaduerteritis, statim admonete, ne malè cœpta progrediantur, sed de proximò corrigantur. *Hodierna die difficile correctionis fraternæ præceptum impletur. Si enim hominem sæculare corripias hisce diebus, statim corripitur ira, statim te carpit, te mordet, te reprehendit, te odit quod peius est, te vt peccatorem insectatur, statim dicit te male agere, & te male iudicare de proximo. Quocirca vbi creditur rationabiliter, quod nulla est futura spes emendæ continuò absoluimur à correctionis fraternæ vinculo. Cæterum inter religiosos viros tanta est fraternitas, vt iure sperari possit correctio, si præcesserit affectuosa correptio. Est enim inter monachos quædam specialis fraternitas professionis, & amoris: & ob id specialiter dixit Sapiens Eccles. 19. Corripe amicum insinuans correptionem maximè impendendam esse amicis. Quia vt inquit* Eccles. 19.

Apocali. 3. Ioannes: *Quos amo, arguo, & castigo.* Hæc igitur Augustini sententia concordat cum Euangelio: & cum Apostolicis verbis Pauli: *Si fuerit homo præoccupatus in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite in spiritu lenitatis. Si verò frater instrui noluerit, neq; te audire adhibe tibi duos testes, quia corrigẽda est culpa illius: si enim non emendetur in hoc sædulo damnabitur frater in futuro. Si ergò melius est hic emendare vitam quàm perpetuò perire, planè sequitur, eum qui amat corripi, sapientem esse. Vnde scriptum est: corripe sapientem & amabit te. Stultus verò si corripitur irascitur. Verùm fraterna correptio, affectuosis verbis non acriter, sed modestè est peragenda.*

Prouerb. 3.

Nec vos iudicetis esse maleuolos quando hoc indicatis: magis quippe nocentes estis si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. *Quidam à fratrum proclamatione se cohibẽt cauſantes, id ſine peccato fieri non poſſe. Et idcirco prælatis, & viſitatoribus putrida vulnera, & ſceleſtißima peccata contegunt, & occultant. Scio quoſdam, proh dolor, qui ea patefaciunt, ſi minus benè ſunt affecti, quæ in occulto latẽt, nulla etiam proximi, & fratris præuia correptione, idq; totum efficit illorum peruerſa, & inimica voluntas. Scio etiam alios publica cognouiſſe delicta, turpiaq; offendicula, & religionis impijßima tela, totiuſque ordinis crudeliſßima, & ſæuißima vulnera, hæc pleriq; tacent, hæc occultant, & cum manifeſta ſint populo in omnium oculis, ementito & ſimulato vultu tacent, & ſe nihil viſitatoribus cognouiſſe correptione dignum iuramento affirmant. Certè ſi crudelis eſt qui corporis vulnera in proximo celat, crudelis multò amplius vocandus eſt qui peccati vulnera fætida in animo fratris non indicat. Et reum mortis illius cẽſeo exiſtere, eũ qui tacẽdo perire fratrẽ permittit. Sicut enim ille dãnatur ex opere, ſic ſanè iſte damnatur ex taciturnitate, ſicut enim lingua, offendicula*

Iſai. 6. *fiunt nimis loquendo, ita pariter interdùm tacendo. Vnde Eſai. 6. dicit Prophe ta, væ mihi quia tacui. Quod idcirco dixit, quia Oziam, & alios liberè non cõprehendit. Alij tandem ſunt per extremum impiè incedentes, qui quæcunq; norunt, ſecreto non detegendo: indicant omnibus palam, & ſe nouiſſe minus benè pronuntiant. Non poſſum non vehementer ſtomachari aduerſus eos, qui ſub ſpecie ſanctitatis detegunt occulta: & pariter ſub eãdem ſpecie, tacent quæ manifeſtare debuiſſent. Hi ſanè crudeliter ſilent, & peccatis patrocinantur: atq; ita ſilendo, nunquam medicina peccatoribus adeò ægrotantibus propinantur. Quocirca Diuus Gregorius inquit, Qui proximi mala conſpiciunt, & ſilentio premunt, quaſi conſpectis vulneribus vſum medicaminis ſubtrahunt, & eò mortis actores ſunt, quò vulnus quod curare poterant nollunt. Et Auguſtinus ad idem ait: Tu vulnus fratris contemnis, tu eum perire vides, & negligis, peior es tacendo, quam ille committendo. Quocirca Theologi concordant, & aiunt: quòd currens eſt cum fure, qui ſcit furtum, & non indicat. Benè ergo dicitur: innocentes non eſtis ſi fratres veſtros quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Et obſerua verbum illud, innocentes non*

eſtis,

estis, quia verè innocentes non sunt, nocent enim potius, & ipsi fratri, & monasterio. Et hoc est quod retulimus ex Isai. Propheta, capit. sexto, Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, nempe ex ipsa taciturnitate. Et inquit glossa: quòd vir pollutus labijs vocatur Isaias, quia Oziam, & alios libere non reprehendit. Quo fit, quòd si crudelis est qui culpam proximi non detegit, è contra, ille est misericors, qui eam non abscondit. Nam rogo quam potest maiorem quis percunti misericordiam præstare, quàm eum ad vitam reuocare? Quo autem ordine culpa fratris demonstrari debeat, ostendit Beatissimus Augustinus dicens: Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est si negauerit, priùs præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne fortè possit secretius correctus, non innotescere cæteris. His verbis insinuat Diuus Augustinus, quòd si culpa occultè committitur à fratribus, qui deliquit frater, secretè corrigi debet ab eo, qui conscius est suæ culpæ: quem si neglexerit audire, Patri monasterij debet indicari, vt & ipse etiam fratrem secretè corrigat: quatenus culpa, quæ latens est, si secretè corrigi potuerit non omnibus innotescat. Si verò negauerit, tunc testes sunt adhibendi, vt conuictus iudicetur. Qui blandè enim castigatus non emendatur, necesse est vt acriùs corrigatur. Cum dolore namq; sunt abscindenda, quæ leniter sanari non possunt. Quod si præpositi vindictam, & pœnitentiam ferre recusauerit, etiam si is à monasterio non recesserit, à societate fratrum proijciendus est, ex Diui Augustini sententia, & consilio, seu carcere, & sæuioribus pœnis puniendus longè à consortio fratrum. Melius est enim pro multorum salute, quòd vnus damnetur, quàm quòd per vnius exemplum plurimi pereant, aut periclitentur. Et hæc est sententia Domini in Euangelio dum ait: Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & proijce abs te. Isaiæ. 6. Glosa. Christus. Matth. 5.

In calce capitis mirabile est, quam acriter dicat August. verba quæ sequuntur. Quicunq; in tãtum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltrò confitetur parcatur illi, & oretur pro eo. Si vero deprehenditur, & conuincitur secundum arbitrium presbyteri, vel præpositi grauius emendetur. *Dicit, in tantùm progressus fuerit malum: quia censet fratrem progressum esse in magnum malũ si occultè quicquam recipiat. Quia aliquid occultare, est ordinẽ infringere. Et hoc Eliseus Propheta intellexit, cũ seuerè percusserit passione lepræ Giezi puerum suum, eo quod à Naaman Syro munus occultum acceperit. Profectò his postremis verbis vehementer Augustinus paupertatem voluit commendare, & omne genus proprietatis abscindere.*

CAPVT QVARTVM.

VESTES vestras in vnum habeatis sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur, & sicut pascimini ex vno cellario, sic

induami ex vno veſtiario. Si fieri poteſt, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia profe-ratur, vtrũ hoc recipiat vnuſquiſque, quod depoſuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamẽ vnicuique, prout cuique opus fuerit, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, dum conqueritur aliquis ſe deterius acce-piſſe, quam prius habuerat, & indignum ſe eſſe quod non ita veſtiatur, vt alius frater veſtiebatur: hinc vos probate, quantũ vobis deſit in illo interiori ſancto habitu cordis, qui pro ha-bitu corporis litigatis. Tamen ſi veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod poſueritis, in vnum tamen locum ſub cõ-munibus cuſtodibus habete, quod ponitis, ita ſanè, quod nul-lus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in vnum fiãt, maiori ſtudio & frequentiori alacritate, quam ſi vobis ſingu-lis faceretis propria. Charitas enim de qua ſcriptum eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia pro-prijs, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto am plius rem communem, quam propria veſtra curaueritis, tanto vos amplius proficere noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur tranſitoria neceſsitas, ſuperemineat, quæ permanet, charitas. Conſequens ergo eſt, vt etiam quum quis ſuis filijs, aut aliqua neceſsitudine ad ſe pertinentibus, in monaſterio conſtitutis ali quam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occulte accipiatur: ſed ſit in poteſtate præ-poſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit, pre-beatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam cellauerit, furti iudi-cio condemnetur. Indumenta veſtra ſecundum arbitrium præ poſiti lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus, ne interiores ani-mæ ſordes contrahat mundę veſtis nimius appetitus. Lauacrũ etiam corpori, quum infirmitatis neceſsitas cogit, minime de negetur. Fiat ſine murmure de conſilio medicinæ, ita vt etiam ſi nolit. Iubente præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalu te. Si autem velit, & forte non expedit, ſuæ cupiditati non obe diatur. Aliquando enim (etiam ſi noceat) prodeſſe creditur, quod delectat, denique ſi latens eſt dolor in corpore, famulo

Dei

Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen, vtrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat: si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, siue quocumq; necesse fuerit, minus quam duos vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus præpositus iusserit, ire debet. AEgrotantiũ cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate (etiam sine febribus) laborantium, vni alicui debet iniũgi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiãt fratribus suis. Codices certa hora, singulis diebus petantur. Extra horam, qui petierit, non accipiat. Vestimenta vero & calciamenta: quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

Scholia Capitis Quarti.

VEstres vestras in vnum habeatis sub vno custode. *His verbis indicatur primò, omnia debere esse communia, & quòd non dicamus aliquid proprium. Secundò verò res communes, siue ad victum pertinentes, magna cũ diligentia esse tractandas, licet modicæ sint. Et huc rei consonat quod Christus dixit* Ioan. 6. *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Attendite dilectissimi fratres quantæ perfectionis vult nos esse Augustinus, vt velit sic indumenta esse communia, vt vnusquisq; recipiat, vel quod deposuerat sub custode, vel aliud quod alter ex fratribus habuerat: & quod ob id contentiones, & murmura non oriantur, quia charitas non quærit quæ sua sunt.* Ioan. 6.

Consequens ergo est vt etiam, cum quis suis filijs, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate præpositi, vt in rem communem redactum cui necesse fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. *Sanctè in constitutionibus nostri ordinis decernitur quod Sanctissimus Augustinus positis verbis obseruare præcipit, & vult, vt habetur capitulo.* 20. *de proprietarijs distinctio.* 1. *Deinde, frater si rem sibi collatam celauerit, Iudæ traditoris locum tenet in Ecclesia sancta, qui fur erat, & latro, & loculos habebat, & quæ Domino mittebantur abscondebat. Tanto enim cupiditatis auaritiæ vitio exarsit, vt Dominum suum accepto pretio venderet, & traderet. Tunc ergò frater rem sibi collatam celare dicitur, cùm animo occultandi eam accipit. Quo facto religiosus vir assimilatur coruis, qui pecunias accipiunt, & furantur vt in abscondito* Simile.

celent, & occultent. Rursus frater rem sibi collatam celat, quando si res inuestigatur, & quæritur, non propalatur, sed celatur ab eo, sicut fecit Rachel Geneseos. 31. Quæ patri suo Laban interroganti, & scrutanti, idola sua celauit. Tertio quis dicitur rem sibi collatam celare, quando debito, & opportuno tempore eam non manifestat, neq; præposito ostendit. Quia non solum fur est, qui furripuit rem aliquam, sed etiam is qui opportuno, & debito tempore rem furto sublatam non pandit, seu manifestat. Sic ergo in religione qui rem quam suscepit tempore scrutinij non reuelat, vel morose detinet furti iudicio condemnandus venit. Cæterum si religiosus frater absq; præpositi venia rem sibi collatam accipiat, proposito tamen ostendendi, & licentiam petendi absq; mora, quamuis id sine culpa non fiat, non tamen ob id censendus est frater prorsus rem sibi collatam celare, nisi in culpa sit, iuxta ea quæ primo loco statim diximus. Tandem qui rẽ sibi collatã occultat, meritò vocatur fur, quia rẽ non suã sed cõmunitatis inuito Domino, nempe illo ad quem pertinet dispensatio, contrectat occultè.

Codices certa hora singulis diebus petantur. Tria sunt quæ nobis commendat Sanctißimus Augustinus in regula, nempe orationem, lectionem & operationem. Oratione quippe mundamur, lectione instruimur, operatione autem beatificamur. Et cum ait, codices singulis diebus petantur, frequentia legendi nobis commendatur. Crebrò namq; legere debet seruus Dei, cum diuina lectio vtilis sit animæ. Profectò ex lectione instruimur quid cauere, quid agere, quò tendere debeamus: quod expreßit Propheta dicens. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Vndè ex dominica lectione sensus, & intellectus augentur. Idcircò beatus scribitur esse qui in lege domini meditatur die, ac nocte. Hæc igitur sunt arma viri religiosi, quibus diabolus impugnatur, scilicet oratio, lectio, & operatio. Quia hæc sunt instrumenta quibus æterna acquiritur fœlicitas. Sanè his armis vitia extenuantur, & virtutes roborantur. Frater in monasterio constitutus si non incumbat lectioni otiosus manet, & semper huc, atq; illud sese confert, & per domum vagatur, & discurrit, alios q; distrahit, & solicitat ad inutiles fabulas, & vanas confabulationes, sicq; solicitus semper cogitat quo pacto posßit è monasterio egredi, & ad sæculares iter arripere. Quo fit vt inquietus semper domi permaneat, cum minus benè occupatus incedat. Otiositas ergo maximè in monasterio est inimica animæ, & antiquus hostis. Placet hoc loco dicere fratres dilectißimi, quòd si qui sunt, qui recipiuntur ad ordinem, decens est, & expedit satis, eos tales fore, vt ea quæ sunt in codicibus intelligant: & idcirco regulariter hi solum recipiãtur in ordine nostro qui sufficientes reputantur. Nam dum contrariũ à prælatis, & cõmendatoribus efficitur, grauißima damna, & offendicula oriuntur. Fit enim deinceps, vt ignarantes creentur sacerdotes, & rudiores confessarij. Vndè religio contemnitur, & Deo grauißima irrogatur iniuria. Fit vlteriùs vt sint lites, & contentiones, atq; murmura, cũ inscij, & rudes religiosi cernunt se non posse efficere, quod alijs demãdatur, videntq; sese ipsos facere non posse, quod eorum socij adimplent. Quapropter prohibitum fuit in lege

Deut.

Psalm. 118.
Psalm. 1.

Aduertẽda fratribus sententia.

Deut. 22. ne araretur in boue, & asino propter inæqualitatem, quia asinus præstare non potest quod bos: Restat ergo vt codices, certa hora singulis diebus pectantur à fratribus nostris, quia si sunt cæci, & cæcos ducunt, ambo in foueam cadunt: & statim sequitur ordinis contemptus. Ob id igitur quotidie oportet vt à codicibus magistris instruamur, ne vilescat monasterium, & diuina oracula, nihil intelligendo contemnamus.

CAPVT QVINTVM.

LItes aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animã faciat homicidam. Sic enim legitis. Qui odit fratrem suum, homicida est. Quicunq; conuitio vel maledicto, vel etiam crimi nis obiecto, aliquem læserit, meminerit satisfactione, quam citius curare, quod fecit, & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicẽ se læserint: inuicem sibi debita relaxare debent propter orationes vestras. Quas vtique, quanto crebriores habetis: tanto sanctiores habere debetis. Melior est autem, qui quamuis ira sæpe tentetur, tamẽ impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quam qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite. Quę si emissa fuerint ex ore vestro: non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit, etiam si ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda est venia, ab omnium Domino, Qui nouit etiã eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

SCHOLIA CAPITIS QVINTI.

LItes aut nullas habeatis, aut quã celerrime finiatis, ne ira crescat in odiũ, & trabẽ faciat de festuca, & aĩam faciat homicidã. *Præcipuè his*

verbis agit, D. Augustinus de religione quatenus est status fraternitatis: fraterna namq; dilectione associari debent fratres in monasterio, quæ vt semper obseruetur pellenda sunt quæ illam perturbant. Et idcirco dixit Augustinus lites nullas habeatis. Equidem in monasterio degentes cælicolis assimilantur. Cur ergo lites, & contentiones erunt in monasterio? Lites namq; dissipant Rempublicam & omnium animos perturbant. Nunquid lites religionem non concitabunt, & dissoluent? Quod si lites sunt, & contentiones, vbi erunt murmura, & detractiones? Vbi odium fratris, & ira? Et quod peius cẽseo est, quod nulli irascenti ira sua videtur iniusta. Quapropter cito ex indignatione redeundum est ad mansuetudinis lenitatem: & qui conuitio, vel maledicto fratrem læserit satisfactione indiget. Nam iuxta illud Christi Domini, Qui dixerit fratri suo Racha, aut fatue, reus erit Gehennæ ignis. Si verò fratres se inuicem læserint, inuicem sibi debita relaxare debent. Nam quotidie dicimus Deo: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Alioqui si non ex animo remiserimus, Deo mentimur, aientes sicut & nos dimittimus: atq; ita fit vt peccata nostra quæ orando minuere debuimus, augeamus. Si igitur non remittis ex corde, dele cum oras illa verba, sicut & nos dimittimus, si te illis verbis orare credis. Sanè cum Christus in Euãgelio dicat: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos: id fratribus, & religiosis viris potißimè denuntiatur, qui fraterna dilectione vinciuntur. Filiorũ enim Dei, est nullas habere lites, vel quàm celeriter finire: Diabolicum verò litibus, & contentionibus delectari, & ex animo non remittere.

A duertenda sententia.

Quandonecessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, etiam si ipsi modum vos excessisse sentitis, nõ à vobis exigitur, vt à subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subiectos dum nimium seruatur humilitas regendi frangatur authoritas. *Dixerat paulò anteà* D. *August. in regula, à verbis durioribus parcite. Dixerat rursus, quod si dura verba exciderint ex ore, venia est postulanda. Et ne quis existimaret, Præpositum pariter à subditis debere postulare veniam, hoc loco excipit prælatum, & præpositum, quem vult petiturum esse veniam à Domino, non à subdito, ne regendi frangatur authoritas. Et id sanè intelligendum esse decerno, quandò necessitate disciplinæ in prauis moribus coercendis à discolis subditis compellitur prælatus. Si enim tunc non causa odij, aut inuidiæ, sed regiminis, excesserit in verbis, vbi necessitas disciplinæ occurrit, veniam prælatus à subdito non petat, sed ab omnium Domino. Ostendit igitur August. in quo casu tolerari debeat, veniam non postulare, nempe quando necessitas disciplinæ, & monasterij dilectio, in moribus coercendis, dicere dura verba compellit. Ex quibus colligo, reprehensibiles esse quosdam, qui crediderunt prælatum nunquam debere dure loqui, & seuere. Cum Paulus ad Tim. dicat. Obsecra, increpa, opportune importune. Nam sicut propter duros lapides, duriores mallei sunt inuenti, sic quorundam duritie s exposcit, vt causa regimi-*

Paulus. 2. Tim. 4.

nis &

nis & disciplinæ durioribus verbis corrigantur. Quid durius quam quod dixit Noe Genes. 9. *Maledictus Chanaan puer, & quod dixit* Iacob, *ad* Ruben, Genes. 9.
Non crescas, & ad Leui & Simeonem Genes. 49. *In consilium eorum non veniat anima mea: maledictus furor eorum. Igitur antistites omnes inuigilent quoniam* Heli *cum posteritate eius reprobatus est à sacerdotij dignitate eo quod nõ* Genes. 49. Exemplum de Heli aptum.
seuere, sed blande & amicè filios correxerit suos. Exemplo sit omnibus Petrus *Apostolorum princeps.* Actor. 5. *qui ad* Ananiam *dixit, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare te de pretio agri?* Et Paulus *ad* Galat. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, &c.* Et tandem Christus Iudæos *carpens & reprehẽdens dixit, vos ex patre diabolo estis.* Et Ioannes Baptista, *Genimina viperarum quis vos docuit fugere à vẽtura ira. Colligo rursus, quod plerisq; magnis & integerrimis viris sæpe contingit, quod si coacta correctione feruent, modum correctionis exaggerãt, & lingua vicißim labitur virtutis zelo commota, & idcirco ab omnium* Domino *petenda est venia à præpositis: Nedum nimium seruatur humilitas regendi frangatur authoritas.* Actor. 5. Paulus ad Galat. 3.

CAPVT SEXTVM.

NON autem carnalis, sed spiritualis, inter vos debet esse dilectio.

Scholia Capitis Sexti.

NOn autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. *Christus speciale dedit dilectionis mandatum* Ioan. 13. *Hoc est præceptũ meum, vt diligatis inuicem, & assignauit exemplum huius dilectionis dicens, sicut dilexi vos, igitur non carnalis, sed spiritualis debet esse inter religiosos dilectio: In hoc enim ait Christus omnes cognoscent quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem: cum ergò religiosi sint professionis eiusdem, & fraterna teneantur compagine, sintq; eiusdem corporis membra, & Christi speciales discipuli, & domestici Dei, fratres, & amici, inter eos dilectio spiritualis debet esse non carnalis: sunt enim pleriq;, qui proximos diligunt ex affectu cognationis & carnis, interdum verò ex spe vtilitatis sperata, & hæc carnalis dilectio est, & quæ naturæ impenditur.* Ioan. 3. *Sed altera est, quæ ex Dominicis præceptis, ex charitate debetur obedientiæ: vnde* Pau. 1. Corinth. 12. *dixit, Siquid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra, & id sanè ex mutua dilectione procedit: in hoc ergo religiosi fratres cognoscentur, tanquam Christi discipuli, si dilectionem spiritualem ad inuicem habuerint, à duobus namq; præceptis charitas incipit, sed sese ad plæraq; extendit: Initium enim est dilectio Dei, & proximi, cæterùm dilectio Dei ex tribus secernitur, quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine conditor diligi iubetur, vt qui Deo*

placere perfectè appetit, sibi de se nihil relinquat, cæterũ dilectio proximi, quæ etiam propter Deum peragenda est, ad duo deriuatur præcepta: vndè Christus dixit per semetipsum, quæcumq; vultis, vt vobis faciant homines, & vos facite illis, nam quod tibi non vis fieri, cerne ne tu alteri facias. Præceptum Christi. Tandem concludo neminem ex religiosis ad dilectionem esse permouendum, ex his, quæ solent in hoc sæculo homines concitare ad dilectionem, nec enim ex affectu lucri, vtilitatis, aut honoris, nec ex affectu sanguinis, aut carnis permouendus est religiosus frater, vt sibi socium in monasterio degentem diligat, quia spiritualis debet esse inter fratres dilectio. Et sanè quicunq; alius amor facile euanescit, & fugit, nisi animi fratrum Christi dilectione & amore roborentur. Cicero. Cicero dixit, quod hæc est lex in amicitia, vt nihil turpe rogemus, neq; rogati faciamus, & hoc insinuauit Augustin. in citatis verbis, certè carnalis amicus solo nomine amicus est Aug. Ecclesiast. 17. Nam vera dilectio debet esse in charitate non ficta, vt dicit Paul. Paulus. 2. Corinth. 2. Quia in hoc cognoscimus charitatem Dei, quod ille animam suam posuit pro nobis, cum igitur dilectio inter fratres spiritualis sit futura, & nos debemus animas nostras pro fratribus ponere, vt D. Ioan. in sua canonica Ioann. dixit.

CAPVT SEPTIMVM.

PRæposito tanquam patri obediatur multo magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.

Scholia Capitis Septimi.

PRæposito tanquam patri obediatur multò magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Obedientia hæc filialis sit non seruilis, filialis namq; obedientia est, quam inducit amor, seruilis, quam parturit timor, hæc est cum murmure, illa verò sine querela. Hæc est cum tristitia, illa verò cum hilaritate: Hæc pigrè agit, illa velociter: Hæc fictè, illa viriliter. Hæc citò senescit, & labitur, illa vero sine fatigatione vsq; ad mortem laborat. Quocirca inter virtutes religioni apprimè necessarias præcipua est obedientia filialis, hæc namq; in religioso viro pacem germinat. Nam qui minus est obediens crebras turbationes habet, quod ergò inobedientia perturbat, hoc filialis subiectio in monasterio pacificat. Vndè 1. Machab. 4. terra siluit omnibus diebus Simonis: qui interpretatur obediens: & 1. Reg. 15. dicitur, melior est obedientia, quam victimæ quia secundum D. Gregorium per obedientiam propria voluntas mactatur, Præposito igitur tanquam patri obediendum est, quia eodem D. Greg. 7. moral. Gregorio testificante si obedientes fuerimus præpositis nostris: obediet Deus orationibus nostris. Nam qui præpositum audit, Deum audit, & hunc ille exaudit.

Equidem

Equidem licet prælatis obediendum sit, plerique; tamen sunt casus, in quibus ab obedientia excusantur, vt si præpositus præcipiat quidquã cõtra Deũ, vel si oppositũ, alius præposito maior præciperet, vel tertiò, quãdo quid præcipitur q derogat bono regimini monasterij, vt si Præpositus inferior præciperet subdito, q maiori suo visitanti, nihil diceret de reuelãdis in visitatione. Vel quartò si quid præcipiatur quod est contra professionem ab eo factam, Vel aliquid super excedens professionem, Vel quidquam impertinens prorsus ad professionem, quam subditus emisit; potissimè si id efficeret præpositus sine prudenti, & rationabili causa. Non igitur est obedientia fratrum seruilis, quia nec ipsi serui sunt, sed confratres subditi & filij. Tandem concludo iuxta Salomonis sententiã, quod vir obediens loquitur victorias, quia dum voci alienæ humiliter subijcimur, nos in corde superamus: obedire igitur necesse est præpositis etiam discolis. Nam & super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, de quibus Christus dixit, quæcunq; vobis dixerint facite, ad opera autem eorum non attendatis: Cæterum de obedientia plæraque scripsimus in scholijs ad caput vigesimum quintum de professione, vbi obedientiæ votum, & ad quid teneantur religiosi fratres interpretati sumus.

CAPVT OCTAVVM.

VT ergo cuncta ista seruentur, & si quid minus seruatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandũ corrigendumque curetur, ad præpositum præcipue pertinebit, vt ad presbyterum, (cuius est apud vos maior authoritas) referat quod modum vel vires eius excedit. Ipse vero, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo, substratus sit pedibus vestris. Circa omnes, seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat quam timeri: semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos, magis obediendo, non solum vestri, sed & ipsius miseremini, qui inter vos, quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Donet Dominus, vt obseruetis hæc omnia, tanquã spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore, de bona conuersatione, fragrantes: non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub

gratia

gratia conſtituti. Vt autem vos in hoc libello, tanquam in ſpeculo poſsitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatur, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicumq; veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt ſibi debitum dimittatur, & intentionem non inducatur.

Quod ſemel in hebdomada legenda eſt publice Regul. D. Auguſt.

Scholia Capitis Octavi.

VT ergò cuncta iſta ſeruentur, &c. *Quia nihil prodeſſet Auguſtinum præcepiſſe regularem obſeruantiam, niſi accuratè obſeruaretur, idcircò poſtremò hoc cap. agit de cura debita religioſæ obſeruantiæ, quia beatus eſt qui legit* (Apocal. 1.) *& qui audit verba prophetiæ huius: & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt. Vndè prælato incumbit de ſubditorum ſalute, & vt curam habeat de obſeruatione regulæ, & ob id poſtremo loco inquit Auguſtinus, vt ergò cũcta iſta ſeruentur. Et obſerua quod dicit cuncta: Nam ſi cænobia reperiantur in quibus plæraq; mandata minimè obſeruantur, tunc præpoſiti fiunt omnium rei,* Iacob. 2. *qui totam legem obſeruauerit offenderit autem in vno factus eſt omnium reus, Sed doleo, prælatos & præpoſitos quoſdam, qui interdum trãſgreſſiones non corrigũt, vel excordis puſillanimitate, vel ex vecordia, aut diffidentia proficiendi, nonnunquam vero ex ignorantia, quia fratrum culpas minimè percipiunt, & interdum propter propriam pacem, quam perturbare nolunt, vel quia eiſdem criminibus maculantur. Conſcientia etenim praua, etſi occulta ſit, tamen mille teſtes in ea inueniuntur, timidioremq; reddit hominem, ad ſubditos corrigendum. Et incredibile eſt, quoſdam eſſe præpoſitos, qui ex timore odij vel ex dignitatis, quam poſsident amore, ne ea careant ſubditos non detinẽt, nec adhortantur. Adhoc igitur data ſunt regularia præcepta in monaſterio, vt cuncta ſeruentur, iure igitur ad præpoſitum pertinebit, & ad eum qui cuſtos eſt ordinis, vt ad preſbyterum, penes quem maior eſt authoritas, id eſt ad Magiſtrum generalem, vel prouincialem inuigilare ſuper gregem ſibi commiſſum, vt cuncta ſeruentur in monaſterijs. Sanè inſinuat Auguſtinus, quod in congregatione, vbi eſt ordo canonicus: ſi non eſt aut Cõmendator, aut Abbas, aut Prior, ſed Epiſcopus: ipſe Epiſcopus preſbyteri nomine deſignatur: Etenim in principio de iure regulares Epiſcopis ſubijciebantur.*

Ioann. Apoc. 1.

Vt ergo cuncta quæ in præclariſsima Diui Auguſtini regula ſunt, obſeruentur, vel non negligenter prætereãtur, ſed magis vt emendanda corrigendaq; curentur, id ad præpoſitum præcipuè pertinebit. Nã ad id, ſane data ſunt regularia iſta præcepta, vt ſiquid minus ſeruatũ fuerit oportet vt cito emendẽtur. Nõ enim

enim quidquam præterire possumus negligenter sine periculo animæ. Nam secundum regulam Diui Augustini viuere, ex professione promisimus. Quocirca præpositi negligentes non sint: Sed superbos aut contemnentes increpent, vel puniant. Neq; dissimulent peccata delinquentium, sed mox, vt cœperint oriri, radicitus amputent, memores periculi Heli sacerdotis de filijs suis. Ac proinde improbos & duros corde, & inobedientes, castigatione, & verberibus coercere oportet, iuxta illud Sapientis. Stultus verbo nõ corrigitur, percute filium tuum virga & liberabis animam eius à morte.

Ipse vero qui vobis præest non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem. *Sane qui ita præsunt vt de potestate dominij glorientur non sunt veri pastores. Quia magis præesse appetunt quã prodesse, quærẽtes temporale lucrum, & terrenum honorem, non cœlestem gloriã: & hi potestate dominantur: sed attẽdere debuissent Paulum dicentem. Cum essem liber in omnibus, omnium me seruum feci, vt omnes lucrifacerem. Charitate igitur prælatus se existimet felicem, & exemplũ Christi veri pastoris teneat. Qui non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam dare redemptionẽ pro multis. Viri ergo religiosi qui præesse appetunt, ambitiosi sunt & assequuta potestate dominandi superbe viuunt & abutuntur ea. Vnde Christus Matthæi. 21. dixit. Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt põtestatem exercent in eos. Non igitur charissimi fratres ita sit inter nos, sed qui voluerit primus esse fiat sicut seruus, & sicut præcessor & ministrator. Vnde supremus Ecclesiæ Pontifex vocat se seruum seruorũ Dei. Et Paulus ad Hebræos. 1. de Angelis loquens dicit quod omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Imo vero Christus de se ipso ait, Ego autem in medio vestri sum sicut qui ministrat. Vnde & ipse cæpit lauare pedes discipulorum & statim dixit: Exemplum dedi vobis vt sicut ego feci ita & vos faciatis. Præpositi ergo peruigilare debent quasi reddituri rationem pro animabus subditorum, qui in sinu pastoris & prælati sunt euehendi, iuxta illud Numerorum. 12. Numquid ego concepi omnem multitudinẽ hanc, aut genui, vt dicas mihi porta eos in sinu tuo? sicut portare solet nutrix infantulum? Ob id igitur Sanctissimus Augustinus dixit, quod qui in communitate & societate fratrum præest non se existimet potestate dominante, sed charitate seruente fœlicem.*

Matth. 21.

Ioan. 13.

Num 12.

Honore coram vobis prælatus sit vobis. *Honorandus est prelatus & cõmendator, quoniam Christi vicem in monasterio gerit. Nam Dominus pastoribus ait, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Vnde in capitulo de grauiori culpa legimus quod si frater non malitiose, sed in veritate aduersus maiorem suum aliquid sciuerit, quod tolerari non deceat, prius eum secrete cum omni humilitate admoneat, quod si admonitus se corrigere neglexerit visitatori significet. Aliter subditi superiores suos diffamare non audeant. Nam vt scriptura admonet. Eccli. 11. In medio fratrum rector illorũ in honore. Et Deus*

Alia translatio habet honore coram Deo prælatus sit vobis.

cum à populo inhonoraretur Malachiæ. 1. dixit. Si ego pater vbi honor meus? Prælatus ergo dilectißimi honore coram vobis ſit. Qui enim præpoſiti honorẽ non cuſtodit ſe habet veluti alter Cham, Qui cum vidiſſet verenda patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus ſuis.

Circa omnes ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, conſoletur pußillanimes, ſuſcipiat infirmos: patiens ſit ad omnes. *Non ſatis eſt ſi commendator, vel præpoſitus doceat, more ſcribarum & phariſæorum, ſed exẽplo Chriſti debet facere, & docere, ſicut enim præpoſitus præcellit honore, & dignitate, atque ordine, ità ſubditos oportet vt præcedat ſanctitate, & exemplo operis, vt vel ſic diſcant, qualiter viuere debeant, quod rectè admonet D. Gregorius in paſtorali dicẽs. Sit rector operatione præcipuus, vt recte viam ſubditis benè viuendo denuntiet, Nam grex, qui paſtoris vocem, moremq; ſequitur, per exẽpla melius, quà per verba graditur, & Chriſtus primitiuis prælatis dixit, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videãt opera veſtra bona, & Diuus Paul. ſcribens Timotheo Epiſcopo illum exortatur dicens, Exemplum eſto fidelium in verbo: in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Cum ergò præpoſiti, & commendatores ſint Dei miniſtri, & in aula regia Dei conſtituti: idcircò, tanquam miniſtri, & famuli regis, qui pulchrius, & cum ſplendore incedunt, cæteris alijs de media plebe, pariter & ipſi Antiſtites, & Commendatores pulchriorem ornatum in opere, & ſermone geſtare debẽt. Eſt namque præpoſitus, veluti liber ſcriptus intus, & foris, in quo ſubditi, noctu diùq; ore, & mente legunt, quæ ad ipſorum vitæ inſtitutionem ſunt neceſſaria. Sic fiet facilè, vt corripiat inquietos, cuius vita in magno precio eſt, & cuius authoritas maximè timetur. Circa correctiones igitur ſubditorum nulla ratione debent eſſe negligentes præpoſiti: Nam vt egregiè dixit D. Iſidorus negligentes prælati, & Antiſtites aßimilantur viro dormienti, è cuius manu paſtoralis baculus labitur, & defluit. Vndè Chriſtus primum Eccleſiæ Paſtorem D. Petrum eius vicarium ad euigilandum ſuſcitauit dicens, Simon dormis? Quocirca præpoſitus, & commendator neceſſe eſt, inquietos corripiat, quia non iraſci, vbi iraſcẽdum eſt, peccatum eſt iuxta Diui Bernardi ſententiã. Sunt enim, qui ignauiæ ſuæ excuſationem adijciunt, aientes ſubditos magis benignitate quam ſeueritate regendos, & ij ſunt veluti Antiſtites, & Epiſcopi emortui, penicillo in pariete depicti, qui exteriori illo ornatu, & baculo paſtorem repræſentãt, baculum tamen, quo nunquam vtuntur manu tenent. Et de ignauis, & negligentibus prælatis atq; principibus in corrigendis ſubditorũ culpis vehementer iraſcitur Dominus ad Moyſen dicens, Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, quod vel facilè oſtenditur exemplo Heliæ ſacerdotis: vnde Prouerb. 29. dicitur, Virga, & correctio tribuit ſapientiam: ergo ſicut ouis morbida inficit gregem, niſi ſanetur: ita peccatum incorreptum. Verumtamen hæc oportet facere, illa verò non omittere, nam qui locum tenet regimiuis mala inferre non debet, ſed tolerare, vt ex ſua manſuetu-*

Matth. 5.

Prouer. 29.

mansuetudine iracundos valeat mitigare. Sunt enim præpositi, qui eam austeritatem prætendunt in verbis, in vultu, & in factis, vt subditi ob id facilè succumbant, nullam apud eos consolationis gratiam, aut verborum lenitatem reperientes: Attendenda igitur est sententia Dei dicentis, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Sanè decerno, Diuum Augustinum præfatam regulæ sententiam accepisse ex Ezechiele Propheta dicente, Væ pastoribus Ezech. 14.
Israel: qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat occidebatis. Gregem autem meum non pascebatis.

Et statim, Quod infirmum fuit non consolidastis: quod confractum non alligastis: quod ægrotum, non sanastis, & quod abiectum non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis. Debet igitur prælatus fieri omnia omnibus, vt inquit Paulus, vt suscipiat infirmos, corrigat inquietos, & patiens sit ad omnes.

Et quamuis vtrumque sit necessarium: tamen plus amari à vobis appetat, quam timeri, &c.

Sunt enim duo necessaria, quæ rector, & præpositus exhibere debet subditis. Oportet enim interdum timorem: & aliquando amorem subditis propinare: timorem inquam, his qui superbæ & duræ mentis sunt, amorem autem eis qui libenter & humiliter resipiscunt. Vnde Ecclesiastic. quarto legimus, Noli esse sicut leo in domo tua euertens subiectos tuos, & opprimens eos. Vndè licet sit necessarium Commendatoribus quod timeantur, id tamen ob subditorum vtilitatem necessario exigitur. Plærique namque illorum sunt qui frequenter magis timore ducuntur ad bonum. Quod idem Augustinus asseuerauit, cum ait, sicut meliores sunt, quos amor diligit: ita plures sunt, quos timor corrigit. Vnde Dominus, qui donauit homini super animalia dominium, immisit timorem super ea, nam Genesis nono dicitur, terror vester, & tremor sit super cuncta animantia terræ. Indecens igitur est, quod quis præsit in republica, & non timeatur ab ea. Et inglorium est regi, si ipsius baculus non timetur: Vndè Petrus Apostolus Actorum quinto, occisis proprietarijs, incussit omnibus timorem. Nam factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia. Et vt timore subditi corrigantur, valdè prodest morum grauitas, & authoritas rectoris, & baculus iustitiæ: quandò è iustitia non flectitur. Nam & ob eam causam Herodes Ioannem metuebat, etiam dum in vinculis eum detinebat, sciens ipsum virum iustum, & probum.

Sunt qui dicant, quod si præpositus magis amari, quam timeri debet, omnia sunt tranquille adeò, & pacificè peragenda: vt neq; oporteat iustitiæ virgam ferream erigere, neq; durè agere, & in ore quorundam semper versatur. Prælatus plus amari appetat, quam timeri. Et ita fit, vt in subditis pereat

disciplina. Nam cum omnia dicant bene se habere & pacem atq; pacem repetãt monasterij vita facile relaxatur. Vnde Propheta qui sanctus fuerat deprecabatur Deum. Confige timore tuo carnes meas à iudicijs enim tuis timui. Sanè decerno huiusmodi rectores, & præpositos esse veluti formidines in hortis constitutas, quæ arcum extentum manu tenent, vt timorem auibus incutiant, nunquam tamen percutiunt. De quibus legimus Baruch. vltimo. Sicut formidines sunt in cucumerario. Contra hos dicit Propheta reges eos in virga ferrea, & ad Ephesios. 6. Educate filios vestros in disciplina & correctione Domini. Vnde Apostolus fornicatorem Satanæ tradidit. Et ad imprecationem Petri Apostoli, proprietarij illi subita morte perierunt. Non est enim sapientis medici leni pharmaco semper vti, quia plus interdum corpori prosunt duriora. Nam dolore abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Egregiè igitur Paulus Rectores omnes, & Præpositos admonet dicens. Peccantem coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant. Ex quibus colligo, boni Antistitis esse arguere viriliter, ne leges senescant in monasterio, & monastica vita relaxetur, & pereat religionis institutum. Et idcirco optimè dicit Augustinus disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Profectò ob prælatorum oscitantiam, religionis obseruantia calcatur, & ex religiosis monachis, fiunt nonnunquam perditi seculares, quo nihil peius, proh dolor. Verum sic Rector, & Commendator incedat, vt quod ex se est, boni regiminis curam habens, & exercens: magis amari appetat. Nam quantò prælatus plus diligitur, tantò plus auditur. Vnde Christus discipulis suis dixit. Iam non dicam vos seruos sed amicos. Cum ergò nihil amanti difficile sit, magis appetat prælatus amari quam timeri.

Domingui llos. Baruch. vl.

Semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Verè dicitur, quod qui præest, in solicitudine præest, nam præpositus semper cogitare debet de pertinentibus ad statum, & qualiter sit pro subditis Deo redditurus rationem exemplo Saluatoris, qui Ioan. 18. loquens ad Patrem ait. Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Quocirca præpositus diligenter attendat erga subditos, vt debitũ reddant fructũ, & ne vllus ab ouili fugiat. Pariter etiã exemplo boni illius pastoris Genes. 31. ait. Oues tuæ, & Capræ tuæ, steriles non fuerunt. Pleraq; alia dicenda essent, nisi breuitati studerem. Vnde concludo nos actione & opere potius quã nomine, id, q; professione promisimus debere nos ostendere. Nã quid prodest nomen, vel habitus, vbi desunt opera religionis. Dñs dixit Hebræis si filij Abrahæ estis opera Abrahæ facite. Pari ergò ratione si Augustini regulã profitemur, regulares nos esse oportet: & religionis filij. Displicet namq; Deo stulta, & infidelis promissio. Quodigitur promisimus, impleamus, ne stulti, & infideles simus apud Deum. Et idcirco crebrò legenda est à nobis Sanctissimi Augustini regula, & assiduè meditanda.

Timenda sententia & formidãda. Ioan. 18.

(?)

INCI-

INCIPIVNT CONSTITVTIONES FRATRVM Sacri Ordinis *BEATAE MARIAE* de *MERCEDE* Redemptionis captiuorum.



QVONIAM ex præcepto regulę iubemur habere cor vnum, & animã vnam in Domino, iuſtũ eſt, vt qui ſub vna regula, & vnius profeſſionis voto viuimus, vniformes in obſeruatione canonicæ religionis inuéniamur. Ita, vt vnitatẽ quę interius ſeruanda eſt in cordibus foueat, & repræſentet vniformitas exteriùs ſeruata in morib⁹. Quod profectò eò perfectiùs, & pleniùs poterit obſeruari, ſi ea, quæ agẽda ſunt, ſcripto fuerint cõmendata: vt ſic omnibus qualiter ſit viuendum (ſcriptura teſte) innoteſcat. Etſi mutare, vel addere, vel minuere nulli cuiquam voluntate propria liceat: ne ſi minima neglexerimus, paulatim à maximis decidamus. Adhęc tamen in conuentu ſuo commendator diſpenſandi cum fratribus habeat (niſi iure prohibitis) poteſtatem, cum ſibi rationabili cauſa videbitur expedire. In his præcipuè, quæ diuinum officium, vel captiuorum redemptionem vel ordinis commoditatem, videbuntur impedire: Cùm ordo noſter, qui à ſummis Pontificibus, Ordo Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum inſcriptus eſt, ſpecialiter ob diuinum officium, & redemptionem Chriſtianorum captiuorum ab initio noſca-

tur fuiſſe inſtitutus. Et ſtatus noſter ad hoc debeat principaliter, ac ſolicitè intendere, vt captiuos Chriſtianos de manibus Paganorum cum eleemoſynis Chriſti fidelium ſemper debeamus redimere. Et vt tam circa diuinum officium, quam circa eandem captiuorum redemptionem animabus proximorum poſsimus vtiles eſſe. Commendatores etiam vtantur diſpenſationibus, vt alij fratres, prout eis à magiſtro ordinis, & capitulo fuerit de iure permiſſum. Vt igitur vnitati, & paci totius ordinis prouideamus: volumus, & declaramus, vt regula & conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnã, niſi propter præceptum, vel contemptum. Nullis itaque pœnis poſitis in conſtitutionibus, vel extra (niſi ſit pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vel niſi ſpecialiter ſuperueniat declaratio prælati) erit aliquis ſubiectus. Præceptum verò in regula, aut in conſtitutionibus, aut prælatorum verbis, nullum contineri volumus, niſi quod natura ſua eſt, ratione voti eſſentialis, vel diuinæ, aut Eccleſiaſticæ legis, & niſi exprimatur ſententia excommunicationis latæ ſententiæ, aut dicatur, Præcipimus in virtute obedientiæ, ſi grauitas materiæ permittat, & vt multitudo cõſtitutionum euitetur, prohibemus, ne aliquid de cætero ſtatuatur, niſi per duo capitula prouincialia, vel generalia continua fuerit approbatum, & tunc in tertio immediatè ſequenti poterit confirmari, vel deleri per magiſtrum, vel prouincialem cum definitorio: interpretationes autem regulę, vel conſtitutionum factæ à generali capitulo, non habeant vim conſtitutionis, niſi per tria capitula approbentur. Hunc librũ in duas diſtinctiones partiti ſumus. In priori, quæ ad religioſos: In ſecunda verò, quæ ad domos & ordinem ſpectant continentur.

SCHOLIA AD CONSTITVTIONUM proœmium, mirabile, et grauiſsimum.

SAné quatuor ſunt, quæ in regula Auguſtini, & conſtitutionibus ordinis ſanctè continentur, & hæc quidem ſunt veluti capita præcipua, ad quæ omnia reducuntur. Et in primo ordine ſunt actus virtutum, qui ſunt in præcepto, vt dilige-

vt diligere Deum, *& proximum. In ſecundo ordine ſunt actus virtutum, qui communiter ſunt in conſilio, vt diligere inimicos in ſpeciali. In tertio ordine ſunt obſeruantiæ exteriores, quæ ſunt prima materia quatuor votorum, quæ in profeßione emittuntur, vt caſtum eſſe, obedientem, & nihil proprium habere, & in poteſtate Sarracenorum, ad redemptionem Chriſti fidelium ſi neceſſe fuerit, detineri, & in excambium tradi, pro Chriſti fidelibus. In quarto denique ordine, reliquæ exteriores obſeruantiæ regulares continentur, vt ſilere, abſtinere à carnibus, & non vti lineis ad carnem, &c. Quod ſi ſermo fiat de primo genere rerum: certum eſt, quod illarum tranſgreßio mortalis eſt. Vnitas namque cordium, in his quæ* Dei *ſunt, iuxta præſcriptum regulæ eſt in præcepto, ſicut & rerum communitas, & idcirco, circa vnitatem cordium, & communitatem rerum, ſolicita eſt habenda cura. Si autem ſit ſermo, de ſecundo ordine, tranſgreßio non eſt mortalis. Quia illa pertinent ad charitatis perfectionem, quæ eſt finis religionis. Religioſus vero non tenetur eſſe perfectus, licet teneatur tendere ad perfectionem.*

Dicitur tamen hoc loco regulam & conſtitutiones noſtras non obligare nos ad culpam, ſed ad pœnam, niſi propter præceptum, vel contemptum, quæ ſanè exceptio facta eſt, quoniam religioſus tenetur ad charitatis perfectionem tendere, huic verò viæ contrariatur contemptus perfectionis. Quod ſi loquamur de tertio genere & ordine rerum, tranſgreßio eſt mortalis, obligant enim ad mortale quatuor illa religionis, & ordinis noſtri vota. Tandem ſi fiat ſermo de quarto genere rerum, quæ in conſtitutionibus habentur, tranſgreßio earum non eſt mortalis, niſi propter regulæ contemptum. Quia hic contrariatur profeßioni directe, qua religioſus vir, ſe ipſum obligat viuere ſecundum regulam. Aut niſi propter eiuſdem regulæ, & prælati, ſeu commendatoris præceptum. Quia tunc eſſet obedientiæ votum tranſilire. Et ex his colligo religioſos omnes: præter communia præcepta Chriſtianorum omnium, & leges, & præter tria, vel quatuor religionis vota, & præcepta poſita vel à præpoſitis, vel à regula quæ ſub obedientiæ voto comprehenduntur: duplici vinculo peccati mortalis teneri, propter contemptum, nempe propter contemptum perfectionis, & propter contemptum regulæ. Et quia regulæ contemptus eſt nolle ſubijci regulæ, quod directè profeßioni eiuſdem regulæ contrariatur, idcircò de hoc nihil dubitare oportet: liquet enim Deum *contemni in ipſa regula, qui eam per miniſtros ſuos donauit, & cui facta eſt promiſſio de ſubiectione ad eam: Sed attendite fratres dilectiſſimi, quod religioſus non aliter tenetur ad perfectionem tendere, quam ſeruando regulam, & conſtitutiones ordinis, & idcirco impoßibile eſt, quempiam contemnere perfectionem, & non contemnere regulam ſuæ profeßionis. Quod ſi non contemnit perfectionẽ, conſequens eſt, vt velit ſubijci regulæ, qua tendere ad perfectionem tenetur. Quocirca ſicut ex voto profeßionis tenemur caſte, & ſine proprio, & ſub vnius generalis Prælati obedientia viuere, ita & in*

exterioribus obseruantijs, & ceremonijs, in ieiunijs, & abstinentijs, atq; alijs statutis, quæ ad splendorem & decorem religionis canonicæ, seu regularis vitæ pertinent vniformes esse. Et idcirco multitudo legum, & constitutionum, quantum fieri potest fugienda est.

Et sic mutare, vel addere, vel minuere, nulli quidquam propria voluntate liceat. Ne si minima neglexerimus paulatim à maximis defluamus. *Certe etiam statuta quæ ad ornatum & decorem regularis vitæ pertinēt licet minima videantur non sunt prætermittēda, Nam transgressio illorum ex negligentia, non est sine veniali culpa, quæ cum ad mortale disponat, optime dicit, ne si minima neglexerimus paulatim defluamus.* Et attendere debemus verba illa quæ sic habent, *Nulli liceat quidquam propria voluntate mutare, vel addere, vel minuere. Nam circa religionis nostræ statuta, generale capitulum valet quidem addere, mutare, minuere, & decernere. Sic enim in antiquis constitutionibus habetur in dist. 2. Statuimus quod generale capitulum de triennio in triennium in ordine nostro fiat duabus, scilicet vicibus successiue in prouincia Cathaloniæ. Tertia vero vice in prouincia Castellæ & Portugalliæ. Verum in omnibus & singulis, quæ pro toto nostro ordine, in generali capitulo fuerint ordinanda, constituenda, destituenda, mutanda, addenda vel diminuenda, laudanda, approbanda & confirmanda, per Magistrum ordinis & omnes diffinitores tractentur, ordinentur, constituantur, diffiniantur, & approbentur, ac corroborentur. Et quidquid per eosdem generaliter fuerit statutum, & ordinatum, in scripta redigatur: & vniuersaliter in nostro ordine obseruetur. In quo pacto religio, habet exprimæua sui institutione, autoritatem mutandi, addendi, constituendi, & de nouo definiendi. Nulli tamen particulari, ex fratribus ordinis, aut commendatori: licet mutare, addere, aut minuere, ex religionis sanctionibus statutis, ordinationibus aut constitutionibus, sed id generali capitulo reseruatur.*

Adhæc tamen in conuentu suo commendator dispensandi cum fratribus habeat, (nisi iure prohibitis) potestatem, &c. *Certum est, quod si in in regula statuatur, id quod de iure positiuo communi pariter decernitur, tunc sane illius regulæ professor duplici titulo, & vinculo tenetur, ad id seruādum, nempe iuris canonici, & suæ regulæ quam profitetur. Nam si in regula, aut in constitutionibus indicuntur, inter alia religionis ieiunia, etiam ea quæ sunt ab ecclesia instituta, tunc sanè religiosus frater, non solum ex ecclesiæ statuto, tenetur ieiunare, verumetiam ex suæ regulæ mandato. Pari etiam ratione, si Dei præcepta in constitutionibus religionum statuantur seruanda: professor illius regulæ ex duplici capite tenetur ad illa seruanda: nempe ex diuino iure, & ex sua regula. Nolo autem dicere, quòd omnia præcepta Dei contenta in constitutionibus cadant sub præcepto regulæ, quia fieri potest, vt sub simplici statuto regulæ contineātur. Ita quidem q, ex solis cōstitutionibus non haberent vim præcepti, si cessaret vinculū diuini, aut ecclesiastici iuris vel præcepti. Quod ergò hoc loco decernitur est, commendatorem habere potestatem dispensandi*

cum

cum fratribus in his, quæ ſub ſimplici ſtatuto regulæ continentur, non tamen in his quæ non ſolum cadunt ſub ſimplici ſtatuto regulæ, ſed etiam ſub iure aliquo diuino, vel naturali, vel Eccleſiaſtico. *Et quidem cum dicitur commendatorem poſſe diſpenſare, nomine commendatoris intelligitur, vel commendator ipſe, vel ille, qui eo abſente, curam habet animarum, & præſidet in conuentu. Vicarius verò facultatem non habet diſpenſandi, quia prælatus non eſt ſecundũ proprietatem ſermonis. Verum ex ſpeciali commiſſione poterit aliquandò in caſu diſpenſare. Quò fit vt præſente commendatore, vicarij non habeant ius diſpenſandi in conuentu.*

Nouerint tamen commendatores, & ſuperiores præpoſiti religionis, quod facultas diſpenſandi, illis eſt donata & conceſſa, vt ea vtantur, prudenti, honeſta, & rationabili cauſa exiſtente, qua ceſſante, peccat prælatus diſpenſando, ſed iure vtitur conuentus diſpenſatione facta. Adde etiam quod diſpenſationes non debent eſſe crebræ, nec facile, aut regulariter faciendæ, & multò minùs cũ toto conuentu in communi, niſi ex ingenti cauſa, & hoc perrarò. Quod mirabiliter inſinuauit D Bernardus *in libello de diſpẽſatione, ſic dicens. Votum meũ non augeat prælatus abſq; mea voluntate, neque minuat ſine certa neceſsitate: alioqui remiſsio voti abſq; neceſsitate, non diſpenſatio eſt, ſed diſsipatio. En quo pacto ſi diſpenſationes ſine debita, & prudenti cauſa fiant, diſsipationes, & relaxationes ſunt: imò verò totius ordinis deſtructiones, & ruinæ.* D. Bernard.

Cum ordo noſter, qui à ſummis Pontificibus ordo Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum inſcriptus eſt: ſpecialiter ob diuinum officium, & redemptionem Chriſtianorum captiuorum ab initio noſcatur fuiſſe inſtitutus. Et ſtatus noſter adhoc debeat principaliter, ac ſolicitè intendere, vt captiuos Chriſtianos de manibus Paganorum cum eleemoſynis Chriſti fidelium redimat, &c. D. *Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 25. ſenſit præcipuam, & ſummam libertatem eſſe, proximos à captiuitate liberare, & iure quidẽ ita ſenſit. Quoniam corporis captiuitas animã poſt ſe rapit, quia iter infideles & barbaros non ſemel anima periclitatur, tum propter ingentiſsima pericula, quibus agitantur fideles captiui, tum etiam, quia prohibentur àdebita Chriſtianæ religionis obſeruatione. Et rurſus quoniam à fide Chriſti deſerenda turpiter incitantur. Cum ergò hæc ſit ſumma miſeria hominum, qui cum à* Deo *fuerint in ſumma libertate creati, dum in Sarracenorum poteſtate detinentur, miſerrime viuunt, & cum ſe ipſos non poſsideant, in ſumma paupertate degunt, ob id liberare proximos ab hoc ſummo malo,* Diuinum *opus, & heroicum eſt, vt* D. Gregor. *docet. Profectò in hoc opere redimendi, & liberandi proximum à ſumma miſeria, & calamitate, in qua viuit, includuntur cætera miſericordiæ opera. Qui enim proximum liberat à dura ſeruitute infideliũ, & à poteſtate inimicorum Chriſti eũ redimit, ille proximum inſtruit, & docet, ille proximum eſurientem cibat, & ſitientem ad aquas perducit, ille nudum operit, ille afflictum conſolatur, ille periclitantem in fide, & ſalute animæ* D. Ambro. Indict. cap. 23.

in viam facit redire iustitiæ, ne tot ac tantis periculis agitetur. Quocirca Iusti-
Iustin. Imp. nianus Imperator in. l. sancimus. C. de sacrosancta Ecclesia, præcepit, vt vasa sacra templorum, aurum etiam, & argentũ totius reipublicæ & diuitiæ omnes expenderentur in redimendis & liberandis captiuis à potestate inimicorũ Crucis Christi. Quid moror in re hac mirè laudãda, Nam & in populo Gentilium, tanquam perfectionis opus clarissimum captiuorum redemptio, & liberatio satis colitur. Quintus Fabius vniuersa vendidit, quæ possidebat, vt conciues suos
Valer. Max. lib. 4. à potestate inimicorum in patriam propriam reduceret, Cuius rei testis est Valerius Maximus, vt ipse retulit. Ius ciuile plerisq; locis multis & verbis, & encomijs redemptionis opus laudat, & fauoribus prosequitur. Cum enim opera Christi fuerint instructio nostra, facilè dignoscitur perfectio huius operis de redimendis Christianis captiuis, in eo quod maximè assimilatur ingẽti bono, quod Christus mundo in summa miseria iacenti donauit, cum carne vestitus humana factus homo se redemptorem omnium præbuit, vt à potestate dæmonis liberaret. Et quidem de perfectione huius instituti plærasq; diximus de initio & fundatione ordinis scribentes. Et rursus alia, & maiora dicemus in distinctione prima constitutionum.

Vt igitur vnitati & paci totius ordinis prouideamus, volumus & declaramus, vt regula & constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum. Ne scrupulorum procellis religiosorum conscientia graniter agitaretur, sed potius frueretur pace, & tranquillitate quadam, idcircò in exordio religionis nostræ sanctum est, & ab institutoribus stabilitum, constitutiones ordinis non obligare nos ad culpam, sed ad pœnam. Quod sanè intelligo de cõstitutionibus, quæ sunt præcisè, & purè constitutiones, videlicet quandò nec habent præceptum annexum neq; id, quod in eis continetur est alias diuina lege vel humana prohibitum, vel præceptum. Ex vi ergò constitutionum præcisè, non ad culpam, sed ad pœnam in constitutionibus præscriptam, vel à commendatoribus imponendam, vel taxandam obligamur, quã si subditi ferre recusauerint à vera culpa immunes non sunt. Quocircà fratres omnes ordinis nostri, cum liberè, & voluntariè huic legi se subiecerint in professione, vt licet ad culpam non obligentur, pœnis tamen se subiecerint: idcircò ad subeundum pœnas tenentur. Vnde prudenter professores ordinis nostri in professione sua non promittunt seruare regulam, sed obedire secundum regulam & constitutiones ordinis, vt egregiè adnotauit Doctor
S. Thom. Sanctus. 2. 2. & quodl. 1. q. 9. art. 4. Et idcircò tota ratio legis obligantis, nõ ad culpã, sed ad pœnã, est quia tali modo placuit ipsis institutoribus nos obligare. Rursus dilectissimi fratres obseruare oportet, q. quandò dicitur, constitutiones nostras non obligare nos ad culpã, sed ad pœnã, non sumitur pœna, vt distinguitur contra opus pœnale, sed vt distinguitur contra culpam: prout malũ pœnæ distinguitur contra malum culpæ: & sub se continet non solũ propriè pœnã, verumetiam opera pœnalia, seu pœnalitates. Sanè afflictiones, & pœnalia opera,

quæ

quæ nõ pro culpa iuſtiguntur, licet propriè non ſint pœnæ: dicuntur tamẽ quædam pœnalitates, quæ cõmuni vocabulo pœnæ vocantur, quia cõſiſtunt in quodam pati, & in quadã priuatione boni, & ſunt cõtra voluntatẽ, & ob id qui cõtra purã conſtitutionem agit, ſecluſo omni contemptu ſine culpa, pœnã incurrit ſeu ad opus pœnale obligatur. Ex dictis colligo, q, tranſgreßiones conſtitutionũ vt ſic, ex ſuo genere nõ ſunt culpæ. Nã ſenſus prædictorũ verborũ, & legis obligantis ad pœnã, & nõ ad culpã, eſt ſtatuere actũ à conſtitutione prohibitũ eſſe extra genus culpæ, nõ qualicunq; ratione, ſed ex ſuo genere. Et nihilominus poſſent religioſi venialiter peccare, ſi vel ex negligẽtia, vel ex væcordia operẽtur & tranſgrediantur ſtatuta, vel mortaliter ſi ex contẽptu ſint tranſgreſſores.

Dicitur præterea, q, conſtitutiones noſtræ nõ obligẽt nos ad culpã, ſed ad pœnã, niſi propter præceptũ, vel contemptũ. Ex quibus verbis liquet, q, cõmendatores in conuentibus, poſſunt ex rationabili cauſa, in his quæ ad regulã, vel conſtitutiones explicitè, vel implicitè pertinent, præcepta verbo, & ſcripto ponere: & hæc tranſgreſſores obligabunt, non tantũ ad pœnã, ſed ad culpã mortalẽ. Quoniam ex profeßionis noſtræ voto, tenemur regulã & conſtitutiones non contẽnere, & præceptis cõmendatoris, aut magiſtri generalis, & prouincialis debitè obedire, in his quæ ſunt ſecundũ regulam, & conſtitutiones. Et ob id maturo conſilio, & ingenti deliberatione ſimilia præcepta imponi debent. Et pariter propter contemptũ, religioſi peccare poſſunt mortaliter, & idcircò conſtitutionum tranſgreßio ex contemptu facta, culpã mortalẽ inducit. Vndè Sanctiſſimus Bernard dixit. Neglectus ſemper culpabilis eſt: contemptus vero dãnabilis. Siquidẽ contẽptus dicitur, quandò nulla exiſtenti cauſa ex ſola inobedientiæ voluntate, quis conſtitutionẽ tranſgreditur, quia renuit ſubijci ſtatuto ſuperioris, & vult ſe non ſubijcere legi. Ille tamen renuit ſubijci legibus, & ſtatutis, qui firmum habet propoſitum non ſeruandi conſtitutiones, & ob id nulla exiſtente cauſa deliberato animo eas tranſgreditur, cum intentione perſeuerandi, & minimè admittendi pœnitentiam à conſtitutionibus præſcriptam, vel à ſuperioribus decernendam. Vndè decerno, quod vt religioſus dicatur peccare ex contemptu exigitur, quod peccet ex hoc quod non vult ſubijci legi: ſeu regulæ, vel præpoſito, aut prælato, nam prælatus lex eſt animata. Et idcircò ſiquis voluntate ſua retinet ſubiectionem ad regulam, quamuis ex minus bona voluntate intendat tranſgredi eandem regulam, nunquam dicitur peccare ex contemptu. Animaduertat tamen religioſus frater, ne ex conſuetudine peccandi, & tranſgrediendi regulam & conſtitutiones paulatim diſponatur ad voluntatem non ſubijciendi ſe regulæ & conſtitutionibus, Quoniam, vt in exordio huius procœmij prudenter dicitur cõſuetudo peccandi, & operandi contrà regulam diſpoſitiuè inducit ad contemptum, ſicut veniale ſæpius repetitũ, ſi non emendetur, diſpoſitiuè inducit mortale. Tenemur ergò fratres dilectiſſimi veram retinere voluntatẽ ſeruãdi conſtitutiones, eo quidẽ fine, vt ſi nõ ſeruauerimus, pœnitentiã præſcriptam impleamus. Et ob id, vt liberẽtur à culpa tranſgreſſores, id requiritur,

vt retentâ voluntate in communi seruandi constitutiones, velint, si eas transgrediantur pœnitentiam præscriptam, aut præscribendam implere. Ex his sanè planè intelligentur, quæ sequuntur verba in contextu proœmij, quod interpretamur, & idcirco vlterius progredi oportet.

Et vt multitudo constitutionum euitetur, prohibemus, ne aliquid de cætero statuatur, nisi per duo capitula prouincialia, vel generalia cõtinua fuerit approbatum: & tunc in tertio immediatè sequenti poterit confirmari, vel deleri, &c. *Quamuis neq; solus prouincialis, neq; solus magister ordinis possint efficere nouam constitutionem vim constitutionis habentẽ, quoniam ad constitutionem efficiendam, necesse est concurrant tria capitula generalia continua, aut vnum capitulum pontificia authoritate specialiter instructum, quod æquipollet tribus generalibus continuis: nihilominus generalis magister, in toto ordine, & prouincialis in sua prouincia possunt ordinationes facere speciales quæ suo tempore durabunt, & secundum eas commendatores debent corrigere subditos; in quibus pariter dispensare possunt commendatores. Nam si dispẽsare possunt in nonnullis constitutionibus antiquis totius ordinis, cur non poterunt id ipsum efficere ex rationabili, & debita causa in specialibus ordinationibus, quæ vim constitutionum non habent? Licet pro bono regimine introducantur, & ordinentur, & obligent in suo genere?*

INCIPIT PRIMA DISTINCTIO.

CAPVT PRIMVM

De officio Ecclesiæ.

AVdito primo signo surgant fratres, & ante pausationem secundi, ad Ecclesiam conueniant omnes, & pro tempore officium de Beata Virgine stando ab omnibus in choro dicatur. Matutinas autem, & missam, & omnes horas canonicas simul audiant, & recitent fratres nostri, nisi cum aliquibus ex causa commendator dispensset. Officium verò tam in choro, quam in altari fiat iuxta breuiarium, & missale Romanum, tã in essentialibus, quam in cæremonialibus: ità tamen, quod vbi cæremoniæ Romanæ cæremonijs nostri ordinis non contradicunt ordinarium ordinis omninò seruetur. Et horæ omnes tàm diei, quàm noctis in Ecclesia breuiter, & succinctè ità dicantur, ne fratres deuotionem amittant. Quod ita dicimus esse faciendum, vt ante plenam terminationem versus alter non incipiatur: & in medio versus metrum cum pausa seruetur, nõ protra-

protrahendo vocem in pauſa, vel in fine verſus, ſed ſicut dictũ eſt breuiter, & ſuccinctè terminetur, Hoc tamen magis, & minus pro ſolennitate temporis obſeruetur. Solus hebdomadarius Cappa ſerica tam in choro, quam in proceſſione vtatur. Et fratres nuſquam (niſi maximæ neceſsitatis cauſa) baculos in manibus portent. Plura Cymbala in Eccleſijs noſtris habere poſſumus. In omnibus verò alijs, ſeries ordinarij à fratribus noſtris omninò obſeruetur.

Scholia Capitis Primi.

Horæ, diſtinctè & cum debitis punctis, & attentè, tam in choro quam extra chorum perſoluantur. Cæterum non requiritur actualis attentio per totum officium, neq; rurſus ſufficit ſola habitualis attentio, ſed requiritur virtualis quæ ex proxima attentione & præcedente propoſito, per totũ officium continuatur & ſequitur: vt ſiquis cum attentione voluit horas perſoluere, & deinceps diuagatur. Secus tamen eſſet ſi volens, ſeſe occuparet in aliquo opere diſtractiuo attentionis, tunc enim non haberet virtualem attentionem, ſed ſolã habitualem & non ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ.

Fratres omnes ordinis noſtri non ſolum ſacerdotes & ſacris initiati, verum etiã omnes illi qui choro deputantur, poſt emiſsionem profeſsionis, tenentur ſub mortali recitare quotidie ſeptem horas canonicas: iuxta conſuetudinem ordinis & normã. ¶ Quod pleriſq; titulis teneatur religioſus orare, res eſt, quæ à nemine ambigitur. Sanè cum Deus populum dilectũ eduxit ab Ægypto, ne recordatus prandiorum & ciborum quibus ſuauiter dum apud Ægyptios conuerſaretur veſcebatur: redditum in Ægyptũ rurſus curaret: Donauit Hebræis celeſtem & ſuauiſsimum cibum dapibus omnium rerum & epulis refertum. Sic ergo religioſus frater, vt viriliter & fortiter viam & ſolitudinem monaſterij, & religionis peragrare poſsit, indiget cibo cæleſti & diuinis epulis, ſe ſtrenue, ac iugiter aſsiduis meditationibus & orationibus muniendo. Oratio namq; eſt eleuatio mentis in Deum, & in ea loquitur cum Deo, is, qui orat, quo nihil fœlicius in hac vita exoptari poteſt. Nam præter quam quod oratio mentem eleuat tribuit pariter nobis. Quaſi arma bellica vt hoſtem ſuperemus. Et Deus ipſe precibus noſtris flectitur: Nam ipſe nobis præcepit orare. Si enim quid petierimus patrem in nomine Chriſti dabit nobis. Vnde & ipſe Chriſtus ſeruator noſter dixit. Petite & accipietis. Et nos docuit orare, orationẽ tradens dominicã Quam ſuaue ſit loqui cum Deo, quam turpe diuertere eloquia ad creaturas, & creatoris conuerſatione & eloquio carere: ſolus ille qui aſsiduè orando crebro loquitur cum Deo: plane valet percipere. Profectò vt populus Dei, Hoſtes

Exod. 7. eius posset debellare atq; vincere, Moses eleuatis manibus in cælum Dominum orabat, & ab oratione egrediens, victor & inimicorum debellator & triumphator semper euasit. Mose vero non orante sed manus deprimente, populus Dei tremens superabatur. Quod quidem artificiose nobis satis adumbrauit Lucas Euangelista, capit. 18. exemplo illo viduæ, quæ cum assidue petendo vindictam de aduersario suo, molesta esset iudici qui nec Deum timebat, neq; homines reuerebatur, nihilominus exaudita est, quia in petitione perdurauit & molesta fuit illi. Vnde iudex ille, qui neq; homines reuerebatur neq; Deum timebat sic locu-

Lucæ. 18. tus est. Etsi Dominũ non timeo neque homines reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua vindicabo illam. En fratres dilectissimi quid orationes & petitiones nostræ iugiter fusæ prosunt. Vnde sic Deũ placare solent vt & ipsæ plæ raq; à nobis arceant mala & supplicia & indignationẽ à nobis auertant. Per motus enim Moysi serui sui precibus dicebat, Dimitte me vt irascatur furor meus. Origines Hom. 13. super Numeros refert, quod cũ Moab Rex, audiuisset à quibusdam, populum Dei solitum esse hostes suos vincere orationibus & precibus multomagis quam viribus & armis, contendebat solicite inuestigare, & inuenire orationes atq; preces, quæ potentiores & validiores essent cum Deo, quam illæ quæ ex populo Dei fundebantur ad dominum, vt ipse triũphator & victor euasisset. Equidem magni valoris est oratio cum Christus ipse nobis orãdi modum & orationem præscripserit. In primitiua Ecclesia in fine cuiuslibet horæ, loco orationis, quæ modo recitatur de tempore, aut de sanctis, ea quidem canebatur oratio à Christo instituta, Paternoster qui es in cœlis, &c. non quidẽ depressa voce sed sonora & eleuata. Et hinc inualuit debita consuetudo vt quãuis aliæ orationes sint adiectæ: semper tamen in fine horarum dicatur eadem Dominica oratio. Deinceps hymnis, psalmis, versibus, & plærisq; aliis orationibus, orare cõsueuit Ecclesia. Orationes autem nouiter introductæ, quæ indoctas & ignorantes continent sententias, aut superstitiosos titulos, merito sunt abolitæ & relegatæ ab Ecclesia. Patres illi sancti in eremis Ægypti degentes, spiritu Dei pleni, semper erant orationibus intenti. Vnde secundus Plinius Traiano Imperatori enarrauit, quo pacto Christiani semper orarent: & quomodo diluculo ante solis ortum surgebant, vt Dominum orarẽt. Verum feruor hic & ardens spiritus, mirum in modum refrixit in religiosorum animis. Et idcirco intra viginti quatuor horarum spatium, septem horas canonicas solum recitare tenemur. Verumtamen in primitiua Ecclesia distinctis vigilijs noctis, in prima secunda & tertia vigilia, nocturnæ effundebantur preces, & orationes Sic inquam vt noctis tempus in quatuor diuisum partes orantibus fratribus, aut sacerdotibus inseruiret. Quod siquis antiquorum patrum solicitam curam, & iugem orandi fuerit meditatus. Plane videbit quã misere omnia hodierna die peraguntur. Neq; poterit se à lachrymis tẽperare. Quãta cura bone Deus adest in fratrũ animis vt horæ celeriter finiantur. Quãta cura rursus vt vigiliæ noctis non seruentur, neq; custodiantur, vt ociose multo tempore degant, vel vt so-

ris

ris in ciuitate sæpius perambulent. Vel vt cum sæcularibus initis amicitijs, cõ fabulationibus & loquelis diu versentur extra monasteriũ. Cũ tamen cænobia ad id fuerint instituta, vt religiosi fratres monasticã vitã & religiosam ducentes, choro, Psalmis, & orationibus dediti, diutius assistant. Ex his colligo primo q religiosus eò ipso q professionẽ emisit & deputatur choro tenetur sub reatu mortalis culpæ septem canonicas persoluere horas: licet is non sit sacris initiatus. Colligo.1. *De quo non licet dubitare. Secundo colligo cõmendatores grauiter peccare si propria authoritate dispensent cum conuentu ne media nocte matutinæ recitentur, potissime cũ grauissima pœna absolutionis ab officio sit imposita cõmẽdatoribus, qui in re hac negligentes reperiuntur. Hi sane non pastores vigilantes super gregẽ suũ dicũtur, sed cõmendatores & pastores dormientes nũcupari debent, qui excusationem prætendunt ex inclementia cœli. Tertio colligo, quod requiritur debita attentio in recitatione horarum vt satisfaciat religiosus præcepto Ecclesiæ, vt id versetur in corde, q profertur in ore, vt Aug. in regulæ docet, Ita sanè, vt saltem inter orandi initia, intẽdat, & velit attente orare, & non distrahere animum, neque diuertere ad alia. Quarto colligo, q si forte quis versum, vel Añam, vel memoriam, omiserit, vel inuerso ordine aliquando horas persoluerit, nempe primã post tertiã, &c. non mortaliter peccat, sed venialiter, imò aliquando in casu posset à peccato excusari. Quinto colligo, cõmendatores peccare mortaliter si permittant q horæ nõ recitentur in cõmuni, sed in particulari à singulis seorsum, sunt enim in cõmuni, & in choro persoluẽdæ, in monasterio. Et huius rei cura incũbit cõmendatoribus. Tãdẽ in iure canonico. c. licet, extra de vot. traditur magna ex parte id q superius diximus. Vnde infertur, q vbi nõ esset chorus in cõmuni ibi nõ esset propriè religio. Cũ. n. in professione, religiosus statum orãdi, & contẽpladi profiteatur, id exposcit necessario status religionis in religioso viro, vt ad orandũ teneatur secũdũ suæ regulæ institutiones. Et id omnes Theologi & iuris canonici prudẽtes decernũt. Laici autẽ fratres qui nõ deputãtur choro: & nouitij qui nõdũ professionẽ emiserunt, non tenentur sub mortali ad suas horas persoluẽdas. Sed quæ in constitutionibus habẽtur, de horis fratrũ laicorum, solum ex vi constitutionum, debent implere, & non obligantur sub mortali.*

Colligo.2.

Colligo.3.

Colligo.4.

Colligo.5.

CAPVT SECVNDVM. De inclinationibus.

AD matutinas, & ad alias horas, cũ fratres in chorũ venerint, genuflectãt ante altare, & ad suas sedes veniãt, & flexis genibus, versis vultibus ad altare tacitè orẽt: & facto signo à prælato officiũ de B. Virgine ꝑ tẽpore dicãt. Quo finito flexis genibus, vel inclinati profunde, pro tẽpore, dicãt Paternoster, Auemaria, & Credo in Deũ. Et iterũ facto signo à prælato surgãt oẽs: horaq; duote incepta versi ad altare muniãtse signo crucis, & ad Gloria Patri inclinẽt chorus cõtra chorũ ꝑfunde vel

prosternant se pro tempore, vsque ad, sicut erat. Hoc etiam faciendum est, quoties Pater noster, & Auemaria, & Credo in Deum dicuntur: nisi in missa. Item, ante lectiones, & in gratiarum actione inclinamur solum ad Paternoster, & ad retribuere. Idem etiam faciendum est ad primam orationem in missa, & ad orationem primam post communionem, & similiter ad orationem pro Ecclesia, & in singulis horis ad orationem, & ad Gloria Patri, quoties in inchoatione dicitur. Ad cætera autem Gloria Patri, & ad extremos versus hymnorum, & ad penultimum versum cantici Benedicite, inclinamur vsque ad genua: & quando cantatur Gloria in excelsis, ad Suscipe deprecationem nostram: & quãdo cantatur Te Deum, ad Te ergo quę sumus: & in benedictionibus lectionum: & in benedictione post completorium, & ad orationem Dominæ nostræ. Item, in preciosa, siuè dicatur in capitulo, siuè in choro, ad orationẽ Sanctæ Mariæ: & semper quando nomen Iesus, vel Beatæ Virginis nominatur: & in præfatione, ad Te in veneratione Beatæ Mariæ: & cum dicitur, gratias agamus: & in fine antiphonæ Salue regina, quandò nomen Mariæ dicitur. In omnibus autẽ orationibus, in quibus, nec inclinatio, nec genuflexio præcipitur, stent fratres versis vultibus ad altare. Hora itaq; prædicto modo incepta, postquam ad Gloria Patri, post venite, inclinati fuerint omnes: stet chorus contra chorum. Deinde ad primum psalmum sedeat vnus chorus, & ad secundum stet: & ità alternatim se habeat chorus cũ choro, vsq; ad Laudate Dominum de cœlis (tunc enim stare debent omnes) & sic faciant ad omnes horas. Finita autem lectione in matutinis, nisi fiat officium de mortuis: ille qui legit intra pulpitum, quod est in medio choro & gradus altaris: inclinationem faciat, vel prosternat se pro tempore. Inclinationibus verò conformemur moribus, & vsui eorum, apud quos diuertimur, seu inter quos versamur. Ad salue sancta parens in missa, & ad Salue regina post completorium, & ad Veni sancte Spiritus, & ad Veni creator Spiritus, in die Pentecostes, & per totam hebdomadam, & in Credo in missa, Ad, Ex Maria Virgine, & Homo factus est,

flecta-

flectamus genua. In ferialibus quoque diebus iacebimus proſtrati, à ſanctus vſque ad agnus. In feſtis verò trium lectionum iacebimus proſtrati ab eleuatione corporis Chriſti, vſque ad Paternoſter: in proſtrationibus idem ſeruamus, in feſto trium & nouem lectionum. Quandò verò prælatus iniunxerit aliquam communem orationem, inclinentur omnes. Similiter omnes faciant, quibus aliquid facere, vel dicere iniunxerit. Si autem aliquam obediẽtiam, vel officium, vel miniſterium cui vis iniunxerit: humiliter proſtratus ſuſcipiat, quod iniungendum fuerit ei. Quando etiam fratri aliquid datur, dicat inclinatus. Benedictus Deus in donis ſuis.

CAPVT TERTIVM.

De ſuffragijs mortuorum.

A Feſto Sancti Dionyſij vſque ad aduentum Domini, pro anniuerſario fratrum, & familiarium receptorũ, per litteras ad beneficia ordinis, Clericus frater Pſalterium, ſacerdos tres miſſas, laici quingenties Paternoſter dicant. Idem faciat quilibet fratrũ pro defuncto fratre ſui conuentus. Idẽ fiant per totum ordinem pro Magiſtro ordinis, & pro eius ſocio, & à cõuentualibus pro ſuo commendatore, & à tota prouincia pro prouinciali, & pro electoribus magiſtri euntibus ad electionẽ magiſtri, ſi aliquem eorum in via, vel in capitulo mori contigerit. Idem fiat pro viſitatore à domibus viſitatis, & quas viſitare deberet, ſi in viſitatione moriatur. Quilibet frater celebret duodecim miſſas in anno pro fratribus defunctis, & quilibet clericus ſeptem pſalmos pœnitentiales duodecies, & quilibet laicus centum pater noſter duodecies dicant, & quilibet conuentus duodecim miſſas in commune dicat. Anniuerſarium Patrum, & Matrum tertia die poſt Purificationem Beatæ Mariæ. Anniuerſarium benefactorum, & familiarium ſequenti die poſt octauam Beati Auguſtini. Anniuerſarium verò fratrum, ſequenti die poſt feſtum Diui Dionyſij eſt faciendum. Anniuerſarium ſepultorum in Eccleſijs, ſiuè cęmeterijs

Si minime est prætermittendus ergo graui ter peccãt non adimplentes.

nostris vbique fiat prima die post octauam Apostolorum Petri & Pauli. Fratres nostri hunc missarum numerum, & mortuorum suffragia minimè prætermittant. Neq; rursus fratres nostri admittant numerum missarum.

Scholia Capitis Tertii.

Tenentur persoluere missas in hoc. 3. cap. contentas fratres nostri, quia ad id ex professione obseruationis cõstitutionum obligamur, & non sunt admittendæ excusationes, & commendatores non possunt impedire fratres ab huiusmodi impletione, neq; sunt sic grauandi fratres, vt implentes quæ aliorum sunt, propria negligant, ad quæ ex sua professione & ex constitutionibus tenentur. A principio & inuetustis cõstitutionũ codicibus sic decernitur, fratres nostri numerum missarum non admittant. Quod sane nõ sine causa sancitur, & in ea re certum esse debet, quod non intendit hæc constitutio prohibere quin numerum missarum, quæ à populo & à laicis iugiter postulantur, recipere aut accipere possimus, si tamen hoc discrete fiat & prudenter. Vnde & hoc ita fieri cernimus non tãtum in cæteris ordinibus, verum apud sacerdotes sæculares & in Ecclesijs etiã Cathedralibus. Onerare vero conscientias aut conuentum plerisq; milliaribus missarum, indiscretum & periculosum mihi videtur. Quocirca decerno primo, statuto illo præfato prohiberi ab antiquo, ne fratres obligent conuentum ad quotidie dicendum certum numerum missarum in perpetuum, ne ob id posteri ex hoc nimis grauentur, & etiam id prohibere intendebat ab antiquo, ne redditus perpetuos recipere cogerentur religiones etiã in subsidẽtationẽ: propter huiusmodi sacrificia, potissime in religionibus mendicantium (quibus nulli redditus esse debuissent, si tali nomine & opere gaudent) vnde ea constitutio fuit à mendicantibus ordinata: & in eorum statutis habetur. Secundo decerno non esse prudenter factum aut rationabile siquis commendator cum conuentu, propter eleemosynam aliquam quam recipit de præsenti obliget in perpetuum posteros ad certum numerum missarum: nisi eleemosyna sit debita & competens, & redditus illius annuatim in perpetuum durent, sicut & obligatio sacrificiorum. Vnde nusquam commendatores huiusmodi eleemosynas sumant, & acceptent nisi eleemosyna sit perpetua. Tertio decerno, maxime esse aduertendam Concilij Tridentini reformationem. Nam Sessione. 25. titulo de reformatione, capit. 4. ait. Sancta synodus cupiens, hæc ad pios vsus relicta, quo plenius & vtilius potest impleri, facultatem dat Episcopis, vt in synodo diœcesana itemq; Abbatibus & Generalibus ordinum, vt in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia, in prædictis Ecclesijs quas hac promissione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire, ita tamẽ vt eo-

Primũ pronuntiatum

Secundum pronuntiatum.

Tertiũ pronuntiatum.

vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui proſuarum animarum ſalute, legata ea ad pios vſus reliquerunt. Quocirca non niſi in generali capitulo hæc fieri debent, ita vt miſſarum reductio rationabilis ſit & conſideratione habita ad eleemoſynas receptas quæ in ſubſtẽtationẽ ſolum recipi debent. Ne ergo monaſteria miſſarum ſacrificijs onuſta periclitentur in conſtitutione dicitur: Numerum miſſarum non admittant fratres noſtri. Et ne rurſus ſi forte numerum ingentem miſſarum fratres in perpetuum admittant, cogãtur ijdem fratres dimittere eum miſſarum numerum, quẽ in communi ex debito conſtitutionis celebrare tenentur. Et idcirco in nonnullis ordinibus cautum eſt, quod in eleemoſynis miſſarum recipiendis eum quotidie numerum dumtaxat admittant quem commode poßint implere, ne vltra modum grauata ſint monaſteria & alijs neceßitatibus occurrentibus, nequeant ſatisfacere & prouidere, & ne ſacerdotes, grauati vltra modum non debitè diſpoſiti ad tremendum altare Domini accedant. Fugienda ergo eſt hæc miſſarum ſarcina, quæ conſcientiam torquet & nos miſeros reddit.

CAPVT QVARTVM DE horis fratrum laicorum.

EOdem tempore ſurgant fratres laici, quo & alij fratres, & eodem modo inclinentur, cum autem ſurrexerint ad matutinas, dicant Paternoſter, Auemaria, & Credo in Deum, quod eſt faciendum ante primam, & poſt completorium. Pro matutinis dicant, Domine labia mea aperies, &c. Deus in adiutoriũ, Gloria Patri, & quinquaginta Paternoſter, & totidem Auemaria: Deinde Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter, per Dominum noſtrum, & Benedicamus Domino, Omnes ſex alias horas canonicas, ita incipiant, Pater noſter, Auemaria, Deus in adiutorium, & pro qualibet hora dicãt triginta Paternoſter, & totidem Auemaria. Et ſingulas horas finiant, vt in matutinis. Pro miſſa verò dum celebratur, quadraginta Paternoſter, & tot Auemaria. Hæc omnia ſubſilentio recitent in choro, vel vbi fuerint pro temporis opportunitate.

In ieiunijs, culpis, abſtinentijs ſic ſe habeant, ſicut alij fratres, in labore tamen poterit (ex cauſa) commendator cum eis diſpenſare.

CAPVT QVINTVM

De oratione mentali.

QVoniam oratio mentalis est animæ sanctæ spiritualis quædam refectio, & mentis solatium ac refrigerium, Diaboli verò tormentum: cum mens orantis eleuetur in Deum. Et Paulus dicat Corinthijs scribens. Si orẽ lin-
1. Corin. 14. gua, mens mea sine fructu est, quod de eo qui orat sola lingua intelligendum venit. Nam hũc verè cor derelinquit, iuxta Prophetam Psalmo. 39. Cor meum dereliquit me. Idcirco statuimus & ordinamus, vt in toto ordine nostro omnes fratres bis in die mentaliter orent. Primò sanè post completorium. Secundo autem post nonam, eo videlicet tẽpore quo nona post prandium dicitur. Quando verò nona statim post missam cõuentualem recitatur: tunc oratio mentalis, quæ post nonã erat peragenda fiat post matutinas. Volumus autem vt prædictis tẽporibus, fratres omnes assistant in choro & eò conueniant, nisi propter graue impedimentum, & rationabilem causam prælatus cum aliquibus dispensauerit. Attendant tamen singuli fratres, quòd mentalis oratio, quæ qualibet vice saltem per dimidiã horã est protrahẽda maxima cũ deuotione & animi cõpunctione fiat: in qua gratia Dei & speciale eius auxiliũ primò petatur, & tunc quidẽ pro statu vniuersali totius Ecclesiæ, pro Papa, & oĩbus Ecclesię prælatis, pro Regibus, Principibus, pro captiuis Christianis in durissima Sarracenorũ, & infideliũ seruitute detẽtis, pro religionis nostræ cõseruatione & augmento, pro animabus in purgatorio existentibus maxima cũ deuotione, & humilitate orabimus. Insuper in dicta oratione Deo Optim. Max. ingentes gratias referre debemus pro beneficio creationis, regenerationis, ex aqua & Spiritu sancto, pro passione, & resurrectione sua. Rursus nostra meditari debemus & in quantis versemur periculis peccando, acerbissimas damnatorum pœnas contemplantes, & Dei ob scelera nostra iustam & debitam indignationem, quodq; ex diuino amore quo dignus est

ipse

ipſe Deus, omnia ſunt peragenda. Mens tandem noſtra, in ſecura illa fruitione, & præmio iuſtorum atq; ſanctorum figenda eſt: vt vel ſic incedendo, dignetur Dominus pro ſua liberalitate, gratia & miſericordia, noſtras liberare animas ab hoſtium viſibilium, & inuiſibilium poteſtate, & illas in ſuas æternas atque fœliciſsimas manſiones, in perpetuum duraturas dirigere, & ibi conſeruare.

CAPVT SEXTVM DE DISciplinis recipiendis poſt completorium.

ORdinamus præterea, vt in vigilijs quæ ieiunãtur, & per totum Aduentum & Quadrageſimam, & in diebus quatuor temporum, fratres noſtri diſciplinas recipiant. Quod intelligendum eſt illis tantum diebus quibus prædictis temporibus fit officium de Feria. Modus verò ſeruandus in illis recipiendis talis eſt. Finito completorio, quandiu dicitur Paternoſter, Auemaria, & Credo, pręparent ſe omnes fratres, deponendo ſuperiorem partem tunicæ & dicant, Confiteor Deo & cætera, & Beatæ Mariæ & cætera, & commendator, vel prælatus ſtãs in medio dicat: Miſereatur veſtri, &c. Deinde incipiat pſalmum, miſerere mei tenẽdo virgas in manu. Et ſolus dicat vnũ verſum & conuentus alium, fratrum dorſum verberando, & ſic proſequatur vſque ad Gloria Patri, &c. Et ſubiungatur ab omnibus kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, kyrie eleyſon. Pater noſter. Et prælatus vel hebdomadarius dicat: Et ne nos inducas intentationem. ℣. Saluos fac ſeruos tuos Domine. ℟. Deus meus ſperantes in te. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, Suſcipe deprecationem noſtram, vt quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per Chriſtum. Dum autem Pſalmus, Verſus. Et oratio dicuntur, circumeat prælatus vel hebdomadarius ſcapulas feriendo virgis, incipiendo à parte ſuperiori à dextris, & proſequẽdo ab inferiori parte ſiniſtri chori, quouſ-

quæ finiatur Psalmus cum versu & oratione vt dictum est. Si verò tam magnus sit numerus fratrum vt vnus non possit cito se expedire: Vicarius, vel alter ex antiquioribus incipiat à superiori parte chori sinistri, donec vterque semel tantùm circũeat totum conuentũ. Vt autem qui dedit disciplinas, & ceroferarij, & si qui alij remanserunt, qui ex debito tenentur ad illas, easdem suscipiant: cui prælatus dixerit, det disciplinam prędicto modo in loco secreto & apto.

CAPVT SEPTIMVM
De cibo.

HOra competenti ante prandium, vel cænam à refectorario cymbalum pulsetur, vt fratres ad refectionem venire non morentur, si cibus est paratus, alioquin non pulsetur, donec sit paratus. Ablutis verò manibus, commendator cymbalum refectorij pulset, & tunc fratres refectorium ingrediãtur. Quibus ingressis, facto signo à prælato dicat hebdomadarius, Benedicite, & conuentus respondeat. Benedicite, & prosequantur benedictionem. Nullus fratruum præsentium à prima mẽsa remaneat præter seruitores, & custodes nisi de licentia, quot quot autem remanserint comedant in secunda mẽsa: ita vt tertiam facere non liceat. Incæpta autem prima mensa nullus refectorium ingrediatur absque licentia prælati. Nullus detur cibus maioribus, vel ministris, qui non apponitur conuentui nisi sint infirmi. Frater non mittat cibum ad fratrem, excepto cõmendatore, sed sibi datum dare potest à dextris, & à sinistris. Commendatores in refectorio comendant, & semper cibarijs conuentus sint contenti. Similiter & infirmarij & receptores hospitum: nisi commendator dispensauerit, ex aliqua causa aliquando extra refectorium comedere. Nunquam incipiant comedere fratres in refectorio, neque surgant à mensa: nisi prius facto signo à prælato campana. Quod si nullus prælatus præsens fuerit, frater qui primus est ex parte hebdomadarij

rij signum faciat. Et postquam omnes à mensa surrexerint facto signo à prælato, Hebdomadarius incipiat gratias agere & conuentus prosequantur. Temporibus, quibus bis reficiuntur fratres, ter in hebdomada, scilicet Dominicis diebus, & tertijs, & quintis ferijs: comedant carnes intra claustrum. Alijs verò diebus pisces, oua, caseum, ac pulmenta cum carnibus cocta comedere possunt. Extra claustrum verò, (ne hospitibus sint onerosi, & vt melius pro captiuorum redemptione valeant laborare) liceat carnes comedere, diebus ieiunorum exceptis. Nulli fratri, vbi conuentum habuerimus, liceat comedere extra conuentum, nisi de licentia prælati, quam raro concedat. Si fieri potest, tempore ieiunij duo cocta pulmenta habeant fratres. Poterit autem commendator superaddere, prout opus esse iudicauerit, & facultas domus permiserit. Siquis iuxta se sedenti viderit aliquid deesse de communi, petat à seruitore submissa voce.

CAPVT OCTAVVM.

De ieiunijs.

A Pascha vsque ad primam Dominicam post festũ omniũ sanctorum inclusiue, & à die natalis Dñi vsq; ad quinquagesimam inclusiue, reficiantur bis fratres: exceptis diebus rogationũ, & sextis ferijs, & vigilia Natiuitatis, & Purificationis, & Annuntiationis Beatæ Mariæ, & vigilia Pentecostes, & ieiunijs quatuor temporum, & alijs ieiunijs, quæ ab Ecclesia, & per iura diœcesum reperientur obseruari. A feria vero secunda post dictam Dñicam post festũ Sanctorũ, vsque ad natale Dñi, & à quinquagesima vsq; ad Pascha, continuũ tenebimus ieiunium: & nona dicta comedemus, exceptis Dominicis diebus. In aduentu Domini, & in quadragesima, & ieiunijs quatuor temporum, & in vigilijs, & ieiunijs indictis per sedem Apostolicam, & diœcesum, & locorum statuta, & consuetudines, & omnibus sextis ferijs quadragesimali vtimur cibo. Etsi

dies natalis Domini feria sexta, vel aliquod præcipuum festum euenerit: prælatus poterit in ieiunio dispensare. Tempore vero paschali, oua, caseum, & butyrum comedemus sextis ferijs, & vigilijs Apostolorum Iacobi, Bartholomęi, atque Mathiæ: vbi pisces habere non poterimus. Iter tamen facientes de licẽtia speciali, bis refici possunt cibis quadragesimalibus, prædictis temporibus, nisi in aduentu, & quadragesima, & ieiunijs ab Ecclesia constitutis. In parasceue per totum diem in pane, & aqua omnino vbique abstineamus.

Scholia Capitis Octavi.

Christus dixit quodam esse pessimum dæmoniorum genus, quod in duobus superatur & expellitur, nempe in ieiunio & oratione. Pellũtur ergo & vincuntur dæmones per sanctum religionis ieiunium. Et quoniam fortiter contra religionem diabolus pugnat, idcirco specialiter debet armari ieiunijs. Ieiunium essentialiter consistit in abstinentia à carnibus, & in eo quod est semel comedere in die, Vnde qui carnibus vescitur non ieiunat, & qui plusquam semel in die comedit pariter non ieiunat. Quia in his duobus essentialiter consistit ieiunium. Rursus ieiunium est de iure naturali. Nam in communi de iure naturæ homo tenetur detrahere de cibo & potu, quantum fuerit necessarium, vt se defendat à passionibus & tentationibus. Et vt caro non rebellet contra spiritum, & vt conseruet vitam in bona valetudine. Cæterum ieiunium Ecclesiæ abstinẽdo à carnibus, & semel in die comedendo cœpit ab Apostolis: Quadragesimale potissimum, & ab eo tempore est in præcepto. Ieiunium autem quatuor temporum & vigiliarũ, cœpit à Calixto Papa decimo sexto & à D. Petro Apostolo, vt habetur in Cap. Quibus temporibus. 76. dist. & extat Epistola eiusdem Calixti ad Benedictum Episcopum, vbi illud inducit ieiunium. Et ita traddit Platina. Reliqua tamen religionum ieiunia à sanctis patribus: & religionum patronis & institutoribus sunt ordinata, & introducta merito & prudenter satis, licet non obligent ad mortale cum non sint ieiunia Ecclesiæ, sed religionis solũ. Peccat tamen grauiter commendator, si permittat in domo sua relaxationes & fractiones ieiuniorum suæ religionis: & constitutionum. Fratres nostri, qui in diebus à constitutione statutis nempe in aduentu vel sextis ferijs, à cœna nollunt abstinere, imò verò nulla petita licentia constitutiones de ieiunio transgrediuntur, & sic ex consuetudine procedunt, non possunt à damnabili contemptu excusari, & à prauo exemplo & à destructione regulæ, quam profitentur. Attendant ergo qualiter Christus post baptismum ieiunium inchoauit Matth. 4. & quod nos Christum imitari debemus potissimæ religiosi in monasterio.

Quando cæperit ieiunium.

Sed

Sed nemini licet comedere in diebus ieiuniorum ante vndecimam horam, alioqui eccleſiaſtica ieiunia franguntur: imò verò niſi inualuiſſet conſuetudo, ante duodecimam non licuit prandere cuiquam. De *hac tamen re diximus in explanatione regulæ* D. *Auguſtini.*

CAPVT NONVM, De Collatione.

TEmpore ieiunij hora competenti refectorarius ad collationem cymbalum pulſet. Deinde fratribus venientibus ad refectorium, & ingreſsis, lector legat vnam, vel alteram pauſam: & facto ſigno ab eo, qui præeſt dicat lector (Benedicite) & hebdomadarius Benedicat dicens. Largitor omnium bonorum benedicat potum ſeruorum ſuorum. Et conuentus reſpõdeat. Amen. Et dum lector legit poterunt fratres bibere. Et finita lectione dicat, qui præeſt. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Et conuentus reſpondeat. Qui fecit cælum & terram. Quicumq; bibere voluerit extra horam licentiam petat à maiori, & vnum ſocium accipiat.

Scholia Capitis Noni.

De Collationibus quibus vtuntur ieiunantes in diebus ieiuniorum, nil habetur in iure communi, ſolùm enim dicitur in iure, quòd in die ieiunij ſemel tantùm reficiantur Chriſtiani. Nihilominus *in Prouincia vbi eſt conſuetudo, licitum eſt de nocte collatione vti, ſemper tamen in parua quantitate. Vndè eo fine vt natura ſuſtentetur, non licet vti his collationibus. Neq; eo fine quia ieiunans premitur fame, quia eccleſia intendit, vt homines ſemel reficiẽtur in die, & quòd inedia comprimantur paßiones, & ſatisfaciamus* Deo *pro delictis.*

CAPVT DECIMVM, De Veſtitu.

FRatres noſtri veſtes laneas, & omnino albas, & ſignum ordinis in cappa, vel ſcapulario ante pectus ſemper, & vbiq; ferant. Quod ab omnibus ſub pœna grauis culpæ obſeruetur. Lineis non vtantur ad carnes, niſi fuerint ægroti: vel cum licentia prælati. Linteamina in infirmarijs noſtris, & quæ me-

dico videbuntur, pro lectulis ægrotantium habeantur. Plures tunicas habere poterũt & pelliceas in hyeme. Sed quælibet superior tunica sit rotũda, & nullo modo pro parte anteriori aperta. Pelliceum, tunica semper cooperiatur. Pelliceis syluestribus & coopertorijs earundem pellium, fratres nostri vti possunt. Tunica vero circa plantas pedum: scapularium fere ad talos, sufficit, vt descendat. Sed cappa æqualis, vel breuior sit tunica, & pelliceum sit breuius omnibus. Calligas, & calceos habebimus, vt necesse fuerit & honestas postulat. Rodundelos ocreas, & pileos lineos viatoribus fratribus solum portare licebit. Chirotecas nunquam habeamus. Super tunicam, & sub scapulario fratres nostri sint præcincti corio nigro: Zonã vero laneam, lineam, aut clauatam, & curiosam, minime habeant. Procuratores, & iter facientes marsupium ferre poterũt. Commendator vero sigillum cum scuto ordinis habeat.

Scholia Capitis Decimi.

Nvllo magis scandalizantur sæculares, quàm in prophanis vestibus. Si enim Religiosus sæculo renunciauit, & valedixit mundo, vt quid pretiosis & curiosis indumentis vtitur? Nam & ipse contemnitur, & ipsius ordo & religio calcatur. Imò verò à laicis minus æstimatur, & in minori pretio habetur. Quia pretiosus ornatus quæ intus latent, in corde indicat. Nam iuxta P. Aug. regulam: Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Sic ergo impudica vestimenta idem prænuntiant.

In antiquis Constitutionibus pariter legimus, Lineis non vtantur ad carnẽ, neq; etiam infirmi, &c. Sed cùm dicitur, Lineis non vtantur ad carnem, aduerte quòd ista constitutio est simpliciter negatiua, in qua nulla adhibetur pœna, & sic videtur transgressores obligare ad culpam. Quapropter illi qui nulla existente causa, lineis vtuntur ad carnem, & in huiusmodi transgressione intendunt perseuerare, non excusantur à damnabili contemptu, & valdè peccant.

CAPVT VNDECIMVM

De lectis.

NVnquam dormiant nudi fratres nostri: sed cum tunica, & caligis, & cincti iaceant. Neque in dormitorio cum duobus linteaminibus, sed solo vno contenti sint, qui illud te-

nere

nere voluerint. Quilibet fratrum ſuum habeat lectum, in quo ſolus iaceat: ſub pœna grauioris culpæ minimè relaxandæ à prælato. Super culcitras laneas, ſiue ſtramina iacentes, tegumentis laneis, & omnino albis deſuper vtemur. Extra monaſteriũ iacere poterunt, ſicut fuerit eis ſtratum: ne hoſpites infeſtẽtur. Qui autem in dormitorio noſtri ordiñis linteamina petierit, vno die in pane, & aqua ieiunet. Nullus, excepto magiſtro ordinis habeat locum ſpecialem ad iacendum: niſi propter rerũ cuſtodiam, ſicut ſunt commendatores, & ſacriſtæ. Huiuſmodi vero cuſtodes ſecum habeant honeſtos fratres ad prædicta cuſtodienda. Hoſpitibus vero ſecundum iudicium commendatoris prouideatur. Et præſenti conſtitutione omnino prohibemus ſub pœna grauioris culpæ minime relaxãdæ, ne vllus fratrum extra conuentum, vbi illum habuerimus pernoctare audeat: niſi de licentia prælati, quam niſi propter grauem infirmitatem, aut neceſsitatem aliquam, minime concedat.

CAPVT DVODECIMVM.

De Raſura.

RAſura ſit ſuperius non modica, vt religioſos decet: ſic vt inter ipſam, & aures non ſint plus, quam tres digiti. Tonſura verò ab omnibus fiat deſuper aures. Raſura autem fiat à Paſcha vſque ad feſtum omnium ſanctorum, quintodecimo quoque die: ita tamẽ quod propter feſta ſolemnia per aliquot dies poſsit præueniri, vel retardari: Alio vero tempore ſemel in tribus hebdomadis.

CAPVT DECIMVMTERtium, De infirmis.

ERga ægrotantes minime ſit negligens commendator, ſic enim curandi ſunt infirmi, vt citius conualeſcant: vt habetur in regula patris noſtri Auguſtini. Poterunt tamen veſci carnibus ſemper, prout eorũ exegerit infirmitas: ex arbitrio

commendatoris,& medicorum consilio. In locis verò vbi conuentum habemus, extra domum nostram ne iaceãt fratres nostri ægrotantes: nisi propter magnam necessitatem seniorum consilio prælatus dispensset. Siquis talem infirmitatem habuerit, quæ neque eum multum debilitet, neque comedendi turbet appetitum: talis neque ieiunia frangat, neque cibos refectorij mutet. In domibus nostris (si fieri potest) ad ægrotãtes sint specialiter loca deputata, in quibus comedant,& iaceant ęgrotantes, vel debiles. Si autem commendatorem infirmari contigerit, in cella, vbi bona domus custodiuntur, poterit curari. Fratres leprosi, infra septa sui conuentus seorsum ab alijs curẽtur. Quod si ob arctitudinẽ domus, vel aliam legitimam causam, non possit fieri: de licentia magistri, seu visitatoris, ad aliã domum nostri ordinis transferantur.

CAPVT DECIMVM QVARTUM, De minutione.

MInutio quater in anno fiat. Prima in mense Septembri, Secunda post Natale, Tertia post Pascha, Quarta circa festum Sancti Ioannis Baptistæ. Quòd verò religiosi minutione licitè vti possint habetur in cap. Cũ ad monasterium de statu monachorum. §. Porrò. Sed præter has minutiones nullus audeat sibi minuere, nisi commendatoris iudicio ex rationabili causa aliud videatur esse faciendum. Minuti extra refectorium comedant, vbi commodè poterit obseruari: & secundum quod facultas domus permiserit, commodius triduo recreentur. Causa verò minutionis poterunt carnibus vesci, secundum quod complexio, aut debilitas eorum requirit: nisi in diebus ab Ecclesia interdictis. Et neque choro, neque silentio, astringantur pro tunc.

Quod sit licitum vti minutione.

(?)

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVINTUM, De ſilentio.

SIlentium ſemper præſtent fratres noſtri in Eccleſia, in choro, dormitorio, & refectorio, & clauſtro: A cõpletorio autem vſque ad primam, ſemper à fratribus noſtris ſilentium intra monaſterium præſtetur: ita vt omnis ſtrepitus, & clamor verborum penitus euitetur. In refectorio liceat ſilenter loqui breuiſsima oratione, & ſubmiſſa voce, petendo neceſſaria: ita vt lector bene audiatur & non impediatur. Infirmi, & decumbentes, & hoſpites in hoſpitio, ſilentio nõ adſtringantur. Omnes fratres noſtri viatores, in menſa ſilentium teneant, vel ſaltẽ tumultuoſum ſermonem penitus euitent: excepto vno, qui maior, vel antiquior in ordine fuerit inter eos. Nullus verò loquatur niſi de neceſſarijs menſæ, & ſummiſſe: Niſi de licentia magnatum, vel epiſcorum, vel illorum, ad quos declinamus ſi contingat cum illis comedere. Magiſter verò, aut locum eius tenens, omnibus ſecum commedentibus. Viſitator in ſua viſitatione, duobus: comendator, vni ex ſua cõmendatoria, poſſunt dare licentiam loquendi. Fratres in capitulo de fractione ſilentij ſe accuſent, & commendatoris arbitrio puniantur.

SCHOLIA CAPITIS DECIMI QVINTI.

SPlendor Religonis eſt, ſilere certis locis, & temporibus. Et obſeruantia debita ſilentij plærag; mala & delicta à fratribus arcet, & à monaſterio pellit. Eſt præterea ſilentium, quædam autoritas & maieſtas religionis. Vndè optimè legimus, Quòd dum medium ſilentium tenerent omnia, omnipotens ſermo Domini à regalibus ſedibus venit. Et D. Baſilius ſermone de Natiuitate Chriſti ait, Infinita Dei maieſtas ſilentio colatur, & fide veneretur. Et Pſal. 64. vbi legimus, Te decet hymnus Deus in Sion, in alia translatione habetur, Te decet ſilentiũ Deus in Sion. Silentium ergò maximè Religioſos decet, & ob id Fratres in capitulo de ſilentio ſe accuſare debẽt, ſi tranſgreſſores fuerint: Vndè ordo noſter refugit tanquam irreligioſum, fractionem ſilentij, potiſſimè poſt Completorium. Et Commendatores negligentes circa obſeruantiam ſilentij in communi, grauiter peccant: præſertim quando obſeruantia ſilentij relaxatur ſæpiùs in monaſterio. Vndè in inferno, vbi nullus ordo eſt, omnia confuſe peraguntur ſine quiete & ſilentio.

CAPVT DECIMVM SEXTVM
De leui culpa.

LEuis culpa est, si quis mox, vt signum factum fuerit, non relictis omnibus cum matura festinatione, differat se præparare vt ad ecclesiam ordinatè, & cõposite quando, & quomodo debuerit, veniat. Si quis in principio primi Psalmi non adfuerit. Si quis in choro male legendo, vel cantando offendens, non statim coram omnibus se humiliauerit profunde. Si quis non intentus diuino officio, vagis oculis: & motu irreligioso, leuitatem mentis ostenderit. Si quis in ecclesia, dormitorio, vel refectorio aliquid inquietum fecerit: vel ibidem riserit, aut alios ridere fecerit. Si quis lectiones, vel alia: quæ choro legere, aut cantare debuerit, non præuiderit. Si quis aliud cãtare: vel legere præsumpserit: quã quod communis consensus & vsus approbat. Item leuis culpa est: Si quis ad curandam Redemptionem captiuorum vadens otiosa loquutus fuerit: vel egerit. Si quis oculos vagos, vana respiciendo inhoneste direxerit. Si quis in principio capituli non adfuerit, vt pronuntiatis redemptionis nostrę exordijs, corde, & corpore gratias agat Deo redemptori nostro. Si quis de via veniens, eadem hora benedictionem à Prælato accipere neglexerit, vel absque benedictione plus vna nocte moraturus exierit. Si quis in choro dormierit. Item, leuis culpa est. Si quis ecclesiæ, vel altaris ornamenta, aut libros ecclesiæ negligenter tractauerit. Si indumenta, vel alia concessa fratri, sine eius licentia aliquis acceperit. Si vtensilium aliquod fregerit, vel perdiderit. Si quid cibi, vel potus effuderit. Si quis dixerit aliquid, vel egerit, vnde fratres iuste offendantur. Si quis potum, vel cibum absque benedictione sumpserit. Si quis in conuentu, horam qua debet venire, distulerit. Si communi refectioni non adfuerit. Si commune mandatum dimiserit. Si quis eum, à quo clamatus fuerit, eodem die, quasi vindicando, clamare præsumpserit. Si-

quis

quis aliquid cum iuramẽto affirmauerit, vel negauerit. Si quis turpem sermonem, aut vaniloquũ dixerit: vel (quod grauius est) in vsu habuerit. Item, leuis culpa est, si quis vestes suas, aut libros, loco statuto honestè non deposuerit, aut negligenter tractauerit. Si quis eorum, qui officijs deputati sunt, in aliquo negligens repertus fuerit: vt commendatores in conuentu custodiendo, & regendo, procuratores fratres in procurando sibi cõmissa: cantores in officijs suis, scriptores in scribendo, clauigeri in bonis domus custodiendis, in necessarijs præparandis, ministrandis, & congrue distribuendis, in famulis excitandis, in ianuis horis deputatis aperiendis, & claudendis, & clauibus discrete custodiendis: ac in omnibus, quæ eis expediunt optime exercendis. Clamatis verò, vel proclamantibus se, de supradictis, detur pœnitentia secundum quod prælato videbitur expedire.

Scholia Capitis Decimi Sexti.

D. Pater Augustinus in regula, vsus est nomine præcepti, cũ dixit. Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti. Quocirca ex huiusmodi verbis præceptiuis professores regulæ Diui Augustini, obligantur ad obseruantiam eorum, quæ in ea mandantur, sed non idcirco mortaliter peccant transgrediendo, quia verbum præcipimus, vim habet obligandi, sed nõ determinate ad mortale. Quapropter licet in hoc capitulo de leui culpa, & in sequentibus de graui, & grauiori, sæpè sæpius culpa repetatur, non idcirco intelligenda est mortalis: imò verò aliquandò non incurritur culpa, Quia statuta hæc de culpis, edita sunt prius, antequam editum fuerit statutum illud de non obligando ad culpam: Quo in proœmio nostrarum constitutionum decernitur, regulam & constitutiones, nõ obligare nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum. Quæ sanè declaratio iuridica est, & vt vnitati & paci totius ordinis prouideatur introducta, & ad remouendum scrupulos religiosorum. Quò fit, vt cum statuta de culpis fuerint ab antiquo edita, antequam fuerit factum statutum illud de non obligando ad culpam, sed ad pœnam, (vt optimè Caietanus docuit,) idcirco per accidens remanserunt illa nomina, grauis, & leuis culpa. Obserua tamen, quod vbi in hoc capite & in sequentibus de graui, & grauiori culpa aliquid præcipitur, quod vel graue sit ex suo genere, vel prohibitum ab Ecclesia, vel iure diuino, id quidem non tantum pœnam constitutionis habet, si ipsius transgressio

fiat, verumetiam habet mortalẽ ex suo genere, vt deinceps dicemus. Ex his colligo, quod licet ante præfatam illam constitutionem, & declarationem: nempé quod constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam, transgressio constitutionum, quoad ea quæ non sunt essentialia, neq; habent annexũ præceptum, vel contemptum, obligaret ad peccatum veniale, siué talis transgressio esset facta ex negligentia, vel ex inaduententia, vel ex leuitate, aut fragilitate: cæterum post constitutionem illam editam, seu declarationem, transgressor nostrarum constitutionum (si sermõ sit de puris constitutionibus) potest dici, quod incurrit culpam, non quidem essentialiter, sed antecedenter, & consecutiué. Antecedenter sané, si fiat ex negligentia transgressio, tunc enim incurritur venialis culpa (vt Caiet. credit) quæ minimé incurritur, si transgressio ex fragilitate, vel ex inaduertentia procedit, vt author est Sanctus Thom. in. 2. 2. Si verò ex leuitate, vel parua malitia, vel ex maiori negligentia, vel ex grauiori malitia transgressio constitutionem fiat: tunc grauis, vel grauior malitia & culpa erit. Et ob id constitutiones istæ sunt de leui, graui, & grauiori culpa. Et ob id rursus quotidianum capitulũ in quo de huiusmodi trãsgressionibus fratres se accusant, vocatur capitulũ de culpis. Adde rursus, quod trãsgressio constitutionum vocatur culpa, non quidem essentialiter (vt dictum est) sed consecutiué, nempé propter pœnam, quæ his transgressionibus assignatur, quæ inferri non solet, nisi ex culpa. Et forté dicitur culpa si religiosus non adimpleuerit pœnitentiam à constitutionibus præscriptam, vel à commendatoribus præscribendam, quia in eo casu vera culpa incurritur.

Caietanus.

D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9.

Cum titulus huius capitis sit de leui culpa, plæraq; tamen in eo sunt difficilia, quia non tantum venialem culpam præ se ferunt, verumetiam indicium mortalis culpæ vehementer indicant, quale est illud, siquis oculos vagos vana respiciendo inhoneste direxerit. Hæc enim verba includere possunt venialẽ, & mortalem culpam. Et rursus illa, siquis dixerit aliquid, vel egerit, vndé iusté fratres offendantur. Et illud siquis commune mandatum dimiserit. Et illud, siquis turpem sermonem, aut vaniloquum dixerit: vel quod grauius est in vsu habuerit. Nam si grauius est, quomodo leuis culpa est? Et tandem illud, siquis nõ intentus diuino officio vagis oculis, & motu irreligioso leuitatem mentis ostenderit. In hac re. Decerno primò, quod licet hæc possint venialiter, & mortaliter fieri, cæterum non pertinent ad hanc constitutionem, nisi in solo gradu venialis culpæ. Decerno secundò, quod licet vagus & vanus oculorũ aspectus, & ocious sus, sermo turpis & vaniloquus, & irreligiosus motus mẽtis leuitatẽ ostendẽs, & dissolutus risus, aut dimittere commune mandatum, & similia, sint vt minimum venialia peccata, & ob id contineantur in constitutione de leui culpa: Cæterum non ob id sunt peccata, quia per constitutiones sunt prohibita. Sed quia ex se sunt mala. Et idcircò in huiusmodi transgressionibus non solum obligatur religiosus ad pœnam, vel à prælato impositam, vel à constitutionibus ipsis, sed etiam ad culpam ad minus venialem.

Decerno. 1.

Decerno. 2.

Caput

CAPVT DECIMVM SEPTIMUM. De graui culpa.

Grauis culpa est, si quis inhoneste in foro iudiciali, cum aliquo secularium contenderit. Si frater cum fratre intus, vel foris lites habuerit. Si quis alicui fratrum opprobrium dixerit. Si quis mendaciũm de industria dixisse deprehensus fuerit. Siquis silentium non tenere in consuetudinem duxerit. Siquis culpam suam, vel alterius defenderit. Siquis literas scribat, mittat, vel recipiat, vel legat, sine speciali licentia suorum superiorum. Si clamans in clamatione iurgium fecerit. Siquis in illum, à quo proclamatus est aut in alium verbis inordinatis, & irreligiosis inuexisse repertus fuerit. Siquis lusor, si quis ebrius repertus fuerit: Siquis receperit aliquid deijs, quę prohibentur recipi. Siquis rẽ sibi collatã celauerit, quẽ B. Aug. dicit furti iudicio esse cõdemnandũ. Itẽ grauis culpa est, siquis male in patres, vel fratres, vel domos suas euomuerit: quæ testimonio fratrum suorum probare nequiuerit. Siquis fratri præteritam culpam, pro qua satisfecerit, inproperauerit. Siquis equitãdo per villam animal currere fecerit. Siquis cum fœmina in loco suspecto, vel non suspecto cum muliere suspecta, locutus fuerit. Siquis ieiunia ab ecclesia instituta fregerit, aut sine causa, & dispensatione prælati non illa seruauerit. Si Prælatus infirmis fratribus maxima cum charitate secundum facultatem domus non prouiderit, quæ medicus præcipit, & infirmo sunt necessaria. Itẽ grauis culpa est: siquis literas cuiuscũq; ad se nõ directas, aperire aut legere, aut abscondere ausus fuerit: nisi fuerit superior illo, cui dirigũtur. Siquis sine licẽtia prẽlati exierit à monasterio, vel cũ licentia abiẽs, vltra terminũ assignatũ morã fecerit. Siquis pro victu, vel vestitu, vel alia re, murmurauerit. Pro huiusmodi, & similibus culpis, veniã petentibus, & nõ proclamatis, correctionibus in capitulo datis, tres dies in pane, & aqua ieiunent. Præter hæc, Psalmi, & veniæ, pro qualitate culparum à Prælato iniungi possunt. Siquis ad talos, aleas, aut

In antiquioribus manu scriptis constitutionibus, alearum lusores tanquã fornicarij puniuntur sub pœna grauioris culpæ.

alios ludos inhonestos ludere præsumpserit, præter dictã pœnam, cui subiacebit: ab esu carnium per quadraginta dies continuos præcipimus abstinere. Siquis iurare in Curia seculari in causis alienis testimonium perhibens, sine licentia prælati, vel pretio, timore, odio, vel amore ausus fuerit. Caueat autem quilibet frater: ne proclamet aliquem de crimine aliquo, etiã de auditu: nisi per fratres crimen possit probare. Quod si accusatus negauerit, & accusans in accusatione defecerit: accusans secundum exigentiam culpæ (imo grauius) puniatur. Sed ne vitia occultentur, aut impunita maneant: prælato, tanquam patri, denuntiet secretò, quæ viderit, vel audierit.

Scholia Capitis Decimi Septimi.

Planè in hoc capite multa sunt, quæ culpam mortalem inuoluunt, vt est illud, siquis ebrius repertus fuerit. Et illud, siquis receperit aliquid de his, quæ prohibentur recipi, vt munus pro redemptione captiuorum. Et illud, siquis mala in patres, fratres, vel domos suas euomuerit. Et illud, siquis ieiunia ab Ecclesia statuta fregerit. Et illud, siquis litteras cuiuscumq; ad se non directas aperire, vel legere ausus fuerit. Et illud, siquis sine licentia prælati exierit à monasterio. Alia verò etiam continentur, quæ non habent manifestam culpã mortalem. Quale est illud, siquis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit. Et illud, siquis pro victu, vel vestitu, vel alia re murmurauerit. Nam fieri potest, quod murmuratio sit venialis. Et illud, si clamans in clamatione sua iurgium fecerit. Et alia id genus. Quæ quidem magis, aut minus malè fieri possunt. Et consequenter aliquandò, cum maiori & aliquando cum minori culpa. Et quidem licet plæraq; in hac constitutione de graui culpa reperiantur, quæ ex se sunt vera culpa, si cuti est illud, nempè dicere opprobrium fratri, & mala de patribus, & fratribus euomere, ieiunia Ecclesiæ frangere, mendacia de industria proferre, non tamen ob id pertinent ad rationem culpæ, quia à constitutione prohibentur, sed quia de se sunt mala. Vnde transgressor duplices incurrit pœnas, alterã quidem in eo quod trãsgreditur legẽ Dei, alteram vero ob id, quod transgreditur cõstitutionem, quam si vel contempserit, vel implere noluerit, vel illi constitutioni se subijcere recusauerit, tertiam & grauem culpam incurrit, videlicet inobedientiæ. Aduertat tamẽ præpositus & commendator, quod siquis religiosus ex consuetudine constitutiones fregerit: licet tales transgressiones nõ pertineant ad culpam mortalem, tamen, quia talis consuetudo prana est, & disponit ad contemptum, & religiosos offendit, & ad similia perpetranda prouocat, & praui exẽpli odorẽ præbet, id circò grauiter est puniẽdus huiusmodi transgressor, alioqui valdè peccat commendator.

Litteras

Litteras ad se non directas legere, vel aperire, nisi id fiat à prælato mortale est ex suo genere. Rursus graue malum est, si fratres quotidie litteras scribant, & transmittãt, sic enim fit, vt ipsis sæpius scribentibus, quæ fiunt, & nõ fiunt, alijs denuntient fratribus, fiuntq; hac ratione religiosi tanquam nouarum rerũ delatores. Et idcircò Epistolis, & litteris suis, vel minus rectè expressa veritate. vel fuco, & falsis superpositis coloribus addita falsitate: fratres & monasteria perturbant, rixas, & contentiones inter fratres mouent, & commendatores seu prælatos, ordinis valdè inquietant. Quapropter magna cura esset adhibendâ, vt fratres raro scriberent, & nunquam sine licentia prælati, à quo prius litteræ, & Epistolæ, omnes essent perlegendæ, non solum ipsæ, quæ à fratribus recipiuntur, sed quas ipsi ad alios transmittunt, sicut sanctè in nostro ordine, & in alijs ordinibus sancitum est. Quapropter valdè peccat commendator si hæc executioni non mandat: sic enim plæraq; mala, & peccata à religione arcerentur.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM, De grauiori culpa.

GRauior culpa est siquis per contumaciam, vel manifestã rebellionem inobediens maiori suo extiterit: vel cũ eo proteruè contendere ausus fuerit. Siquis percussor, Siquis latro repertus fuerit. Siquis crimen capitale, seu mortale cõmiserit. Siquis frater nostri ordinis, obedientiam sibi, vel alteri iniungẽdam, vel vt sit cõuentualis, vel vt amoueatur à monasterio, vel in aliquo officio cõstituatur, vel promoueatur, vel vt cũ externis cõmoretur: per personas seculares, aut per eas, quæ sunt extra obediẽtiã ordinis nostri procurauerit: vel per se, vel per interpositã personã. Siquis passus molestiam, iniuriam, aut quodvis aliud damnum ab aliquo fratre, ad parentes, vel alios seculares conquestus fuerit. Siquis reuelauerit consilia, vel secreta nostri ordinis: nunquam de cætero ad consilia ordinis admittatur, neque vocem habeat in electionibus. Siquis procurauerit, vt ipse, vel alius, eximatur à correctione ordinis nostri. Siquis fratrem nostri ordinis, vel ordinem nostrum, in aliquo: religiosis, vel secularibus personis diffamauerit. Si proclamatus fuerit, & conuictus, sponte sua, & veniam petens, immanitatem sui sceleris lamentabiliter proferat, & vt dignam

accipiat suis meritis pœnitentiam: vapulet, quantum prælato placuerit, & per duos menses omnibus sextis ferijs in refectorio ad communem mensam cum cæteris fratribus non sedebit. Sed in medio refectorij super nudam terram, solum panẽ, & aquam comedat: absque aliqua relaxatione. Alijs vero diebus, sicut alij fratres reficiatur. Et hoc tempore sit omnium no uissimus in conuentu: vt qui ob culpam perpetratam, non confunditur membrum diaboli fieri, ad tempus (vt resipiscat) seiũgatur à consortio ouiam Christi: vt agnoscat se ita separatum à consortio fratrum, priuari consortijs Angelorũ. Talis quãdiu erit in hac pœnitentia, nullo officio fungatur ante plenam satisfactionem: neque in aliquo vocem habeat, nisi in sui accusatione. Transactis vero prædictis mensibus, & peracta huiusmodi pœnitentia: ad pristinum statum restituatur. Siquis vero in peccatum carnis lapsus fuerit, vel literas magistri, aut prouincialis, aut bullam Pontificis, vel pecuniam falsificauerit, aut falsificatis vsus fuerit: aut in prælatum suum manus iniecerit, aut arma offensiua habuerit, vel portauerit, aut in sententiam excommunicationis ritè latam scienter inciderit, vel fratrem à carcere extraxerit, aut instrumentum ad exeundum ministrauerit, carcerali custodia per vnum annum, & compedibus ferreis detineatur, & omnibus sextis ferijs in pane, & aqua supradicto modo ieiunet. Siquis autem conspirator extiterit: in omni vita sua sit inhabilis ad administrationem aliquam temporalem, aut spiritualem ordinis nostri, absque spe restitutionis, & agat pœnitentiam grauioris culpæ. Super his tamen omnibus potestas relaxationis (si aliqua facienda fuerit) solo arbitrio magistri generalis, vel prouincialis relinquitur: in quantum de iure potest: & sanctorum patrum instituta non prohibent. Si quis tamen fratrer, non malitiosè, sed in veritate aduersus maiorem suum aliquid sciuerit, quod tolerari non deceat: prius secretè eum cum omni humilitate admoneat. Sed si admonitus se corrigere neglexerit, Prouinciali, vel visitatori significet. Aliter subditi superiores suos diffamare non audeant: neque etiam, nisi de notorijs accusare, & quæ possint per fratres clarè probare.

probare. Quod ſi in probatione defecerint accuſantes: non tantum pœna accuſato debita: imò acrius puniãtur: & pœnæ prædictæ culpæ ipſofacto ſubiaceãt. Siquis præceptum obediẽtiæ à prælato appoſitum tranſgreſſus fuerit: per vnum menſem in carceretur, & voce actiua, & paſsiua, per vnum annum priuatus ſit. Quam pœnam, ſi in totum non adimpleuerit, ſit inhabilis ad aliquod officium obtinendum per tres annos. Siquis numerum miſſarum ad conuentum pertinentium, ſibi acceperit: ſit excommunicatus. Quod ſi ex deuotione ſibi, & non conuentui tribuantur: ſub eadem pœna illas prælato manifeſtare ſit obligatus: cui prælatus aliquas libenter concedere poterit, prout ſibi bene viſum fuerit. Siquis aliquid emerit, vel mutuò acceperit, ſine licentia prælati, vel vſuram commiſerit, pœnæ grauioris culpæ per vnum annum ſubiacebit.

Scholia Capitis Decimi Octavi.

Huius capitis & conſtitutionis materia in omnibus ſuis partibus ſupponit culpam mortalem, & in pleriſque grauiſſimam. Et principio. Siquis per contumaciam, vel apertam rebellionem inobediẽs fuerit, vel cum Prælato ſuo proteruè cõtendere auſus fuerit, pœna grauioris culpæ eſt puniendus, & ad id ex debito obligationis peragendũ tenetur cõmẽdator. Nã materia huius cõſtitutionis à deò neceſſaria eſt, vt niſi debitè obſeruetur in monaſterio cõtinuò ruat Præpoſiti gubernatio, & obedientia, quæ illi eſt exhibenda, & totius religionis decor. Et quidẽ manifeſta rebellio eſt, quãdo ſubditus pertinaciter verba cõmẽdatoris vel ſuperioris contẽnit, vt ſi Prælato præcipiẽte ſubditus diceret ſe nolle adimplere præceptum. Vnde S. Tho. 2. 2. q. 39. ar. 1. ad 2. ait quod tunc aliquis dicitur cum rebellione Prælato ſuo non obedire, quando pertinaciter eius mandata contemnit, & iudicium ſui ſuperioris ſubire recuſat. Rurſus tunc dicitur aliquis proteruè contendere cum Prælato, quando improba, vel peruerſa contentione, ſeu ſuperba impugnatione verborũ; cum tumultu contendit. Ita vt verba Prælati, & commendatoris, verbis tumultuoſis peruerſe, & ſuperbè impugnet. Et tunc talis puniendus eſt pœna grauioris culpæ.

Siquis per cuſſor fuerit. Siquis latro. &c. *Sanè ex quacumque percuſſione, quæ mortalem culpam inducit, & ex quocumque furto, quo quis furando lethaliter delinquit, reus efficitur religioſus pœnæ grauioris culpæ. Verum tamen ſi percuſſio eſſet enormis, vel notabilis, & pariter ſi furtum eſſet infame materiam grauem inducens, tunc maiori ſeueritate, & ſecundum pœnas Iuris puniendus eſſet tranſgreſſor, quia id noſtri Ordinis Conſtitutiones decernunt.*

Quod si latrones, & percussores flagitiosi, absque vindicta & supplicio recedunt, & permittuntur: non solũ religio perturbatur, sed alij discipuli imitatores resurgunt, Quia cernunt, quod Hispano sermone dicitur, Que les cuesta pöco y varato, y le salen con ello.

Siquis crimen capitale seu mortale commiserit. Ego quidem in plerisque antiquioribus Codicibus legi, quod capitale crimen de quo loquitur præsens constitutio est mortale peccatum, quod in transgressore inducit infamiam, sicut sacrilegium, ebrietas, fornicatio rapina, furtum falsum testimonium, adulterium & pro his imponenda est pœna grauioris culpæ, & aliquando pro grauitate delicti maior secundũ dispositionẽ iuris, & secundũ quod materia postulat, & iuxta præscriptum, & normã nostrarũ constitutionum in plerisquealijs locis.

Siquis procurauerit, vt ipse, vel alius eximatur à correctione ordinis nostri seu à Prælati potestate. Constitutio hæc quotidiè transgreditur, quo nihil peius in religione. Vndè qui per seculares, vel per religiosos viros contendũt impedire correctionem ordinis vel potestatem Prælati pœnæ grauioris culpæ subiaceant, necesse est. Imo verò in plerisque ordinibus puniuntur seuerius, & omnibus gratijs sui ordinis, priuantur, ad quas minimè restituuntur, nisi per magistrum ordinis, vel per generale capitulum. Eadem quoque pœna afficiuntur illi qui, vel medijs secularibus viris, vel alijs extraneis, contendunt directè vel indirectè fratrem à conuentu suo repellere.

Siquis in peccatum carnis lapsus fuerit, vel litteras magistri, aut Prouincialis, aut bullam Pontificis, vel pecuniã falsificauerit, &c. Per vnũ annum Carcerali custodia, & cõpedibus ferreis detineatur, & omnibus sextis feriis in pane, & aqua ieiunet.

Certè hæc paria nõ sunt, nec æquali pœna debẽt puniri sed quædã maiori quædã verò minori. Nã qui bullã Põtificis falsificauerit dignus est morte, & pœna mortis punitur à iure, in quo casu ordo noster nõ põt arbitrari, neq; quidquã illi permittitur de dispositione iuris immutare, sed iure ecclesiastico, & Canone co seruato, debet procedere prælatus quicunq; eam pœnã diffinitiuè proferẽdo quæ ecclesiasticis iudicibus permittitur, & regulis iuris obseruatis. Huic delicto affine est secundũ. Siquis litteras magistri, vel prouincialis falsificauerit, & quidem quilhoc celus perpetrauerit, sine relaxatione vlla prædicta pœna est puniendus, & id misericorditer cum eo fiet. Nam & maiori dignus est, de iure. Minora autem delicta sunt alia quæ ibi continentur, sicut est illud, quando quis in peccatũ carnis labitur. Cæterũ diabolicum est illud vnũ quod dicitur. Siquis pecuniam falsificauerit. Nam huiusmodi delictũ, pœna mortis & ignis punitur à principibus. Idcirco si (quod Deus auertat) diabolicũ hoc scelus perpetrauerit seueriori pœna puniri debet quãsit hæc quæ præsenti constitutione decernitur, quia pœna à iuri cõmuni & canonico taxata, etiam obligat ecclesiasticos iudices & regulares ordinum, quanuis non æquo rigore in omnibus vti debeant, sicut iudices seculares. Profectò diabolicum est id quod statim in hac constitutione dici-

ne dicitur. Siquis in prælatum ſuum manus iniecerit. Nam culpa hæc ſola diſſoluit totius religionis obedientiam, & gubernandi in prælato authoritatem. Timoremq; fratrum, quo in obedientia continentur diſſoluit, & à monaſterio repellit. Et ob id tranſgreſſores huiuſmodi magna cura, & debito ſupplicio animaduertendi ſunt.

Siquis autem cõſpirator manifeſtus extiterit, in omni vita ſua ſit inhabilis ad adminiſtrationem aliquam temporalem, aut ſpiritualem ordinis noſtri abſq; ſpe reſtitutionis. Conſpirare eſt ſimul ſpirare. Vnde conſpirator hoc in loco in deteriorem partem accipitur. Quoniam conſpirare ſumitur pro cõiurare, q. Hiſpanè dicitur, conſpirar, y cõjurar en vno, & cõſpiratio eſt coniuratio. Et hæc poteſt eſſe, vel cõtra ſuperiorẽ prælatũ, vel contra ordinẽ, & de vtraq; loquitur præſens cõſtitutio, & in hoc caſu, in omni vita ſua inhabilẽ in omnibus eſſe conſpiratorẽ, præſens conſtitutio decernit, iure optimo.

Super his tamen omnibus poteſtas relaxationis, ſi aliqua facienda fuerit, ſolo arbitrio magiſtri generalis, vel prouincialis relinquitur in quantũ non prohibent ſanctorũ patrũ inſtituta, & de iure poteſt. Vbi aduertenda eſt particula illa ſi aliqua facienda fuerit. Quaſi diceret, perraro eſt efficienda talis relaxatio. Et rurſus aduertere oportet, q. ibidẽ dicitur. Nempè talẽ relaxationẽ eſſe faciendã in quantũ id non prohibent ſanctorũ patrum inſtituta, & de iure poteſt. Quod ſanè ob eam cauſam dicitur: Quia licet poteſtas relaxandi ſit penes magiſtrum, cæterum nõ eſt in omnibus libera generali, aut prouinciali: ſed ſolũ in eo caſu, in quo de iure poteſt, & in quo nõ contradicũt canonici iuris ſanctiones.

Si quis tamen frater cõtra maiorem ſuum aliquid ſciuerit, quod tolerari nõ deceat, prius cum ſecrete cũ omni humilitate admoneat. ¶ Quod ſi admonitus ſe corrigere neglexerit, viſitatori ſignificet. Nõ poteſt ſubditus aliter ad viſitationem procedere contra prælatum niſi ſeruato huius conſtitutionis ordine, & in caſu, quod nouerit aliquid q. tolerari nõ deceat. In quo inſinuatur, quod niſi res ſit grauis, aut niſi pendeat in patriã viſitatori, & prouinciali non eſt ſignificãda. Imò verò ex verbis huius ſanctiſſimæ conſtitutionis planè colligitur, quod ſi prælatus admonitus ſeipſum emendauerit, nihil eſt viſitatori ſignificandum. Tanta authoritate, & tam debito honore afficiendi ſunt prælati, & commendatores. Alias fratres non audeãt ſuos diffamare præpoſitos, & commendatores. Imò verò non poſſunt eos niſi de notorijs accuſare. Alioqui delatores huiuſmodi pœna tallionis puniendi ſunt, ſi in probatione deficiant, vel ſi ordinem à conſtitutione præſcriptum, non obſeruent.

Caput decimum nonum, De grauiſſima culpa.

GRauiſſima culpa eſt, incorrigibilitas illius, qui neque culpas timet admittere, & pœnas recuſat ferre. Item, grauiſſima culpa eſt illius, qui ea delicta committit, quibus pœna capitis, aut tremiſſi debetur in ſeculo. Talis quidẽ, à generali, vel à

prouinciali,de consilio duorum prælatorum religionis:ab habitu excludatur, & ad triremes mittatur pro qualitate criminum:& deinceps ad habitum non admittatur, sed exutus habitu,ad summum pontificem mittatur, tanquam nostræ societatis indignus. Quod si aliqui sunt, qui iudicio discretorum in communi sine graui periculo, & scandalo tolerari non possunt:quales sunt seditiosi,incorrigibiles,notabiliter fugitiui,& vagabundi,rebelles,inobedientes,& similia crimina perpetrãtes: Hi sane,de cõsilio pariter duorum prælatorum:cum literis dimissorijs ab habitu repellantur,& ordinarijs locorum denũtientur,vt nota sit Episcopis, vel Archiepiscopis eorum vita, ac viuendi consuetudo,morumque compositio.

SCHOLIA CAPITIS DECIMI NONI.

IN capite de grauiori culpa etiam sunt quædam delicta, quibus in sæculo debetur pœna capitis & pœna triremium, qualia sunt Bullam pontificis falsificare, & esse monetæ falsarium. Imo vero sunt alia ibidem quæ pro modo delicti etiam pœna triremium debent & possent puniri, Et id circo iure præfata delicta pariter in hac constitutione de grauißima culpa continentur: cum hoc loco dicatur esse grauissam culpam, eam cui pœna capitis, vel triremium debetur in sæculo.

CAPVT VIGESIMVM
De Proprietarijs.

De Materia & explicatione, huius constitutionis & huius capitis, legdẽa sunt quæ sacrũ concil. Triden. sanciuit session. 25. de reformatione. c. 2. de regularibus & monialibus.

CVm Euangelica paupertas religiosis maxime sit necessaria,quam Deo vouerũt, omnis proprietas religioso prorsus detestabilis esse debet. Quocirca nullus frater à vera paupertate potest neque debet esse exemptus. Vnde sub excommunicationis maioris pœna,præsenti constitutione sancimus, nequis fratrum professorum aliquid proprium habeat: neque pecunias,neque census aliquos,neque vasa aliqua aurea,vel argentea,neque illa expendat, neque consumat, absque sui prælati licentia:neque rursus quidquam sine commendatoris venia vendat, aut emat. Si quid vero ex huiusmodi bonis,alicui fratri donatũ fuerit,ab amicis vel cõsanguineis, aut quibus vis

alijs

alijs perſonis quacumque ratione id receperit: intra ſpacium viginti quatuor horarum prælato proprio manifeſtet, vt in cō muni depoſito cuſtodiatur: & pariter intra dictas horas id absque licentia non conſumat. Neque ſuperioribus liceat bona aliqua ſtabilia tanquam propria regularibus fratribus concedere etiam ad vſum fructum. Fratres tamen itinerantes pecunias portare poterunt: ita ſané vt quam primū ingreſsi fuerint proprium monaſteriū, in quo ſunt moraturi, intra prædictas horas omnia, & ſingula commendatori ſuo, vel prælato manifeſtent. Attendant autem fratres noſtri, quod ſingulis annis ſemel omnia, quæ in vſu retinēt commendatoribus ſuis exponant, & realiter exhibeant eorum diſpoſitioni relinquendo, & ſpecialem licentiam vtendi eis accipient à prælato. Quicunque verò frater, ſeu procurator bona ordinis quæcumque ſeu pecunias receperit, eorum omnium reddat ſuo commendatori, atque conuentui rationem. Magiſter autem generalis, aut prouincialis omnium, quæ receperint definitorio capituli pariter rationem ſunt reddituri. Ita vt nullus in ordine noſtro remaneat, quin eorum omnium, quæ ipſe receperit computum, & rationem reddat. Qui verò contrarium fecerit, aut contra ſe riem harum conſtitutionū proprietarius repertus fuerit, ſciat ſe eſſe ſocium Iudæ, & biennio actiua, & paſsiua voce priuandum, & pœnis proprietario ex iure taxatis ſubiacere. Et in eo caſu liberam habeat commendator poteſtatem auferendi bona, aut pecunias proprietarij, in quibus deliquit eaque conuentui applicare, ſeu fratribus indigētibus diſtribuere vt bene prælato placuerit. Quod ſiquis (quod Deus auertat) proprietarius mortuus fuerit ſepultura careat eccleſiaſtica, & extra cœmeterium ad campos ſepeliatur.

Concil. Tridentinū id ita decernit ſeſſione, 25. cap. 12.

Quod hæc conſtitutionē decerni tur non eſt nouum decretum, ſed antiquum nā expreſſe habetur ad literam in regula D. Auguſtini, c. 5.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM, De apoſtatis.

QVicumque apoſtatauerit, aut temere habitum dimiſerit ipſo facto ſit excōmunicatus, quam ſententiam præſenti conſtitutione ex nunc ferimus. Si verò miſertus

ſertus ſui redierit, & humiliter proſtratus veniam petierit à cõmendatore, & fratribus domus illius, à qua receſſerat: ad ſequẽtem pœnitentiam ne recipiatur. Primo enim nudus in capitulo correctionem accipiat à prælato: Deinde per medium annũ in conclauicarius, ſeu in carcere abſque vinculis detineatur: Rurſus ſemel in hebdomada abſtineat in pane, & aqua. Completa autem huiuſmodi pœnitentia ſit nouiſsimus in conuentu, & ad priorem locum nõ redeat donec per magiſtrum ordinis, vel prouincialem cum eo fuerit diſpenſatum: modo diſpẽſatio non fiat ad minus ante duos annos, & quod anni apoſtaſiæ non computentur ei quoad locum, & antiquitatem, neque pariter illi, quos in alia religione conſumpſit: ſed ſit inferior omnibus illis, qui plures habent annos in ordine, quã ipſe habebat quando exiuit. Quod ſi ſecundo aufugerit, & redierit, ſupradicto modo per vnum annum integrum pœniteat duplicetur illi pœnitentia: & pariter id ipſum fiat, quoties apoſtatauerit ſemper cumulando, & multiplicando pœnam. Cæterũ ſi prælatus vehementem in eo proſpexerit pœnitentiam, omnibus fratribus pro eo deprecantibus, poterit in parte remittere, ſeu indulgere, ſecundum quod diſcretioni ſuæ viſum fuerit pro circunſtantia delicti. Apoſtatæ vnius conuentus non recipiantur à commendatore alterius conuentus ſine licentia prouincialis: neque rurſus apoſtatæ vnius prouinciæ recipiantur in altera niſi de licentia magiſtri generalis, & prouincialis. Si vero commendatores, huiuſmodi apoſtatas, & fugitiuos contrario modo ſuſceperint pœnæ ſuſpenſionis ab officio per tres menſes ſubiacebunt. Sed ſtatim eos remittant ad conuentum, à quo egreſsi apoſtatarunt, in quo ſecũdum exigentiam culpæ puniantur. Neque generalis magiſter, aut prouincialis poſsit tales apoſtatas, & fugitiuos à delicto abſoluere, aut eorum cauſam diffinire niſi prius ipſius delicti & criminis commiſsi iuridica cognitione præcedente. Quod ſi generalis, vel prouincialis contrarium fecerint in proximo capitulo ſequenti corrigãtur. Profugos, & vagabundos fratres per iteratas, aut ſcandaloſas fugas à cõuentibus ſuis recedẽtes, perq; notabiles abſentias, rebelles,

rebelles,inobediẽtes,& ſimilia crimina perpetrantes, Magiſter generalis,vel prouincialis in ſua prouincia de cõſilio, & cõſenſu duorũ prælatorũ: ſeu cõmendatorũ ab habitu noſtri ordinis repellant,tanquã noſtræ ſocietatis indignos, quidẽ vt habitu exuti,cum dimiſſoria ad ſummũ Pontificem mittantur, vt ab eo regulam viuendi accipiant,qua eorum ſalutem vere conſulatur. Siquis in apoſtaſia ordinatus fuerit, vel excommunicatus diuina celebrare cõtigerit,executione officij perpetuo carebit, niſi ita religioſe deinceps conuerſatus fuerit,vt cũ eo dispenſetur,& gaudeat conceſſione auctoritate ſedis Apoſtolicæ diſpenſetur,& gaudeat conceſſione priuilegiorũ ordinis.Illi vero fratres, qui falſificatis litteris generalis,aut prouincialis,vel litteris ſubreptitijs ordines ſuſceperint aut ſine licentia ipſius generalis, vel prouincialis, vel eorũ vices in hac parte habentis fuerint ordinati: hi omnes careãt ſpe diſpenſationis in ordine noſtro,& habitu exuti à Magiſtro generali, vel prouinciali ad triremes mittãtur de conſilio duorũ prælatorum. In quo tamen magiſter generalis in capitulo generali cum diffinitoribus ex iuſtis,& rationabilibus cauſis poterit diſpenſare,& miſericordia vti circa eos.Qui autem ſemel apoſtatauerit de cætero ad nullum officium, vel adminiſtrationem ſpiritualem, ſeu temporalem ordinis aſſumatur: niſi per prouincialem poſt quatuor pœnitentiæ annos fuerit reſtitutus.Apoſtatæ,& fugitiui infra domos noſtras nunquã à fratribus noſtris familiariter tractẽtur quamdiu pœnitẽt: contrariũ vero faciẽtes pœnam grauioris culpæ incurrant.Siquis cũ muliere aufugerit, vel alias in receſſu ordinẽ publice ſcãdalizauerit,ſi miſertus ſui redierit, vapulet, quantũ placuerit prælato, & per annũ integrũ ſit carcere detentus in cõpedibus ferreis: & bis in hebdomada comedat panem & aquã.Quod ſi aliquis frater aliqua ordinis bona rapuerit,& ſecũ aſportauerit:non tãtum vno anno, vt dictum eſt,in carcerali cuſtodia ſit incluſus, ſed etiam cum catena in collo, & cõpedibus ferreis tamdiu captus detineatur,donec de reatu pœnitẽdo,&de dãno ſatisfaciẽdo arbitrio magiſtri ordinis pœnitentiam, vel partem pœnitentiæ peregerit.Apoſtatæ ordinis noſtri requirãtur, & perſe-

quantur per commendatores, & fratres: vbique etiam capti, ad ordinem proposse otaliter reducãtur. Quibus secundum exigentiam excessuum, & criminum pœna taxata acrius cumulentur: quam tanto tempore substinebũnt, donec à magistro ordinis, vel à provinciali misericordiam fuerint assecuti.

Scholia Capitis Vigesimi Primi.

Apostasia à religione retrocessionem ab habitu & à religione importat. Quocirca siquis à monasterio recedat, eo animo & intentione, vt religiosus amplius non sit, & sine licentia & obedientia: ille talis nõ excusatur ab apostasia & censuris annexis, ex hoc quod deferat habitum. Quod si habitum culpabiliter quis dimiserit, quem sane patenter tenetur deferre, ille talis iudicatur esse apostata ab habitu. Et omnis qui habitum temerarie dimittit apostata esse censetur & excommunicatus. Si vero quis recedat à monasterio, non quidẽ animo retrocedendi à religione, sed vel propter libidinem vagandi, vel quia vult aliquandiu ab obseruantia religionis & rigore eius vacare animo tamen redeundi, vel propter quid simile, iste non est apostata, sed fugitiuus & vagus. Et ratio est, quia apostasia consistit in retrocessione à religione. Vnde is qui nũquam consensit retrocessioni ab habitu, neq; à religione, nunquam censendus est apostata. Licet incurrat peccatum inobedientiæ & rebellionis. Reperio ego in vetustioribus quorundam ordinum statutis, Quod siquis habitum dimiserit etiam de licentia sedis Apostolicæ, nullatenus deinceps recipiatur in ordine, nisi processu prius facto de eius egressu, & de illius indulto. An fuerit subrepticiũ & tũc non debet recipi, sed debet iuste puniri si malo titulo licentiam obtinuit.

Quod si quis in apostasia crimina commisit, nempe furta, adulteria & alia id genus, tunc pari pœna debet puniri ac si illa crimina in ordine perpetrasset. Non enim debet reportare commodum de suo delicto.

Si quis retrocedat & habitum suæ religionis dimittat: transeundo ad aliam religionẽ: Raro fit prudenter & laudabiliter, nisi magna vrgente causa. Quia plerunque scandalizantur fratres & religiosi illi qui relinquuntur, & rursus, quia facilius quis proficit in religione quam est professus: cuius regulam seruare cõsueuit, quam in alia cui non est assuetus cæteris paribus: vt in collationibus patrum habetur vbi dicitur. Vnicuique vtile est: quod secundum propositum quod delegit, summo studio ac diligentia ad operis incepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua quam elegit professione discedat. Et huius rei rationem assignat. Quia impossibile est eũdem hominẽ omnibus fulciri virtutibus, quas si voluerit simul attentare, in istud incidere necesse est, vt dum omnem sequitur, nullam integre cõsequatur. Diuersæ enim religiones præeminent secundum diuersa virtutum opera.

Potest

Poteſt nihilominus aliquis, de vna religione in aliam tranſire ex quibuſdã cauſis. Primo ex zelo perfectioris religionis, in qua non attenditur excellentia ſecundum arctiorem vitam: ſed ſecundum illud ad quod religio ſpecialiter ordinatur. Nempe ratione finis, & obſeruantiæ quæ fini proportionantur. Et in hoc caſu non poteſt fieri tranſitus niſi petita licentia, quæ negari non poteſt, quando conſtat illam eſſe arctiorem religionem. Quod ſi de hoc dubitatur petendum eſt iudicium pontificis: vt habetur in. capit. licet extra de regularibus. Cæterum ſi ex tranſitu, prior religio quam deſerit, incurreret infamiam, vel iacturam, non liceret ad aliam tranſire. Quia iniurioſus eſſet & cum detrimento ſui ordinis non ſibi licet. Secundo poteſt quis ad aliam religionem tranſire propter relaxationem quam in ſuo ordine cernit. Nempe quia religio à ſua debita perfectione declinat, & religioſi incipiunt viuere remiſſius & deformari. Tertio poteſt quis ad alium ordinem tranſire, propter infirmitatẽ aut debilitatem exqua interdum prouenit, quod non poteſt quis arctioris religionis ſtatuta ſeruare, poſſet tamen ſeruare ſtatuta laxioris ordinis: Et in hoc caſu diſpenſatio eſt neceſſaria. Cum igitur ordo noſter ſit cæteris perfectior & arctior ratione finis, non poteſt quis è noſtra religione ad aliã cõuolare ſine ſpeciali licentia ſummi pontificis. Maxime poſt edictũ concilij Tridentini, & poſt edictum Pij Quinti. Qui proprio motu reuocauit omnia ordinum priuilegia nẽ præ textu priuilegiorum fieret tranſitus ab vno ordine ad alium, In quo voluit omnia relinquere in diſpoſitione iuris cõmunis. Priuilegijs ſolum reuocatis de tranſitu fratrum.

Habemus rurſus ſpeciale decretum ex certa ſcientia Martini. V. & Calixti. III. quod ordo noſter ratione Quarti voti arctior eſt ordinibus Mendicantiũ Et quod idcirco nemo poteſt tuta conſcientia ad ordinem Mendicantium tranſire, neque apud eos permanere.

CAPVT VIGESIMVM SECVNdum, De abſolutione apoſtatæ, vel excõmunicati.

APoſtata, vel excommunicatus quando abſoluendus ſit, genibus flexis ſit coram prælato ſtante: & habeat nudũ dorſum, & ſcapularium ſuper caput & faciem, & tenendo virgas manu prælatus dicat verſum Pſalm. Miſerere mei: & conuentus reſpondeat verſum ſequentem: & in fine verſuum percutiat prælatus virgis carnẽ nudam. Finito pſalmo dicat Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, kyrie eleyſon, Paternoſter. & ne nos. Saluum fac. Domine exaudi. Dominus vobiſcũ. Oremus. Præſta quæſumus Domine, huic famulo tuo dignæ pœnitẽtiæ fru-

ctum,& ecclesiæ tuæ sanctæ, à cuius integritate deuiauit restitue,vt peccatorum cõmissorum veniam consequendò, reddatur innoxius,Deus cui proprium est misereri semper,& parcere, suscipe deprecationem nostram,vt quem delictorum, & excommunicationis catena constrinxit miseratio tuæ pietatis absoluat.Per Christum Dominum nostrum Amen. Tunc debet recipi iuramentum quod erit obediens præceptis ecclesiæ, & sui superioris.Deinde dicat. Confiteor Deo:& prælatus. Misereatur tui,Absolutionem, & Remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus.Et ego authoritate Dei omnipotentis,Patris,& filij,& spiritus sancti,& authoritate, qua fungor,absoluo te ab omni vinculo excõmunicationis,quo teneris propter apostasiam, vel violentam manuum iniectionem, vel propter contumaciam (semper exprimendo causam) & ab omnibus transgressionibus excessibus,seu omissionibus regulæ, & constitutionum nostrarum,quantum ego possum:& quod nõ possum,suppleat & perficiat omnipotens sacerdos, & summus Pontifex Iesus Christus: & restituo te societati fratrum nostrorum, & communioni & vnitati fidelium Christi, & dispenso tecum in omni irregularitate, quam incurristi.In nomine Patris,& filij & spiritus sancti. Et postea iniungat prælatus pœnitentiam vt sibi visum fuerit.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM, De recipiendis ad ordinem.

IS ordo seruandus est erga eos, qui habitum ordinis nostri efflagitant,.Primo quidem per commendatorem, vel duos idoneos fratres ad hoc specialiter deputatos à commendatore, & conuẽtu,in moribus,& sufficiẽtia,genere,& animi candore & inclinatione diligenter examinentur.Examinatis verò,com-

men-

mendatori,& conuentui ab eisdem fratribus vera,& quæ sincere nouerint recenseantur,secundum Deum, & proprias conscientias. Neque vllus ad habitum religionis nostræ admittatur nisi Latinæ linguæ sit mediocriter peritus, vel alias sit peritus lustris,vel fortunæ bonis ditatus, vel aliqua arte insignitus,vel alias iudicetur idoneus. Tales commendator in capitulo ad recipiendum habitum ordinis proponat, & consensum maioris partis omnium fratrum accipiat, ita vt nullus recipiatur in ordine nisi de consensu maioris,vel sanioris partis ipsius capituli. Et prius constet non esse coniugatum, neque seruum, neque ære alieno obligatum,neq; in alia religione professum, neque occultam, aut cõtagiosam habentem infirmitatem, neque irregularẽ, neque illegitimo matrimonio procreatum,aut alias de iure ab ingressu ordinis prohibitum. Huiusmodi defectus habentibus ingressum ordinis nostri penitus denegamus: nisi per sedem Apostolicam fuerit cum eis dispensatum. Si vero tacita veritate,vel expressa falsitate fuerint recepti,quocunque tempore id cognoscatur, ab ordine nostro penitus expellantur. Prohibemus autem,nequis commendator, mulierem ad habitum nostrum recipiat,nec ad professionem,nisi de speciali in scriptis licentia magistri ordinis, aut in articulo mortis,& seruatis superius positis cõditionibus. Quãdo ergo aliquis approbatur à maiori parte conuentus, tunc ad pedes commendatoris in capitulo humiliter se prosternat, & à prælato interrogatus quid quærat? Respõdeat. Misericordiã Dei,& vestram. Quo erecto prælatus exponat ei austeritatẽ regulæ, labores, & difficultates,& viam vitæ,& religionis,quam arcta, & riguosissima sit. Quod si respondeat se velle Deo seruire, & habitum immaculatæ Virginis deferre, & cuncta seruare: dicat prælatus: Dominus, qui incepit ipse perficiat. Et conuentus respondeat: Amen. Tunc exuat eum prælatus sæculari veste dicens. Exuatte Deus veteri homine cum omnibus actibus suis Amen. Et rursus prælatus teneat habitum religionis in manibus suis, & dicat. Ego authoritate Domini nostri Iesu Christi, & authoritate Apostolorum

lorum Petri, & Pauli, & authoritate mihi commissa trado tibi habitum nouitiorum ordinis nostri: In nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Et respondeat conuentus. Amen. Et quã do induit scapularium dicat: Induat te Deus nouo homine, qui secundum Deum creatus est in iustitia, sanctitate, & verita te. Deinde cantor incipiat Hymnum. Veni creator spiritus, mentes tuorum visita: imple superna gratia, quæ tu creasti pectora. Qui paracletus diceris, donum Dei altissimi: fons viuus, ignis, charitas, & spiritalis vnctio. Tu septiformis munere, dextræ Dei tu digitus, tu ritè promisso patri sermone ditans guttura. Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus: infirma nostri corporis virtute firmans perpetim. Hostẽ repellas longius, pacemque dones protinus: ductores sic te prę uio, vitemus omne noxium. Per te sciamus da patrem, noscamus atque filium, te vtriusque spiritum credamus omni tempore. Sit laus Patri cum filio, sancto simul Paracleto, nobisq; mittat filius charisma sancti spiritus Amen. Si in ecclesia induitur nouitius, prosternat se ante altare: Alias sit prostratus ante Prælatum, & hymnus non cantetur. Deinceps prælatus dicat Vers. Emitte spiritum tuum, domine, & creabuntur. Resp. & renouabis faciem terræ. Vers. Saluum fac seruũ tuum Domine, Resp. Deus meus sperantem in te, Vers. Esto ei Domine, turris fortitudinis, Resp. A facie inimici, Vers. Domine exaudi orationẽ meã, Resp. Et clamor meus ad te veniat, Vers. Dominus vobiscum, Resp. Et cũ spiritu tuo. Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Prętende Domine famulo tuo sæculo renuncianti dexteram tuam cælestis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen. Oremus. Adesto domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum benedicere digneris, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus: vt te largiente, & deuotus in ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum

Resp.

Reſp. Amen. Tandem aqua benedicta aſpergatur, & ad oſculũ pacis deferatur à magiſtro, & vltimum habeat locum, & tempus probationis aſsignetur ei à prælato, vt & ipſe auſteritatem ordinis: & fratres mores experiantur illius. Nam de iure nouitius monaſterium ingreditur probaturus, & probandus. Quod ſi plures habitus pluribus conferantur, mutanda ſunt, in verbis & orationibus ſupradictis, quæ rationabiliter mutari debent. Nullus fiat frater laicus, neque ad habitum admittatur: niſi de ſpeciali licentia magiſtri generalis, vel prouincialis, aut vicarij prouincialis inſcriptis. Veſtes nouitiorum ſæculares, vſque ad tempus præfixum profeſsionis eorum, ſub fideli cuſtodia reſeruentur ne pereant.

Tẽpus probationis iuxta decretũ cõcilij tridentini, Seſſione. 23. & pariter de iure eſt anⁿ integer, poſt quẽ immediate nouitius, vel repellẽdus, vel admittendus eſt ad profeſſionem.

Fratres laici dicuntur conuerſi, & recipiũtur ad opera corporalia exercenda, & ob id in maiori ætate ſunt recipiendi, quã fratres clerici, qui vocati ſunt ad contemplãdum, & cõuerſus non poteſt fieri clericus ſine licentia magiſtri ordinis, aut prouincialis.

Scholia Capitis Vigesimi Tertii.

VNiuerſum Religionis pondus, pendet ex nouitiorum debita receptione & educatione, vndè & in veteri lege, immundi ab ingreſſu ſanctuarij excludebantur. Et Sacerdos habens maculam panes Deo *offerre non poterat, nec accedere ad miniſterium. Quapropter ſanctiſſimus* Dominus noſter *Sixtus* PP. V. *proprio motu decreuit, quòd nullus ex ſacrilego, aut inceſtuoſo concubitu vſq; ad tertium conſanguinitatis, vel affinitatis gradum natus. admittatur ad habitũ neq; ad profeſsionem in aliqua religione, quod ſi ſecùs fiat profeſsionem decernit eſſe nullam, eoſq; facit inhabiles ad profitendum, & ad aſcendendum ad quoſcunq; gradus, aut dignitates. Quibus idem ſanctiſſimus* Dominus PP. *Sixtus vult portas religionis perpetuò eſſe clauſas, & obſeratas illis, ex tali concubitu natis. Et pariter perpetuò vult eſſe clauſas, ad omnia* Eccleſiaſtica *officia, & ſacros ordines.*

¶ *Rurſus pariter decreuit reliquos illegitimos ex alio thoro natos, ſpurios: vel naturales, etiam alias legitimatos ad religionem admitti non poſſe, aut debere: niſi prius illorum vita, & moribus diligenter cognitis, & circunſtantijs vniuerſis fide dignis teſtimonijs, ita vt eorum receptio videatur profutura. vniuerſæ religioni: commodo, & vtilitati eius, ſuper quo in generali, vel prouinciali capitulo matura deliberatione habita vnanimi conſenſu diffinitorum, & prouincialis, vel generalis ad habitum regularem approbentur. Et nihilominus hi ſic recepti, ad gradus, honores, & dignitates ſui ordinis perpetuò ſunt inhabiles & incapaces, niſi authoritate apoſtolica ſpecialiter diſpenſetur cum eis. Quod ſi aliquis iſtorum aliter quam diximus recipiatur decernit profeſsionem eſſe nullam, & eos à religione eſſe eijciendos, & receptores excommunicantur.*

¶ Extat rursus pontificis decretum iuuenes aut viros adultos maiores sex decim annis non aliter posse habitum religionis recipere quam si prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur accurata, & fide digna informatione, qua exploratum sit eos non homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, vel grauiora delicta perpetrasse, aut de eis suspectos esse, nec ingenti ære alieno grauatos aut de reddēdis ratiocinijs esse obnoxios, de quibus omnibus in generali, vel prouinciali capitulo plena fide facta si approbētur à generali, vel prouinciali & diffinitoribus ad habitū religionis admitti possunt. Quod si tales crimino si recipi velint, eos decernit perpetuo esse inhabiles ad religionem. Et si temere admittantur, etiam professio istorum criminosorū, annullatur, & irritatur & tanquam nulla decernitur à pontifice, & licere quibuscunque iudicibus etiam secularibus contra huiusmodi sic receptos ciuiliter, & criminaliter procedere.

¶ Deinde eodem proprio motu decernitur, quod admissio & approbatio seu receptio cuiuscunque iuuenis aut viri maioris decem & sex annorum ad religionē fiat in generali, vel prouinciali capitulo, seruato ordine supradicto: ita tamen, vt religiosi sic recepti, nomen & cognomen quibus vtebantur in seculo & eorum patria in actis ipsius capituli describantur & notentur.

¶ Sed obserua quod in receptione eorum qui non sunt criminosi, licet sint maiores sexdecim annorum non irritat professionem nec eos facit inhabiles si recipiantur non seruato prædicto ordine neque puniuntur prælati, qui eos nō criminosos maiores sexdecim annorum receperint ad habitum. & professionem, licet prælatis sit interdictum eos recipere, aliter quam ex præscripto ordine eiusdem Pontificis. Cæterum si recipiantur criminosi & illi, qui sunt inhabiles: receptores voce actiua, & passiua, necnon officijs, gradibus honoribus, & dignitatibus in perpetuum priuantur.

¶ Tandem licet hoc decretum ex proprio motu Sixti V. legatur, nihilominus hoc vltimum, quod maiores decem & sex annorum non possint recipi, nisi in capitulo prouinciali vel generali admittantur, ex eiusdem Pontificis iussu voluntate & declaratione, iā nō est seruandum. Vnde licebit extra capitulum generale aut prouinciale maiores decem & sex annorum recipere, ex consensu prælati & vocalium Monasterij in quo recipi debent nouitij cæteris clausulis in eodem proprio motu contentis & positis ab eodem Sixto V. in suo robore persistentibus & manentibus. Quocirca sicut ante decretum Sixti licuit maiores sexdecim annorum recipere, ita modo licebit sicut ætas maiorum non sit impedimentum recipiendi iuuenes & viros eodem modo & ordine sicut antea, non exspectato capitulo generali aut prouinciali.

Caput

CAPVT VIGESIMVM quartum, De instructione nouitiorum.

COmmendator nouitijs magistrum prudentia insignitũ, diligentem, pium, & doctum in eorum instructione præponat: qui eos debitè, quæ religionis sunt doceat, ad diuina adhortetur, in Ecclesia excitet, & in quibus se habuerint negligẽter verbo, vel signo eos studeat emendare. Necessaria prout poterit debet illis à prælato procurare. De apertis negligentijs cum ante eum veniam petierint dare pœnitentiam, vel eos in suo capitulo corrigere, & emendare. Humilitatem cordis, & corporis doceat eos habere: exemplo Redemptoris nostri dicentis discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Frequenter purè, & circunspectè doceat eos confiteri: & solus eorum confessiones audiat. Doceat rursus eos, sine proprio viuere. Propriam voluntatem deserere, & obedientiam in omnibus obseruare pro voluntate sui prælati adimplenda. Quo nam modo vbique & in omnibus nouitij se gerere debeant instruẽdi sunt à magistro blando sermone, & cum omni charitate. Et quod locum in quo positi fuerint teneant vbiq;. Quomodo sibi dãti aliquid, vel auferenti male, vel benedicenti, inclinari debeãt. Qualiter ad cellas se contineant, vt oculos sublimes non habeant. Quomodo, vel quid orent, & quam silenter, vt alios non perturbent, aut impediant. Quomodo in capitulo, vel vbicumque fuerint reprehensi à superiore sit venia captanda. Et si fratrem suum scandalizauerint, tantisper iaceant prostrati ante pedes eius, donec placatus erigat ipsos. Instruendi præterea sunt nouitij, vt cum nemine contendere audeant: & quod in omnibus magistro suo obediant. In processione socium sibi collateralem attendant: & non loquantur locis, & temporibus interdictis. Neminem penitus iudicent: Sed si quæ viderint ab vllo fieri, (licet mala appareant) bona suspicentur, vel bona intentione facta, sæpe namq; humanum fallitur iudicium. Neque loquantur de absente, nisi

quæ bona sunt. Disciplinas frequenter susciplant. Diligenter libros,& vestes,& res omnes monasterij custodiant. Duabus manibus bibant,& sedendo. Si quid petitum fuerit ab vno præfecto,ne petatur ab alio nisi causa proposita, & exposita. Sed neque si à maiori petierint,& negauerit vadant ad minorem. Item nouitij ante professionem à debitis se expediant: & omnia alia ad pedes sui commendatoris exponant,vt se omnino expediãt & absoluant. Intra annum probationis,psalmodiæ,& cęremonijs,& diuino officio sint intenti, in quo diligenter studeant:& infra annum ad longinquas partes (nisi ob causam necessariã) nouitij non mittantur: nec in aliquo extra claustrum occupentur officio. Neque vestes eorum ante professionem alienẽtur, neque ipsi ante professionẽ ordinentur. Item nouitij, nec inter sint capitulo: Neque in dormitorio cum alijs fratribus iaceãt. Sed extra capitulum commendator aut magister eorũ culpas audiat diligenter,bonis moribus instruẽdo,& charitatiue illorum errata corripiendo.

Scholia Capitis Vigesimi Quarti.

Instructio nouitiorum & educatio materia grauis est, imo vero grauissima in religione. Cuius cura & diligentia obligat ad mortale magistros nouitiorum, & commendatores in suis conuentibus. Nihil *grauius aut magis necessarium in religione bene instituta excogitari potest, vt in puritate & decore eius debito perseueret: Quam summam adhibere curam, de instructione eorum qui habitum religionis noue suscipiunt. Profecto si arborem è terra natam initio nõ è directo sursum dirigas, continuo fiet, vt si tortuosis & inflexis crescat ramis, nunquam corrigi aut emendari possit. Quocirca si monachus in religione à præposito de verbis otiosis non carpitur aut emendatur, restat vt mendacia & falsa testimonia crescant in eo. Cum quis ordinem, spiritu Dei actus ingreditur, facile instituitur atq; imbuitur, verũ si tepide & remisse semel cæperit cõuersari: & non cernit in religione, vitæ obseruantiã, aut castitatis debitum candorem: reliquos eiusdem viæ viros insectatur, atque ita fit, vt corruat & labatur. Et ob id nunquam aut raro hi corriguntur, neque emendantur. Quapropter magister nouitiorum, Qui in schola religionis magister discipulorum vocatur, inuigilare debet, ne minis murus ordinis ruat: & ob id eos acriter interdum reprehendere, & punire oportet, præcipuè si illos superbia elatos, & mente distractos, repererit. Mirabile & incredibile videtur: quod sanctissimus Chrysostomus recenset, in religiosis sui temporis euenisse: asseuerat enim*

enim quod præpoſito ordinis ſeu Abbate ſe erigente: ex paruo & tenui quodam pedum eius ſtrepitu, dum ſe moueret, monachos à ſomno excitabat: Quia magis Deo quam ſibi attendebant. Timor enim ſeruorum & filiorum Dei non ſuſtinet tarda molimina, non dormitiones aut ſomnum, in dilectis. Et ob id neceſſe eſt vt ſtenue ſe exerceat, qui noue incipit religionẽ, vt detrahens à ſomno, vigiliæ & orationi incumbat & ſe contemplationi tradat. Vnde fratres illi noſtri ordinis, qui primo vixerunt non nudi dormiebant, ſed ſicut in die incedebant pari habitu induti tantiſper noctu ſoporabantur, continuis enim & crebris vigilijs & precibus aſſuefacti, nihil vnquam eis moleſtum erat: cum iam corpore & ſenſu deuictis, omnia illis eſſent iocunda. De Socrate refertur reſpondiſſe cuidam alteri philoſopho, nomine Zophirus, qui cũ Socratis vultum & faciem attente inſpiceret, ex phyſionomicis ſignis, deduxit Socratem peßime in pleraque mala inclinari & propẽdi. Cui fertur reſpondiſſe ea omnia vera eſſe, & in ſimilia ex naturæ inclinatione deduci, cæterũ iã illa à ſe eſſe ſuperata & deuicta, exercitatione virtutũ & philoſophiæ perfecta cõſequutione & cognitione. Quo circa ingẽti cura nouitij ſunt inſtituendi actibus religioſis, & exercendi in operibus Dei. In Ægypto namque ne obedientiæ munus contepeſceret, magiſter & præceptor religionis, nouitios iugiter ſic exercebat, vt etiam lignum aridũ in terra defixum irrigarent quotidie. Quod ob eam cauſam recenſeo vt in vigilent ordinũ antiſtites in educatione nouitiorũ & attendant quantum in ea re profutura ſit religio, ſanctitas, vita & autoritas eius apud Deum & homines.

Sine proprio viuere, &c. Hoc quod de nouitijs dicitur multomelius obſeruari debet ab his, qui profeßionẽ emiſerunt, cui, D. Aug. in regula præcipit dicens. Neq; dicatis aliquid propriũ, ſed ſint vobis omnia cõmunia. Propriũ vero dicitur quicquid celatur prælato ſuo vel retinetur cõtra volũtatẽ prælati. Quo circa religioſus, qui recipit, & occultat, vel recipiẽdo nõ eſt paratus deponere rẽ ſibi collatã in manibus commendatoris, vel ſi quid abſcondit, ne à prælato, videatur, aut accipiat proprietarius eſt & mortaliter peccat. Vnde nihil fratres niſi ad vſum & de licentia ſuorum prælatorũ retinere poſſunt, neque aliquid vẽdere, donare, pignorare commutare, vel quo vis modo alienare. Neque rurſus pecunias aut alia bona apud mercatores, vel cãpſores tenere, ſeu mutuare, aut negotiationes exercere alias nouerint ſe eße proprietarios & ſocios Iudæ locuſque cum ipſo habere. Religioſus, igitur, cum proprietarius eſſe non poßit, neque dominium alicuius rei habere: de ſibi conceßis ad vſum nihil poteſt donare, neque de eo, quod acquirit per induſtriam, vel ſibi quacunque ratione donatur. Quia omnia præ-
dicta ſunt monaſterij cuius eſt verum Dominium.

(?)

CAPVT VIGESIMVM QVINtum, De Professione.

Ita sancitur in Concil. Trident. sessio. 25. c. 15. in decreto de regularibus, & monialibus.

NOuitij non recipiantur ad professionem ante annum completum decimum sextum: alias professio sit irrita: & nisi prius sint à maiori parte conuentus approbati. Et præcipimus sub excommunicationis sententia prælato, vt quando vocatur nouitius ad professionem suscipiendam, protestetur eidem, quod professio obligat eum, quatuor votis essentialibus: obedientiæ, castitatis, paupertatis, & manendi in terra Sarracenorum (si opus fuerit:) & viuendi secundum regulam patris nostri Augustini, & constitutiones ordinis nostri, non prout in vno, vel in alio loco seruantur: sed prout in illis continetur. Et si his pensatis noluerit profiteri, vel si intra annum probationis voluerit ad sęculum reuerti, vel admonitus mores nouitij religioni non expediant: prælatus causa expulsionis, capitulo proposita, tonsuram radat, & exuat habitum dicendo. Ego authoritate Domini nostri Iesu Christi, & authoritate Apostolorum Petri & Pauli, & ab ordine mihi tradita, exuote habitu nouitiorum nostri ordinis, & ab illius obseruatione te absoluo: & restituo te in priorem statum secularem, in quantum ego possum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen. Si vero voluerit permanere in religione, sequenti modo detur professio. Cantato offertorio (si in Ecclesia fit solemniter) adducatur nouitius per eius magistrum, vel aliquem alium antiquum fratrem, ad gradus altaris: & à prælato expolietur capucio, & capa, & scapulario dicendo. Exuat te Deus veteri homine cum omnibus actibus suis. Deinde benedicantur vestes hoc modo. Vers. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Resp. Et salutare tuum da nobis. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Domine Iesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensæ largitatis tuæ abun-

abundantiam, vt hoc genus veſtimentorum, quod ſancti patres ad innocentiæ, & ſanctitatis indicium ferre ſanxerunt: ita bene ✠ dicere digneris, vt qui hoc vſus fuerit, te induere mereatur. Qui viuis, & regnas, &c. Deinde aſpergatur aqua benedicta. Tunc flexis genibus nouitius ter dicat hunc verſum: Suſcipe me, Domine, ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Et ter reſpondeat conuentus: Suſcepimus deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Sicut erat, &c. Amen. Poſtea induat eum prælatus veſtibus benedictis dicens. Et ego authoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & authoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli: & authoritate ab ordine mihi commiſſa, Do tibi habitum profeſſorum ordinis noſtri: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen. Et quando incipit induere dicat. Induat te Deus nouo homine, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, ſanctitate, & veritate. Tunc proſtretur nouitius, & prælatus dicat. Oremus. Deus miſericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, ſine quo nihil ſanctum inchoatur, nihilque boni perficitur, adſint noſtris precibus aures pietatis tuæ, & hunc famulum tuum, cui in tuo ſancto nomine habitum ſanctæ religionis noſtræ impoſuimus: à mundi impedimento, & ſeculari deſiderio defende: & concede ei, vt in hoc ſancto propoſito deuotus perſiſtere, & remiſsione peccatorum cœpta ad electorum peruenire valeat conſortium: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Deinde dicatur pſalmus. Ecce quàm bonum, & quam iucundum, &c. Vſque ad, Gloria Patri, &c. Amen. Quo finito, prælatus incipiat letanias, & cõuentus reſpõdeat, vt ſequitur.

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Chriſte audinos.
Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus. miserere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix. ora.
Sancta Virgo Virginum. ora.
Sancte Michael. ora.
Sancte Gabriel. ora.
Sancte Raphael. ora.
Omnes Sancti Angeli,& Archangeli. orate.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines. orate.
Sancte Ioannes Baptista. ora.
Omnes Sancti Patriarchæ,& Prophetæ. orate.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andrea. ora.
Sancte Iacobe. ora.
Sancte Thoma. ora.
Sancte Iacobe. ora.
Sancte Philippe. ora.
Sancte Bartholomæe. ora.
Sancte Matthæe. ora.
Sancte Simon. ora.
Sancte Thadæe. ora.
Sancte Matthia. ora.
Sancte Marce. ora.
Sancte Luca. ora.
Sancte Barnabe. ora.
Omnes Sancti Discipuli Domini. orate.
Omnes Sancti Innocentes. orate.
Sancte Stephane. ora.
Sancte Clemens. ora.
Sancte Cypriane. ora.
Sancte Laurenti. ora.

Sancte

Sancte Vincenti. ora.
Sancte Dionyſi cum ſocijs tuis. orate.
Sancte Mauriti cum ſocijs tuis. orate.
Sancte Sebaſtiane. ora.
Sancte Thoma. ora.
Omnes Sancti Martyres. orate.
Sancte Sylueſter. ora.
Sancte Hilari. ora.
Sancte Martine. ora.
Sancte Auguſtine. ora.
Sancte Ambroſi. ora.
Sancte Nicolae. ora.
Sancte Dominice. ora.
Sancte Franciſce. ora.
Sancte Hieronyme. ora.
Sancte Benedicte. ora.
Sancte Antoni. ora.
Omnes Sancti Confeſſores. orate.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Martha. ora.
Sancta Felicitas. ora.
Sancta Perpetua. ora.
Sancta Agatha. ora.
Sancta Agnes. ora.
Sancta Cecilia. ora.
Sancta Catherina. ora.
Sancta Vrſula. ora.
Sancta Eulalia. ora.
Sancta Margarita. ora.
Sancta Tecla. ora.
Sancta Marina. ora.
Omnes Sanctæ Virgines. orate.
Propitius eſto. Parce nobis Dñe.
A damnatione perpetua. Libera nos Dñe.
Vt regularibus diſciplinis, nos inſtruere digneris. Te rogam.

Vt præsentem fratrem conseruare, & visitare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt statum nostrum roborare digneris. Te roga.

Vt nos in tuo sancto seruitio conseruare digneris. Te rogam.

Fili Dei. Te rogam.

Fili Dei. Te rogam.

Fili Dei. Te rogam.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Dñe.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Dñe.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Dona nobis pacem.

Christe audi nos. Christe exaudi nos, Kyrie eleyson, Christe eleyson. kyrie eleyson. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas intentationem. ℟. Sed libera nos à malo. Vers. Saluum fac seruum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. Vers. Mitte ei Domine auxilium de sancto. Resp. Et de Sion tuere eum. Vers. Esto ei Domine, turris fortitudinis. Resp. A facie inimici. Vers. Nihil proficiat inimicus in eo. Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Deus, qui non mortem peccatoris, sed per pœnitentiam, & emendationem vitam semper inquiris, te suppliciter deprecamur: vt huic famulo tuo secularibus actibus renuntianti, largè pietatis tuæ gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium vitæ præsentis percurrere valeat, vt brauium æternæ remunerationis te donante percipiat. Per Christum, &c. Oremus.

Deus, qui renuntiantibus seculo mansionem præparas in cœlo dilata huius sanctæ congregationis temporale habitaculum, cœlestibus bonis, & præsta, vt fraterna teneantur compagine charitatis, vnanimes continentiam præceptam custodiant, sobrij, simplices, & quieti, gratam sibi datam professionis continentiam, tua gratia fuisse cognoscant: concordet eorum vita cum nomine, vt professio sentiatur in opere. Per

Domi-

Dominum noſtrum, &c. Oremus.

Deus, qui nos à ſeculi vanitate conuerſos, ad æternæ vocationis accendis amorem: pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perſeueremus infunde, vt protectionis tuæ muniti præſidijs, quæ te donante promiſimus impleamus: & noſtræ profeſsionis executores effecti, ad ea, quæ credentibus in te dignatus es promittere, pertingamus. Per Chriſtum, &c. Reſp. Amen.

Deinde ſurgat nouitius, & legat profeſsionem, quam manu propria ſcribat, (ſi ſcit.) ¶ Ego frater. N. Facio profeſsionem, & promitto obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, obſeruare Deo, & Beatæ Mariæ, & tibi. N. Commendatori huius domus. N. Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, vice noſtri patris. N. Magiſtri generalis, & ſucceſſorum eius, ſecundum regulam patris noſtri Auguſtini, & conſtitutiones eiuſdem ordinis, prout in eis cõtinetur: eroque obediens tibi, & ſucceſſoribus tuis vſque ad mortem: & in Sarracenorum poteſtate in pignus (ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſti fidelium) detentus manebo. Et ibi annus, menſis, & dies ſignetur. Et qui profitetur ſubſcribat. Poterit etiam prælatus cum duobus alijs fratribus ſubſcribere. Poſtea dicant fratres Verſus. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Reſp. A templo ſancto tuo quod eſt in Hieruſalem.

Deinde prælatus donet ei communem ſocietatem, tenendo manus nouitij intra ſuas clauſas, dicens. Omnes, quamuis per gratiam baptiſmi fratres ſimus in Chriſto, & vnum patrem habeamus in cælo, ſi eius præceptis, prout poſſumus, obſequimur, proculdubio tunc maxime vnimur, quando orationibus, & beneficijs, inuicem nos metipſos copulamus. Quemadmodum & in primitiua Eccleſia, quibus cor vnum erat, & anima vna, quorum amore plures accenſi, mente, poſſeſsiones, & facultates rerum vendentes, congregatis cum matre Ieſu in vnum, pretia deferebant,

gaudentes: quæ accepta, Apoſtoli tradebant omnibus, prout opus erat: Sicque iſte nihilominus, Deo inſpirante, eorum exẽplo commonitus, noſtris optat iungi cõſortijs. Idcirco damus ei communem ſocietatem viuendi nobiſcum, quantum à Domino poſſumus promereri, & noſtrum eſt largiri: quatenus cũ electis à remuneratore omnium bonorum valeat premia repromiſſa percipere. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen. Poſtea detur ab omnibus oſculum pacis. In quolibet conuentu habeatur liber ſpecialis, in quo ſint omnes profeſsiones ſcriptæ notando diem, menſem, & annum. Poſtea qui profeſſus eſt, inter antea profeſſos ſedebit vltimo loco.

SCHOLIA AD CAPVT XXV.

DE PROFESSIONE.

Profeſsionis interpretatio.

Roſeßio eſt ſolemne votum, quo quis religioſus efficitur & in perfectionis ſtatu conſtituitur. Nam religioſi, ad ea quæ ad perfectionẽ pertinent, ſunt perpetuò obligati, cum ſolemnitate conſecrationis & profeßionis. Quocirca monachus, licet non profiteatur ſe eſſe perfectum, tamen profitetur, ſe ad perfectionem tẽdere. Et idcirco culmen religionis attendens Concilium Tridentinum ſanciuit Seßione. 25. cap. 15. Quod profeßio non fiat ante decimumſextum annum expletum: & q profeßio antea facta, nulla ſit, nullamq; inducat obligationem, &c. Ex quo palam ſequitur, quod ſiquis aliquem, ad profeßionem admiſerit infra annum probationis, peccat mortaliter, & is qui talem profeßionem emiſit, non obligatur illi religioni.

Conc. Tri.

Quod profeſsio eſt duplex.

¶ *Profeßio duplex eſt, prima ſolemnis, quæ expreſſe & cum quadam ſolemnitate perficitur, vt conſtat ex prædicto cap. 25. conſtitutionum. Altera verò eſt profeßio tacita, quæ fit in ordine noſtro, quando quis poſt decimumſextum annum completum, per annũ integrũ, habitu noſtræ religionis indutus, inceßit. Et idem contingit in alijs religionibus, vbi habitus nouitiorũ, non eſt diſtinctus ab habitu profeſſorum. Itaq; tranſacto probationis anno, ante emißionem profeßionis ſolemnis, iam ille profeßionẽ tacitã emiſit. Nam & conuentus & nouitius tacuerunt, & ambo videntur conſenſiſſe. Et talis ſane profeßio tacita, obligat profitentem. Et tunc ex ea, peculiariter obligatur illi religioni in ſpecie, cuius habitum per annum continuum & integrum, nulla proteſtatione*

facta.

facta portauit. Quod ita eſſe decernitur in Clementina. Eos. de regularibus. Et Pius, V. ſpeciali decreto, in reductione fratrũ conuentualiũ, ad fratres minores de obſeruantia, ſanciuit, nouitios ex conuentualibus, elapſo iam anno probationis ſuæ, non indigere ſolenni profeßione, ſed ex ſola tacita profeßione, obligari ad obſeruantiam religionis perpetuam.

℣ Et promitto obedientiam.

INter tria vota, potißimum, & religioni intrinſecum cenſendum eſt obedientiæ votum. Tum quia per obedientiam in profeßione & eius voto exercitã maius bonum Deo offertur, quam per alia. Nam propria voluntas, & bona animæ, quæ bonis corporis præferuntur, per obedientiam Deo conſecrantur, & offeruntur. Per reliqua autem vota, bona corporea, & externa ſunt quæ offeruntur. Continet præterea obedientiæ votum reliqua religionis vota, & non vice verſa. Nam qui obedientiam promittit, pollicetur ſanè ſine proprio viuere & caſtè ſe gerere. Et tandem votum obedientiæ, ſe ſe extendit ad actus propinquos fini religionis: qui finis eſt perfectio charitatis, & dilectionis Dei, & quanto aliquid propinquius eſt fini, tanto excellentius eſt. Quocirca ſub obedientiæ voto, caſtitatis obſeruantia, & voluntaria paupertas, & præceptorum quæ in regula, & conſtitutionibus habentur, adimpletio, pariter continentur. Et ob id in quibuſdam religionibus, ſub ſolo obedientiæ voto, profeßio celebratur, quæ in traditione ipſius profitentis conſtit. Deinde regulares viri, veræ obedientiæ profeſſores, vitam inſtituere debẽt iuxta præſcriptum regulæ quam profeßi ſunt, nec ſuperiores poſſunt, ea quæ ad ſubſtantiã regularis vitæ pertinẽt relaxare. Et idcirco Trident. concil. ſeſſione. 25. cap. 1. de regularibus, ſuperiores admonet, vt vigilent ſuper gregem ſuum: & quod ob id facere tenentur generalia & prouincialia capitula, quæ ſuis temporibus non debent prætermittere. Conc. trid.

Et licet obedientiæ voto conſtringamur, tamen in ordine noſtro, trãſgreſsio vel ommißio conſtitutionum: ex ſuo genere, non obligat ad culpam, ſed ad pœnam. Quoniam per hunc modum obligamur ex noſtra profeßione, ad conſtitutiones ordinis, niſi materia ſit grauis, aut niſi tranſgreſſores ex contẽptu, vel ex licentioſa conſuetudine agendi contra preſcriptum regulæ, & conſtitutionum, ſæpius & ſcienter operentur. Adde rurſus, quod ea quæ continent manifeſtum præceptum, ſiue illud in conſtitutionibus referatur, ſiue ore tenus imponatur à prælato, obligat ex ſuo genere ad mortale.

Non erit ingratum dilectißimi fratres, amplius aperire altiſsimum obedientiæ vinculum. Cum enim ſtatus religionis, ſit exercitium quoddam & diſciplina, per quam itur ad charitatis perfectionem: idcirco neceſſe eſt religioſum, affectum ſuũ totaliter abſtrahere à rebus mundanis & propter hanc cauſam, D. Auguſt. loquens cum Deo. 10. confeſ. capit. 29. ait, Minus te amat, qui tecũ D. Aug.

Matth.19. aliquid amat, quod non propter te amat. Vnde religionis perfectio, ſita eſt in imitatione Chriſti: iuxta illud Matth.19. ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & ſequere me. At in Chriſto maximè cõmendatur eius obedientia. Nam factus eſt obediens vſque ad mortem, ad Philipenſ.2. Hinc plane colligitur: quod obediẽtia pertineat ad religionis maximam perfectionẽ. Vnde. 7. q. 1. cap. Hoc nequaquam, legitur. Monachorum vita, ſubiectionis habet verbum, & diſciplinatus. Nam votum obedientiæ protenditur ad totius humanæ vitæ diſpoſitionem. Et hac de cauſa religionis promiſſa obedientia, quandam habet vniuerſalitatem, D. Greg. vlt. lib. in moralibus, cap. 12. ait, obedientia victimis iure præponitur. Nam per victimas aliena caro, per obedientiam vero, propria voluntas mactatur. Cum igitur religionis vota, ſint quaſi holocauſta quædam, ſequitur obedientiæ votum eſſe præcipuũ inter omnia. Vnde ieiunium, nõ redditur Deo acceptum cum propria voluntate, iuxta illud Iſaiæ 58. Ecce in diebus ieiunij veſtri, inuenitur voluntas veſtra. Imo vero Auguſt. lib. de virginitate, cap. 46. ait. Nemo quantum puto audebit virginitatem præferre monaſterio. Quamuis hæc virginitas puriſſima ſit, de qua ſancti Patres dicunt, non deerit laureola virginitati ſicut nec martyrio. Colligamus ergo religioſum fratrem, eodem genere peccati, grauius peccare ſæcularibus omnibus. Vnde de peccato religioſorum, tanquam de maiori malo magis videtur eſſe dolendum: Iuxta illud Ieremiæ, 23. contritum eſt cor meum in medio mei, & cauſam ſubiungit dicens. Propheta namque & ſacerdos, polluti ſunt, & in domo mea inueni malum eorum: obſeruet tamen religioſus frater in hac parte, quod peccatum à religioſis commiſſum, poteſt eſſe grauiũs peccato ſæcularium, etiam eiuſdem ſpeciei. Primo ſane, ſi peccet contra votum religionis, vt puta ſi religioſus caſtitatem tranſilire decerneret, aut ſi furtum cõmitteret. Nam fornicando, cõtra continentiæ votum reuelatur, & furando contra paupertatis votum ſe prodit, & non ſolum contra præceptum diuinæ legis vt ſæculares. Secundo verò ſi peccet ex contemptu: quia in hoc religioſus monachus videtur eſſe ingratus diuinis beneficijs, quibus ad ſtatũ religionis eſt ſublimatus. Et hac de cauſa Paulus ad Hebræos, 10. ait quod fidelis grauiora meretur ſupplicia, ex hoc quod peccando, filium Dei conculcat per contemptum, vnde & Deus ipſe conqueritur, Ieremiæ. 11. Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Rurſus tertio manachorum crimina grauiora eſſe poſſunt, Quoniam ad eorum vitam, plures de populo reſpiciunt. Vnde Ierem. 23. dicitur, in Prophetis Ieruſalem ſimilitudinem vidi adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus peßimorum, vt non conuerteretur vnuſquiſque à malitia ſua. Quod ſi monachus non quidem ex contemptu, ſed ex infirmitate aut ignorantia peccatũ committet, & ſine ſcandalo, aut in occulto ſi tamẽ non ſit contra votũ profeſſionis ſuæ, non grauius peccat ſecularibus.

Paulus.

7. q. 1. capi. Hoc nequaquam.

D. Gregorius.

D. Aug. lib. de virginitate.

Paulus Hebræ. 10.

Pro-

¶ Promitto paupertatem.

PAupertas quæ in ordine nostro promittitur, debet esse Euangelica. Quia licet in communi redditus, & prouentus bonaq; mobilia & immobilia, tanquam propria habeantur. Cæterum nemo ex regularibus, aliquid proprium possidere potest, aut tenere, tanquã proprium, etiã nomine cõuentus in particulari. De qua re extat luculentũ & sanctissimũ decretũ Concil. Trid. Sess. 25. c. 2. In quo antiqua innouantur decreta. Vnde & hæc paupertatis vita, apostolica est, de qua hanc protulit vocẽ Petrus princeps Apostolorũ, dicẽs Matth. 20. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: & ob id iudicis officio Apostolos afficiendos esse Christus promisit, quia omnia spernebant. Nã iudex ab ira, odio & amore, & bonis litigãtiũ vacuus esse debet. Et qui propria contẽnit libẽtius aliena reijciet. Qualiter autẽ in ordine nostro, paupertas sit obseruanda, sanctè & prudẽter decernitur in cõstitutione nostra, cap. 20. de proprietarijs: in quẽ locũ remittimus lectorẽ. D. Greg. lib. 2. Moraliũ. c. 27. affirmat, q; ad cõprehendendũ culmen perfectionis, nõ solũ interius, sed etiã exterius, oportet cũcta derelinquere. Cũ igitur oporteat religiosos ad cõprehendendũ perfectionis culmẽ accingi: necesse est, vt dũ altiora interius appetũt, exterius cũcta derelinquãt. Nã religionis status disciplina est, & schola, qua ad charitatis perfectionẽ itur: Et ob id necesse est monachũ, à rebus mundanis prorsus euulsum esse. Vnde ex hoc, q; quis res possidet mundanas, eius allicitur animus ad earũ amorẽ. Quare scite Paulus. 1. ad Timot. vlt. scripsit. Qui volũt diuites fieri, incidũt intẽtationem, & in laqueũ diaboli, qui sane affectus repellitur à religiosis, qui volũtariã paupertatem sequũtur. Pertinet ergo paupertas ad religionis perfectionẽ. Sic enim Christus ait Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Vnde iuuenis ille qui à Christo cõmemorata audiuit verba, tristis discessit, & nõ ob aliud, nisi quia magnas habebat diuitias: Et inde palã est, quod ad perfectionem charitatis acquirendam, primũ fundamentum est voluntaria paupertas, vt monachus sine proprio viuat, iuxta consilium Christi citatum, si vis perfectus esse, &c.

Explicatur votum paupertatis, eiusq; obligatio, & excellentia.

Conc. Trid. Sess. 25. c. 2.

D. Gregor.

D. Paulus.

Matth. 19.

Nõ conturbet vos charissimi fratres, q; impudẽter hæretici obijciũt, de volũtaria paupertate: quã dãnãt, dicẽtes nõ requiri ad perfectionẽ religionis. Vnde allegãt illud Eccles. 13. Beatus diues qui inuentus est sine macula. Et illud Philosophi in. 1. Ethi. q; organicæ diuitiæ deseruiũt ad fœlicitatẽ. Et inde intulerũt, q; cũ vltima perfectio hominis in eius beatitudine consistat, & diuitiæ cõferant ad beatitudinẽ: q; volũtaria paupertas, nõ requiritur ad perfectionẽ religionis. Potissime cũ paupertas excludat eleemosynarũ largitionẽ, quæ ẽ op°, maxime Deo acceptũ. Nõ inq; vos hæc cõturbẽt. Quoniã licet ad vitæ fœlicitatẽ, quæ in operationib° exteriorib° cõsistit, instrumẽtaliter diuitiæ coadiuuẽt. Cæterũ ad fœlicitatẽ cõtẽplatiuæ vitæ, nõ multũ operãtur, sed poti° impediũt. Quia diuitiarũ solicitudo, quietẽ animi pturbat, quæ apprimẽ necessaria est cõtẽplãti. Et ob id Aris. 10. Eth. dicit, q; ad actiones op° est multis, speculãti vero, nullo taliũ s. exte

Eccles. 13.

Arist. 1. Eth.

Aristot. 10. Ethic.

riorum bonorum: quia impedimẽta ſunt ad ſpeculationem. Vnde Chriſtus Mat
Matth. 19. thæi. 19. ait ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da paupe
ribus, & ſequere mẽ, & habebis theſaurum in cœlo. Ac proinde volũtaria pau
pertas, efficax exercitium eſt, perueniendi ad perfectam charitatem. Et idcirco
magni valoris eſt, ad cæleſtem beatitudinem cõſequendam. Diuitiæ quidem ha=
bitæ perſe ſe natæ ſunt perfectionẽ charitatis retardare. Primo ſane animum al
Matth. 13. liciendo: ſecundo autem diſtrahendo: iuxta Matth. 13. Quod ſolicitudo ſæcu=
li, & fallacia diuitiarum, ſuffocant verbum Dei. Et ob id Dominus Matth. 19.
ait quod diues, difficiles intrabit in regn ũcœlorum. Quod interpretandum eſt,
de eo, qui actu habet diuitias. Quoniam de illo qui affectum in diuitijs conſti=
tuit, ſecundum Chryſoſtomi expoſitionem, hoc eſt impoſsibile, & ideo ſubiungi
tur, facilius eſt camelum per foramen acus intrare, quam diuitem in regnum
cælorum. Et hæc eſt cauſa cur non ſimpliciter dicitur: diues eſſe beatus, ſed qui
inuentus eſt ſine macula, & poſt aurum non abijt nec confidit in pecuniæ the=
ſauris. Quis eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua, vt ſci=
licet inter diuitias poſitus, diuitias non amaret.

Tandẽ dilectiſsimi fratres, abrenunciatio propriarũ diuitiarum ad eleemo=
D. Thom. ſynarũ largitionẽ cõparatur, vt dicit S. Præceptor Thomas Aquinas, ſicut vni
D. Gregor. uerſale ad particulare, & ſicut holocauſtũ ad ſacrificiũ. Vnde Grego. Hom. 20.
Super Ezechielem Prophetam ait, eos qui ex poſſeſsis rebus ſubſidia egentibus
miniſtrant, ſacrificium offerre: Quia aliquid Deo immolant, & aliquid ſibi re=
ſeruant. Eos vero qui nihil ſibi prorſus reſeruant, holocauſtum offerre, quod
D. Hieron. eſt maius ſacrificio. Et ob id eleganter D. Hieronymus contra Vigilantium, ſic
ait. Quod autem aſſeris, eos melius facere, qui vtuntur rebus ſuis, & paulatim
pauperibus diuidunt poſſeſsionum fructus, non à me illis, ſed à Deo reſpõdetur,
ſi vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus & ſequere
D. Auguſt. me. Vnde Auguſt. lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, ad vigilantij errorem depel
lendum ait, Bonum eſt facultates, cum diſpenſatione pauperibus erogare, ſed
melius eſt pro intentione ſequendi Dominum, in ſimul donare: & abſolutum in
ſolitudine egere cum Chriſto. Et hæc ſatis ſint ad paupertatis celſitudinem nunc
euehendam.

¶ Et Caſtitatem.

Explicatur votũ Caſti=
tatis, eiuſq; obligatio, & excellen
tia.

DE Caſtitate vero plura occurrebant dicenda, ſed paucis hoc abſoluemus.
Per Caſtitatis votum, religioſus de domeſtico triumphat inimico, nimirũ
de carne & ſtimulis eius, quæ interdum diabolo, & mundo moleſtior eſt. Quo=
circa caſtitas Angelorum repræſentat naturam, & Chriſto, ſecundum ani=
mæ puritatem & corporis aſsimilatur. Vnde monachus per caſtitatis votum,
carnis illecebras mactat, & ſe Deo Angelicum, & deificum exhibet. Debitum
caſtitatis & continentiæ, ſtatui religionis eſſentiale eſt. Monachus enim per re
ligionis ſtatum, ita ſæculo prorſus abrenuntiat, vt ſeipſum totum Deo tradat
omnino.

omnino. Et ob id illo caſtitatis voto, reſcindit abſe quidquid huic obſequio Dei impedimento eſſe poteſt: Hoc vero impedimentum, maximè eſt coniugalis ſarcina: iuxta illud Pauli. 1. Corint. 7. Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuiſus eſt. Nam ex vxoris contubernio homini neceſsitas incumbit curandæ familiæ. Hinc planè colligitur, eſſentiale eſſe debitum caſtitatis, voto religionis. Profecto monachus, ab vnitate ſic appellatur. Quoniam ſolus viuit, atque vnico Dei negotio incũbit, quippe qui nec ad vxorem, nec ad alia ſæcularia diuiſus ſit, & idcirco plerique ex Theologis dixerunt in voto caſtitatis religioni coniuncto, quod profeßione eiuſdem religionis fit ſolemne, eccleſiam diſpenſare non poſſe. Nam caſtitatis cuſtodia, annexa eſt regulæ monachali, vt habetur in cap. Cũ ad monaſteriũ de ſtatu monachorũ. vbi decretalis id ipſum cenſet, quod nos retulimus. Et poſtremis verbis inquit. Abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo annexa eſt regulæ monachali, vt contra eam, nec ſummus Pontifex poßit indulgere. Et huic conſonant verba Eccleſiaſtici, 26. Omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis. Quaſi dicat, nihil eſt quo ſtatus continentiæ compenſari poßit. Durius igitur & grauius peccat religioſus frater, ſpurcitijs carnis conſentiendo, quam ſeculáris de media plebe, nec licet monacho, cogitationis mentem ad coniugalẽ thorũ, nec tantiſper extendere. Sed valeant hæc omnia à religioſo viro, nam debet eſſe ſicut angeli Dei, qui nec nubunt nec nubentur, Math. 22. & Luce. 20. Voti nãque ſponſione Dei efficimur, & totaliter Deo tradimur, & obligamur in religione. Vnde caſtus homo dicitur purus, continens, & à libidinis labe immunis. Caſtitatem animæ veſtes noſtræ candidæ prorſus, plane deſignant. Vnde ſacerdos in veteri lege præcingi iubebatur: & caſtitatis cingulo fluxæ libidinis luxuriam coercere. Monachus enim præſertim ſacerdos, qui ſacris aßiſtit altaribus: id præcipuè curare debet, vt caſtus & incontaminatus operetur: Apum more, de quibus Maro, eas Venerem ignorare his verſibus atteſtatur,

Paul. 1. Corint. 7.

Math. 22. & Lucæ. 20.

Quid in veteri lege fuerit præceptum.

Virgilius Maro.

Illum adeo placuiſſe Apibus mirabere morem:
Quod nec concubitu indulgent: nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt: nec fœtus nixibus edunt:
Verum ipſæ folijs natos: & ſuauibus herbis
Ore legunt.

¶ Et idcirco Pyndarus dixit, proprie quidem apes ſacras Cereris miniſtras eſſe. Et in diuinis literis apem quoque virginitatis imaginem dicit eſſe Eucherius, & apud diuinarum literarum interpretes exciſus vmbilicus caſtimoniã ſignificat eo nanque modo quo præciſum circunciſionis præputium illius eſt ſignum qua libidinem atque nequitiam à corde reſecare debemus, ita vmbilici amputatio caſtimoniam indicat in monacho. Vnde de fœminis ſcriptura dicit, virtus earũ in vmbilico eſt. Et ob id de profanatis, & proſtitutis Hieroſolymis, Ezechiel ita lamẽtatur. In qua die nata eſt, nõ eſt exciſſus vmbilicus tuus, hic præſcindendus eſt in monacho, & religioſo viro, ſi monachus & religioſus

Pyndarus.

Eucherius.

ſus eſſe debet. Et ob id caſtitatem plane promittit, & ad eam ſeruandam, inter rationabiles & debitas alias cauſas, ob quas, ieiunia ordinis & ſacræ religiones ſunt inſtituta, hæc vna fuit, caſtitatis inquam obſeruantia. Quam cum mire excoluiſſet D. Ioãnes Nezareus: locuſtis tãntum, & agreſti melle nutritus in diſcurſu vitæ, eo ſimplici cibo cõtẽtus fuit, ne corpus eius craſſioribus pulmẽtis, & exquiſitarum dapum copia grauaretur, libet etiã varietatis gratia hæc dicere, quod nonnulli aiunt. Salicem caſtitatis indicium eſſe, ſiue propter vinculi ſignificatum: quod eius materia ſit plurimũ apta vinculis, & ob id coercitionis indicium eſt ſiue ob id quod huius arboris folia, contrita & pota, intemperantiam libidinis plurimum frænare dicuntur, vt plerique authores contendunt. Vnde Homerus, ſalices frugiperdas, vel infructuoſas compellat. Nam ſalicis ſemen in potu acceptum, efficit, ne conceptus ſubſequatur. Et ob id caſtitatis ſymbolum, peritiores antiqui eſſe dixerunt. Quocirca in diuinis literis vbi iubetur populus Dei, tabernaculorum feſta celebrare, palmarum ramos, ac frõdes ſalicis manibus tenere iubẽtur: & pariter omnes intentorijs habitantes. Vbi nimirum per ſalicem, continentiam & caſtitatem intelligimus. Sic ergo vir religioſus, qui quotidie tabernaculorum feſta, in tentorijs religionis celebrare debet, palmarum ramos, & frondes ſalicis manibus, hoc eſt operibus & cogitatibus ſuis prætendere debet. Concludamus ergo fratres dilectiſſimi, & perſuaſa ſit nobis ſententia hæc, quod cum Deo caſtitatem promittimus ipſius debitores ſumus. Caſtitas ergo eſſentialis eſt religioni, & ſine caſtitatis voto nemo, perfecte aut proprie religioſus fit, & ob hãc tot diſſidia, & placita, apud veteres theologos fluxerunt, circa religionis voti diſpenſationem.

Quo D. Ioã nes Baptiſta fuerit nutritus.

De Salice quod ſit caſtitatis ſymbolum.

Ariſto. 3. AEthicorũ

¶ Caſtitas eſt (vt rem hanc religioſi ardenter ament) qua concupiſcentia caſtigatur quæ admodum pueri eſt refrenanda, vt Philoſophus dixit, in 3. Ethicorum ad Nicomachũ. Et cum fratres promittunt caſtitatem ſeruare Deo, ſermo eſt proprie de caſtitate, vt eſt ſpecialis virtus, ſpecialem habens materiam, nẽpe venereorum concupiſcentias, erga quas proprie caſtitas verſatur: cuius oppoſitum vitium luxuria eſt. Ex caſtitate pudicitia originatur, & idcirco religioſus pudicus eſſe debet, & verecundus: non tantum circa carnis illecebras, verum etiam circa ſigna, quæ venereorum præſignare ſpurcicias videntur. Vnde Auguſt. in monachali regula, impudicum oculum damnauit: dicens eum eſſe impudici cordis nuntium. Quo fit vt caſtitati, antonomatyce attribuatur decor. Doctor ſanctus de caſtitatis voto ediſſerens, aſſeuerat ad ſtatum religionis pertinere, abſtractionem eorum, per quæ homo retardatur ne feratur totaliter in Deum. Vſus autem venereorum hominem rapit eiuſque retrahit animũ, ne totaliter in eius ſeruitium feratur Primo propter ardorẽ delectationũ à quo concupiſcentia augetur, & animus retrahitur à perfecta illa intentione tendẽdi in Deum. Quocirca Aurelius Aug. lib. 1. ſoliloquiorum cap. 10. ait, nihil eſſe ſentio quod magis ex arce virilem animum deijciat, quam fœminæ blandimẽta. Secundo propter ſolicitudinem, quam ſiue fœmina, ſiue vxor homini ingerit de gubernatione, earundẽ: & rerũ temporaliũ, & eorũ quæ ad ſuſtẽtationem ſuffi-

D. Auguſt.

sufficiũt. Vnde Paulus ait, quod qui sine vxore est, solicitus est quæ sunt Domini, quo modo placeat Deo. Qui vero cum vxore est, solicitus est quæ sunt mũdi & quomodo placeat vxori. Palam ergo sequitur, quod perpetua continẽtia requiritur, ad perfectionem religionis: sicut & paupertas voluntaria. Vnde, non tantum paupertatis perfectio, sed etiam continentiæ, introducta est per Christum, qui Matth. 19. dicit, Sunt Eunuchi, qui castrauerunt se ipsos propter regnum cœlorum. Et postea subiungit. Qui potest capere capiat. Et ne spes perueniendi ad perfectionẽ, deficeret alicui, assumpsit ad perfectionis statum, etiam eos, quos matrimonij vinculo coniũctos inuenit. Sed quoniã fieri non potest, quod viri deserant vxores sine iniuria: sicut absque iniuria fiebat quod omnes relinquerent diuitias, idcirco Petrum quẽ matrimonio iunctũ inuenit, non separauit ab vxore. Ioannẽ tamẽ volentẽ nubere à nuptijs reuocauit. Melior igitur est castitas cælibũ, quã castitas nuptiarũ, vt Aug. lib. de Bono coniugali. c. 2. docet. Et ob id, illi modi speciales viuendi, secundũ quos homines matrimonio vtũtur, nõ sunt simpliciter, & in proprietate & rigore sermonis religiones, sed quadã tenus ratione, put in aliquo quædã participãt, quæ ad statũ pertinẽt religionis.

Paul. 1. corinth. 7.

Matth. 19.

Augustin. id dicitur propter cõmendatores equites, qui vxores ducunt post professionem.

Obseruare Deo & Beatæ Mariæ.

DE essentia religionis solũ est obligatio ad vota, non autẽ adimpletio votorum, & idcirco religiosus nõ tenetur esse perfectus, sed ad perfectionẽ tendere, seruando suã regulam, sed nihilominus, dicitur esse in statu perfectionis, nõ ob id quod habeat actũ dilectionis perfectæ, sed ob id, quod obligat se perpetuo cũ aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis. Et id exprimitur illis verbis, obseruare Deo & B. Mariæ. Vnde si quis nõ intẽderet se obligare ad tria illa vota cõmemorata, nõ esset professus, nec fieret religiosus, etiã si exterius verba professionis emitteret, secus autẽ esset, si quis profitẽdo, etiã cũ mala intẽtione alicuius illiciti, intẽderet quidẽ se esse religiosum, & se obligare ad vitã monasticã. Tunc enim professio esset valida, vt si quis monachatũ susciperet: quia in eo statu intendit episcopatũ obtinere, & ob eam causam profiteretur. Vel ea ratione motus, quia credit, q̃ in eo statu facilius poterit pulcrã fœminã alloqui, vel ad illicitum concubitum permouere.

¶ Religiosis omnibus nostri ordinis, id sanctè compertũ sit, q̃ solus ordo B. Mariæ de mercede, qui est primus & excellentissimus redẽptorũ ordo, inter reliquos omnes profitetur B. Virgini: imo vero ex ipsius acclamatione, & monitis ordo noster fundatus, & institutus est, tot sæculis retro actis vsq; in hodiernũ diẽ. Et hæc causa est, cur sanctissima Mater Dei, speciali fauore, nostrũ psequitur & ptegit ordinẽ. Ipsa nãq; est quæ inuictissimo Aragonũ regi Iacobo, Barbarorũ debellatori, ex diuino cõsilio & prouidẽtia apparuit, Et sicut in exordio nascẽtis Ecclesiæ, nõ potẽtes, aut scuta mouẽtes, in ædificationẽ fidei Christus vocauit, sed pauperes & piscatores quosdã homines, Petrũ & Andreã, ita pariter dignatus est ad redẽptorũ ordinẽ instituendum, Redẽptor ipse primus Christus Iesus, principio ædificationis nostræ religionis, paucos & pauperes, non

Quod ordo noster specialiter profitetur, B. Virgini.

in ſeculo potentes, aut confidentes, ad ordinem noſtrum vocare, qui non ſcuta mouentes, nec arcus tendentes, ſed humilitate charitatis Chriſtianæ, eleemoſynas fidelium Chriſti in vnum colligerent, vt oppreſſos à barbarorum potentia captiuoſq; fideles, è ſuis manibus eriperent, pretio quidem, & numis, miſericorditer à pijſſimis fidelibus donatis. Et idcirco oraculum illud, è cœlo delapſum: noſtro ordini, miſericorditer eſt à Deo conceſſum. Sic namq; legimus in conſtitutionibus ordinis. Mediocres domos & non ſumptuoſas habeāt fratres noſtri, ne redemptio captiuorum impediatur. Et hæc pariter cauſa fuit, cur illuſtriſſimum & vere inuictiſſimum Iacobum Aragonum Regem, Maurorum, & Barbarorum debellatorem meritiſſimum, fundatorem huius noſtri inſtituti haberemus & patronum, vt redemptionis inſigne miniſterium, regia authoritate creſceret: & inuitaretur populus omnis in Eccleſia Dei, ad redemptionis opus diuinum. Nam neminī fidelium ignotū eſſe debet, ad redemptorum officiū pertinere, non tantum miſerorum captiuorum corpus, è vinculis barbarorum eripere, ſed etiam in fide confirmare, eos de veritate Chriſtiana edocendo, & quod ex nulla cauſa calamitatis aut oppreßionis permoueri debent, ad Chriſti ſeruatoris fidem deſerendam. Et idcirco beatiſſima virgo, noſtri ordinis eſt ſingularis aduocata, & pijſſima parens, fundatrix, & patrona. Quæ ſane, pro nobis ſæpius altiſſimum exorauit, & tot procellis, & periculis iactatum ordinem noſtrum protexit, & liberauit. Hæc rurſus fratres dilectiſſimi cauſa fuit, cur inſigne debellatoris nomen, fuerit inclyte donatum Iacobo Aragonum Regi. Quia ipſe fuit veluti primus dux huius noſtræ familiæ, fundator, & inſtitutor, quē beatiſſima Virgo Mater Dei, tanquam fidelem ducem ſtrenuum, ad impugnandū Barbaros fidei inimicos dilexit, ne fideles Chriſti vi opprimerent aut doctrinis varijs perturbarent, inimici crucis Chriſti, barbari, atq; hæretici: ſed magis ſui filij inſignis doctrina, & pijſſima Eccleſiæ religio etiam apud barbaros euulgaretur, & tanquam vnice ſequenda, prædicaretur in factis, & oſtenderetur in verbis.

¶ Amplificauit ergo Chriſtus, meritis & orationibus Beatiſsimæ Virginis ordinem noſtrum, & ſanctum religionis inſtitutum de redimendis captiuis, vſq; in hodiernū diē: vt perilluſtris redderetur ordo noſter, & idcirco dedit huic noſtræ familiæ viros charitate inſignes, & in defenſione fidei excelſos. Dedit rurſus religioſos alios viros, doctrina & moribus præcellentes, qui in ædificationem Eccleſiæ, & fidei defenſionem, plæraq; ſancte ſcripſerunt. Alios pariter dedit, qui vt debitum profeſsionis de redimendis captiuis implerent, ſeipſos dederunt in pignus Barbaris, Mauris, Agreſtibus, & incultis hominibus, ne fides in miſeris captiuis, ab ipſis detentis, periclitaretur: Imo vero ſic martyrium ſuſtinuerunt. Quocirca familia fratrum noſtri ordinis, conſideratur veluti alter

Iudic. 3. c. Ayod, qui Iudicum. 3. laudatur, quòd vtroq; brachio debellabat inimicos, nempe dextera & ſiniſtra manu, etenim non tantum ſiniſtro religionis noſtræ brachio, redemptioni captiuorum incumbit, eos ab immaniſsima Maurorum beſtia liberando

liberando. Verumetiam dextero brachio ancipitem tenet enſem, & doctrina, & ſanctitate, & oratione barbaros eoſdē debellatur, & Altiſsimo religioſum cultū & debitum exhibet famulatum. Cum igitur quædam ſit paupertas religionum, quæ nihil in particulari poſsidet, ſed in communi habet inſignem diuitiarum & poſſeſsionum copiam, vel ad militiam vel hoſpitalitatem exercendam: Hæc ſane magnam habet ſolicitudinem coniunctam, quæ à contemplatione diſtrahit diuinorum, & nomine Marthæ ſignificatur, de qua Chriſtus Lucæ. 18. dicit, Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Altera vero paupertas eſt, quæ nihil poſsidet in particulari: ſed poſſeſsiones habet & facultates moderatas in communi: qui gradus paupertatis nonnullis religionibus monachorum cōuenit & noſtræ religioni: quæ & moderatas habet facultates & poſſeſsiones in communi & præterea mediocres domos, & non ſumptuoſas, & idcirco non ſolum charitati redemptionis addicta eſt: verumetiam mente, contemplatione, & animo, Deo vacare præcipitur, & non poſſeſsionum curis, quæ vehementer torquent & diuertunt. Nam profecto vehemens ſolicitudo victus quærendi, ſatis animum diſtrahit. Lucæ. 18.

Quod ero obediens tibi tuiſq; ſucceſſoribus vſq; ad mortem.

HOc ſane intelligendum eſt de obedientia ſecundum regulam patris noſtri Auguſt. & conſtitutiones ordinis, & quidem ex voto profeſsionis obligamur caſte & ſine proprio viuere, regulam, & conſtitutiones non contemnere & præceptis regulæ, aut conſtitutionum, vel commendatorum, in his quæ ſunt ſecundum regulam, & conſtitutiones, vere obedire. Et idcirco qui tranſgreditur præceptum aliquod dicitur ſimpliciter inobediens, & agere contra votum & conſequenter peccare mortaliter. Si vero religioſus frater non ſit trāſgreſſor præcepti, ſed alia minora non ſeruet, quæ non habent materiam grauem coniunctam aut ſcandaloſam non dicitur inobediens ſimpliciter, nec ſimpliciter tranſgreſſor voti, nec obligatur ad culpam, ſed ſolum ad pœnam, niſi forte propter contemptum, præceptum, aut grauem materiam.

¶ Sane profeſsio per quam aliquis proprie religioſus efficitur in diuerſis ordinibus diuerſo modo exprimitur, in noſtro autem ordine profeſsio fit ex promiſsione obedientiæ, ſecundum regulam D. Auguſt. & conſtitutiones ordinis, prout in eis continetur, & conſequenter profeſsioni non contrariatur, niſi id quod eſt contra præceptum regulæ. In his vero in quibus non continetur tale præceptum tranſgreſsio, vel omiſsio tantum obligat ad veniale: Imò verò in ordine noſtro ſecluſo ſcandalo, & omni contemptu, multarum conſtitutionum tranſgreſsio vel omiſsio, ex ſuo genere non obligat ad culpam aliquam, ſed ad pœnam: & ratio eſt, quia per hunc modum ad illa obſeruanda ex noſtra profeſ

sione obligamur, & nihilominus frater peccare potest venialiter, si ex negligẽtia culpabili operetur, & aliquando mortaliter, si ex contemptu aut scandalo se satis agat. Sed in hac parte obseruare oportet, quod monachus non prorsus tenetur in omnibus prælato suo obedire. Nam primò non tenetur in illicitis obedire. Nec secundo tenetur obedire si ei præcipiat aliquid contra regulam & constitutiones. Si vero in his quæ præcise pertinent ad constitutionem (vbi non inuoluitur præceptum Dei aut Ecclesiæ) dubium sit ex vtraq; parte, standum est præcepto prælati, vt habetur. 23. quæst. 1. in cap. Quid culpatur. Tertio non tenetur obedire si præciperet aliquid, quod est supra constitutiones, aut regulam, vt si præciperet, quod perpetuo ieiunaret in pane & aqua, aut quod cilicio indueretur semper. Quodquidem intelligẽdum est, nisi hæc omnia prælatus iniungeret subdito per modum pœnitentiæ, propter defectus suos. Quartò non tenetur obedire si præcipiat ea ad quæ non se extẽdit eius authoritas, vt si præciperet ei peccatum suum prorsus occultum sibi reuelare: vel peccatum semel confessum iterum confiteri, vel si præcipiat ei, vt cum superiore suo minimè loquatur, vel tandem quod aliquid operetur contra superioris & maioris prælati ordinationem, vt in decretis habetur. Solum ergo in his quæ vere sunt secundum constitutiones & regulam, vel quæ ad regulam & constitutiones reducuntur, vel iuxta præscriptũ earũ, vel in his, quæ opportuna sunt & prudẽter fiũt ad religionis obseruantiã tenetur obedire vsq; ad mortẽ. Cæterũ siquis à morte ad vitã miraculosè reuocaretur ille quidẽ esset à tali obligatione prorsus absolutus.

23. q. 1. cap. Quid culpatur.

D. Bernardus de excellentia religionis, & insigni monachorum statu loquẽs ait; Religionem, professores eius similes sanctis Angelis efficere dissimiles vero hominibus. Quia per professionem reformatur quodam modo imago Dei in homine. Quocirca sapientissimi Theologi probabiliter credunt, quod per professionem religiosus consequitur remissionem omnium peccatorum suorum si in statu gratiæ eam emiserit, & debito charitatis affectu. Imò verò sunt qui dicant ꝙ sicut per assumptionem voluntariam crucis fit peccatorum remissio: pari ratione per solemnem religionis professionem debite & ardẽter factam. Neq; hoc est incredibile. Quoniam posset vir Christianus tot eleemosynas erogare, vt pro peccatis suis plenissime satisfaceret. Sic enim Danielis. 5. legimus. Peccata tua eleemosynis redime. Cum igitur per professionem religiosus omnia bona, quæ possidet & possidere potest Deo tradat, & seipsum pariter, castitatem, obedientiam, & voluntatis libertatem Deo offerendo & tradendo. Quæ omnia superant magnificas quasq; & insignes eleemosynas, sequitur professionem talẽ esse vt per eam quis omniũ suorũ peccatorũ remissionem adipiscatur: quã excelsa sit religionis professio in qua sui & omniũ bonorũ abdicatio fit propter Deum satis expenditur ponderosa illa interrogatione Petri principis Apostolorum Matth. 20. Cum alloquẽs Christũ dixit, Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Quibus verbis Petrus videtur sensisse se rẽ quãdam si-

D. Bernard.

Daniel. 5.

dam simul cũ reliquis Apostolis egisse diuinam & incredibilẽ, & ob id addidit, Quid ergo erit nobis? Profecto si homo simplex ac timẽs Deũ corpus suũ ieiunijs & disciplinis affligit & mentẽ Deo orationibus & contẽplatione eleuat, & sic pro peccatis suis satisfacit non est cur religionis professio, quæ hæc & plærąq; alia inuoluit si in charitate, & Dei gratia fiat nõ sit pro peccatis omnib⁹ satisfactoria. Excedit nãq; vt habetur. 33. q. 2. c. Admonere. religionis approbatæ professio quodcunq; satisfactionis genus, Et in vitis patrum legimus monachos religionem profitentes eandẽ quã & baptizati gratiam cõsequuntur eos adipisci.

¶ Et in Sarracenorum potestate, in pignus si necesse fuerit ad redemptionem Christi fidelium detentus manebo.

De excellẽtia finis ordinis redẽptorum B. Mariæ & de perfectione redemptionis.

O Incredibilis charitatis amor, qui huc impulit ordinis nostri professorem, vt nõ solũ proximi salutẽ & vitã, eiusq; curaret cõmodũ. Verũetiam vt seipsum traderet in excambiũ & pignus, pro amici & proximi libertate. Quid dico amici? Pro inimici libertate adipiscenda, & ab inimicorũ crucis furore, redemptione efficienda. Et ne quis existimet: ordinem nostrũ, eã tantũ contendere Christianorum fideliũ redemptionẽ, quæ in corporũ liberatione posita est, eos à vinculis corporeis eripiendo, sciat quicunq; professionis nostræ legerit decreta, ordinẽ nostrũ institutũ fuisse, pariter ad pericula ingentissima, quæ contra fidẽ sese offerunt, apud miseros captiuos, non sine grauissimo fidei incõmodo, debite propulsanda. Et idcirco fratres nostri, dũ fidẽ religionemq; Christianã, apud quosdam, inter miseros captiuos, periclitari cernunt, ne aduersarij Crucis Christi lætabundi insultent, trophæum se reportare credentes, de recessu quorũ dã Christianorũ, Christi Crucẽ profligantiũ, sese in pretium, & redemptionem eorũ, de quibus rationabiliter timetur, ne Christũ deserant, & in pignus liberationis, & redemptionis ipsorũ, tenentur donare. Imo vero sese ipsos vinculis offerre, etiam pro inimicis, à fidei hostibus, redimendis, & liberandis. Huius eximiæ charitatis pretium, cecinit Euangelista Ioannes, dicens, Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Vidistis charissimi fratres, qualis sit nostræ religionis finis, & scopus? Vidistis sanè. Si igitur is est, debite & iuste fateri oportet, ordinẽ nostrũ probatissimũ, & excellentissimũ inter omnes esse. Nam quãto religio aliqua, perfectioni charitatis accedit, & eius culmen attingit, tãto perfectior est, cũ Christianæ vitæ & religionis perfectio, in charitate consistat. Igitur cum hic nostræ religionis ordo, in summa charitatis perfectione & in vertice operũ charitatis consistat & in fidelium animis, & corporibus à periculis eruendis, fidei religionisque Christianæ: ne contemptibilis habeatur apud Barbaros Christi religio

ſequitur ordinem noſtrum excellentiſsimum inter omnes eſſe & mirabilem. Ex dictis colligo, ordinis noſtri profeſſores, debere in charitate eſſe eximios, & excellentiſsimos, nimirum verticem operum charitatis attingentes, vt ſeipſos tradant, in pignus ſalutis proximorum, Vitæ ſuæ diſpendium, vt fratres ſuos lucri faciant, patientes. Colligo rurſus, fratres & profeſſores religionis noſtræ, debere eſſe fortiſsimos in fide, & robuſtiſsimos propugnatores eius, & acerrimos Paganorum impugnatores.

De excellentia finis ordinis noſtri, & quantis ſit ordo noſter inſignibus donatus, maximoq; honore affectus à Summis Pontificibus, & Hiſpaniæ Regibus, ſupra diximus, & infrà dicemus, pariter de perfectione & excellentia noſtri ordinis nonnulla.

Quod ordo B. Mariæ de Mercede in fauorem fidei fundatus ſit.

ORdo igitur Redemptorum B. Mariæ de Mercede, ſpecialiter in fauorem fidei fundatus eſt. Et in fauorem fidelium Chriſtianorum, & ad redimendos à poteſtate Barbarorum, & Hæreticorum, atq; Maurorum pios Chriſti fideles. In qua re cernimus à fratribus ordinis Redemptorum, fieri ſpecialem fidei profeßionem, nec ſolum fidei, ſed etiam maximæ charitatis. Nam etſi Chriſtus in cunctis operibus ſuis homines dilexerit. Eximius tamen, & ardens ſuæ charitatis amor excellentius ſplendet in illius morte. Et idcircò dixit, maiorem charitatem, nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Et iterùm Ioannes Euangeliſta, de Chriſto Redemptore noſtro dixit. Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Igitur ex noſtræ profeßionis voto de redimendis captiuis, etiam cum periculo vitæ, & effuſionis ſanguinis, ſatis dignoſcitur, quantum in hac re præſtet ordo hic, pleriſq; religionibus, in præclariſsimo hoc charitatis opere, quo ex vinculo obligationis tenemur. Nam maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam, ponat quis pro amicis ſuis iuxta Saluatoris ſententiam. Sanè cum ordo noſter, æqualis ſit in votis illis tribus, nempè obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis reliquis ordinibus neceſſe eſt, vt in eo voto ingentiſsimæ charitatis de redemptione captiuorum, in fauorem fidei facto, reliquas excedat, & tantò magis, quantò maior charitas in hoc vinculo continetur.

(*)

Quod

¶ Quod fratres ordinis redemptorum B. Mariæ de Mercede non possint ad ordinem mendicantium transire.

EX dictis colligo fratres nostri ordinis professos nulla ratione posse ad alium ordinem ex mendicantibus transire tuta conscientia, nisi fuerit cum eis specialiter à sede Apostolica dispensatum, potissimè cum isti transitus à toto genere sint odiosi, & rarissime bene fiant. Quod probo, Primo quoniam in ordinibus mendicantium solum tria vota in professione eorum emittuntur, sed in ordine redemptorum, B. Mariæ de mercede aliud accedit essentiale vinculū maioris charitatis propter speciale votum, quod professores eius emittunt, quod etiam cum periculo vitæ, & effusione sanguis ab eis est adimplendum, nā sic obligat professores illius. Et id totum factum est in fauorem fidei defendendæ (vt supra satis insinuauimus) igitur ordo redēptionis, B. Mariæ de mercede, talis est, vt ratione votorum essentialium nemo possit ad aliquem ex ordinibus mendicantium conuolare. Nam profecto, siquis absque summi Pontificis speciali dispensatione in hac parte, togam mendicantium indueret, post professionem nostræ religionis: certum est, quod non absoluitur à voto essentiali, de redimendis captiuis cum periculo vitæ & sanguinis. Quoniam per tria illa vota communia omnibus ordinibus, non absoluitur ab speciali obligatione quarti voti, nisi cum eo sit specialiter dispensatum, cum igitur non sit absolutus à voto redemptionis. sequitur, quod tenetur etiam in alio ordine adimplere prædictum redemptionis votum, vocatus, & requisitus à prælatis & patribus ordinis Redemptorum cum alteri religioni non sit obligatus, ex voto redemptionis, neque illi teneatur. Imo vero sequitur, quod tenetur adimplere, & facere omnia media opportuna, quæ præcedunt, & ordinātur ad finem redemptionis, & ad prædictum exercitium de redimendis captiuis Christianis persoluēdum. Cum enim per tria vota in ordinibus mendicantium, non absoluatur à quarto voto redemtionis frater ordinis nostri, quod essentiale est in professione nostra: Quæritur à quo absoluitur frater ille qui ex propria voluntate, sine Pontificis dispensatione transit ad ordines medicantium. Item non licet ab arctiori ordine ad alium minus rigorosum, aut æqualem transire, sed in essentialibus ordo noster arctior est ratione quarti voti, quod non solum obligat ordinem in communi, sed etiam singulos professores in particulari, ergo non licet ab ordine nostro ad ordinem mendicantium tuta conscientia transire, cum arctissimum sit charitatis vinculum, quo ex redemptionis voto fratres ordinis nostri religantur. Quod vero ratione quarti voti ordo noster arctior sit in essentialibus, ex certa scientia, & speciali decreto decernitur à summis Pontificibus Martino, V.

Quod non liceat à nostro ordine ad aliū transilire.

& Calixto. III. imo uero ex eadem certa scientia, & ex speciali decreto (non tamen ex indulto, nec ex priuilegio aliquo) habemus ex eodem Martino. V. Quod si qui mendicantium, vel aliorum ordinum fratres, seu religiosi ad præfatum ordinem B. Mariæ de mercede Redemptionis captiuorum pro tempore trãslati fuerint, & expressam in eo professionem emiserint regularem, ex tunc ab ordine præfato, B. Mariæ, ad alium ordinem transferri non possint absq; sedis Apostolicæ licentia, specialem, & expressam faciente de statuto, & decreto eiusdem Pontificis mentionem, & quidquid in contrarium attentetur scienter vel ignoranter irritum, & inane esse. Quod sane constat ex bulla eius plumbea sub datis Florentiæ tertio Kalendas Iunij Pontificatus sui anno secundo, quæ extat Salmanticæ in collegio Sanctissimæ veræ crucis.

Decretũ ex certa scientia à Martino. 5. editum.

¶ Sane pauperrimus est ordo, B. Mariæ de mercede non solum in particulari, verum etiam in communi. Quocirca in hac re à nulla religione exceditur earum, quæ habent possessiones in communi, imo vero opere ipso, & de facto ordo, B. Mariæ de mercede mendicans est, & ex mendicitate viuit, & semper vixit in ecclesia Christi. Et ex speciali cõstitutione habet in hunc modum decretum. Humiles domos, & non sumptuosas habeant fratres nostri, ne redemptio captiuorum impediatur: redditus autem, & possessiones omnes ordinis nostri adeo exiguæ sunt, vt pauperior sit reliquis omnibus fere ordinibus. Rursus præter quatuor essentialia vota. habet etiam abstinẽtiam à carnibus iugem, & perseuerantem. Nam feria secunda, quarta, sexta, & in sabbato ab illis abstinet ita vt computatis diebus, fere per octo menses ex vinculo constitutionis abstineat, silentium habet perpetuum inclaustro, nõ vtitur lineis ad carnem ex suæ constitutionis vinculo: meditationem habet, & orationem mentalem assiduam & rigorem disciplinæ: habet rursus ingentia ieiunia, & non mediocrem clausuram. Rigor in lectis paruus nõ est, sic enim decernitur in cõstitutionibus. Nũ quã dormiãt nudi fratres nostri. His accedũt quatuor illa essentialia vota, in quorũ quarto de Redẽptione captiuorũ ordo noster alias excedit religiones, potissime q, in emissione professionis circa prædictũ quartũ redẽptionis votũ, fratres in ordine professi voluntatẽ propriã abnegantes pro liberatione Christianorũ qui in potestate infidelium duræ seruituti subijciuntur, se seipsos Altissimo deuouerunt, profitentes quidem se paratos pro vnius redemptione captiui, non solum captiuitati Paganorũ se se in excambium tradere, sed si opus fuerit etiam mortẽ, & tormenta quælibet tolerare. Habet rursus ordo noster ex accessione emissionis posterioris voti pro redẽptione captiuorũ, ad tria quarũlibet aliarũ religionum, peregrinationes transmarinas, ex accessione ad Infideles, & periculosam cum Paganis conuersationẽ, & plæraq; ingentia discrimina. Restat igitur, vt ordo noster, & in essentialibus, & in his pariter, quæ pertinent ad regularem viuendi modum, non solum sit par ordinibus mendicantium, verum etiã arctior, & merito id ita iudicandum est. Quocirca sanctus Thomas perfectionem religionum dicit esse sumendam ex parte finis, quia finis est quid potissimũ in vno,

Rationẽ mediocris curnon liceat à nostro ordine ad alium transire.

Religionis rigor & perfectio ex fine pensatur à S. Thoma.

in vnoquoque, imo vero inquit, quod maior est diuersitas religionum, quæ attẽditur secundum diuersos fines, ad quos religiones ordinantur, quam quæ attenditur secundum diuersa exercitia, secundũ quod in vna religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium, vel per nuditatem, aut per aliquid aliud huiusmodi. Cum ergo differentia vnius religionis ad alteram principaliter quidem attendatur ex fine, secundario vero, & accidentaliter, secundum diuersitatem exercitiorũ, idcirco excellentia vnius religionis super alteram principaliter attenditur secundum religionis finem, secundario vero secundum exercitia. Et quidem comparatio, quæ est secundum finem, est absoluta, eo quod finis propter se quæritur, comparatio vero quæ est, secundum exercitium est respectiua, quia exercitium non quæritur propter se sed propter finem, & idcirco religio illa alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem, Vel quia est maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur, & talis est ordo noster ex parte finis, non solum ratione contemplationis, verum quia in fauorem fidei specialiter fundatus est. Quod si in quibusdam religionibus sit idem finis, secundario attenditur præeminentia religionis, non secundum quantitatem exercitij, sed secundum proportionem eius ad finem intentũ: vt Sanctus Thomas, 2. 2. q. 188. art. 6. in corpore palam deducit. Et idcirco ad finem nostro ordini præfixum, non oportet nos nudis pedibus incedere, quia hoc non dicit proportionem ad finem nostræ religionis, nec ad plura illa bona, adquæ noster ordo dirigitur. Vnde sanctus Thomas in commemorato loco refert quod in collationibus Patrum inducitur sententia Beati Antonij, qui prætulit discretionem, per quam aliquis omnia moderatur, ieiunijs, & vigilijs, & alijs abstinentijs, & obseruantijs similibus. Cum ergo ordo noster, ex defensione fidei speciali processerit ad contemplationem, & redemptionem fidelium captiuorum, ne succumbant, & deficiant in fide, & ne Christi doctrina cõtemnatur, & vt captiui Christiani ad portum in, quo suæ salutis naufragium tot periculis fidei minime agitetur, sequitur ordinem nostrum, non modo parem, verum & arctiorem merito posse, & debere iudicari ordinibus mendicantium, vt credidit, & dixit Calixtus PP. tertius, vbi speciali decreto ex certa scientia sanciuit fratres ordinis Redemptorũ Diuæ Mariæ de mercede non posse ad ordines mendicantium transire, Et ne in hac re error contingat hoc loco reponenda est bulla eiusdem Calixti. Extat tamẽ aliud decretum Martini. V. apertius, quo decernitur ordinem nostrum arctiorem esse mendicantibus ordinibus & id ex certa scientia ab eodem Martino. V. suo decreto stabilitur, vt patet ex bulla eius plumbea, Quæ Hispalis habetur, & in cænobio Barchinonensi ordinis nostri, quæ quoniam modo cum hæc prælo mandantur, præmanibus nõ est, idcirco de verbo ad verbum, sicut prius cogitauerã nõ reponitur hic reponetur tamẽ Deo volente in fine harũ constitutionũ, interim tamẽ decretũ, & ordinatio Calixti tertij, ne fratres, B. Mariæ de mercede transferantur ad ordines mendicantium, sequitur: vt infra patet.

S. Thom.

Calixtus. PP. III.

Decretum Martini, quod ordo noster arctior est, & perfectior, ordinibus mẽdicantium.

BVLLA CALIXTI ET DECRETUM eius super translatione fratrum.

Decretum hoc Calixti, posteri⁹ editum est, quā decretum illud quod habetur in cap. Licet, de regularibus, & transeuntibus ad religionem, lib. 3. vnde illud est Antiqui⁹. Hoc vero noue editum & idcirco⁹ ex titulo prædicti capitis, nemo potest ad ordinem mendicantium transire.

CAlixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Super gregem dominicum nostræ vigilātię diuinitus creditū intenti speculatoris officiū exercētes erga singulos regulares ordines aciem nostrę considerationis intendimus, & eorum status perspicaciter meditamur, Et quia quorū regulæ laxiores, quorum vè arctiores existant ex multis argumentis colligimus, personas illas, quæ de aliquo eorundem, in quo sunt superna vocatione vocati, ad alios ordines leuiter trā smigrarunt, & quæ per ambitionis deuium, ab eorum obedientijs temere recesserunt, ad priorem caulam, si arctior fuerit, reduci mandamus, prout eorum saluti, & ordinum eorundem decori conspicimus expedire. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum magistri generalis, & definitorum generalis, & prouincialium capitulorum fratrū ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum petitio continebat, nōnulli ex fratribus eiusdem ordinis expresse professi, vocatione sua non contenti & immemores, quod ipsi voluntatem propriam abnegantes semetipsos pro redemptione captiuorum, qui in potestate infidelium duræ seruituti subijciuntur altissimo deuouerunt, profitentes se paratos etiam pro vnius redemptione captiui non modò seipsos captiuitati Paganorum in excambium tradere, sed etiam si opus foret morte, & tormenta quælibet tolerare, se ab huiusmodi sancti voti iugo authoritate propria subtrahendo, mendicatium, seu aliorū ordinum monasteria, siue domos euolauerint, nonnulli verò ex eisdem habitu retento, sed obedientiæ fræno effracto per curias prælatorum aut regum, reginarum, aut aliorum sæcularium principum, in opprobrium dicti ordinis hinc inde discurrant, & varia scandala sæpenumero pariant. Nos meditantes, quod ex accessione emissionis posterioris voti, videlicet pro-

pro redemptione huiuſmodi,ad tria per reliquos religionum quarumlibet,emitti conſueta ſubſtantialia vota, vt peregrinationes tranſmarinas pro accendendo ad infideles eoſdem,& periculoſam cum Paganis conuerſationem,&reliqua redemptionis eiuſmodi diſcrimina omittamus, tale vinculum fratribus dicti ordinis B. Mariæ de Mercede videtur accedere,vt ordo ipſe videatur, non modo in regula largior, ſiue par alijs ordinibus ante dictis,ſed eis longe arctior non immerito poſſe cenſeri,authoritate apoſtolica,& ex certa ſcientia, Tenore præſentium ſtatuimus,ac etiam ordinamus,omnes,& ſingulos, qui in præfato ordine B. Mariæ ſolemne votum profeſsionis expreſſe emiſerint,ita ipſi ordini perpetuis eorum vitæ tẽporibus fore efficaciter obligatos,vt abſque ſedis apoſtolicæ ſpeciali licẽtia,eis ad alios quoſcunque regulares,etiam monaſteriorum ordines eos tranſeundi authoritas,vel poteſtas minime ſit conceſſa. Decernentes ſtatutum,& ordinationem noſtra huiuſmodi, etiam ad præfatas eorundem profeſſorum trahi tranſlationes. ita videlicet, quod generalis Magiſter, & diffinitores præfati præſentes,&qui pro tempore fuerint per ſe,vel alium,ſeu alios quoſcunque religioſos,qui dictum ordinem B.Mariæ expreſſe profeſsi fuerint, vt præfertur, de quibus alijs ordinibus eorumque monaſterijs domibus, ſiue locis, ad quæ forſan, etiam cum ſuorum ſuperiorum licentia, & habitus mutatione pro tempore tranſiuerant repetere poſsint, & debeant. Ipſique ſic tranſlati religioſi,etiam ſine repetitione huiuſmodi ad priorem ordinem B. Mariæ prædictum ſub virtute ſanctæ obedientiæ redire omnimode teneantur;Et inſuper,vt eadem ſtatutum,& ordinatio facilius vendicet ſibi locum,omnibus,& ſingulis Patriarchis,Archiepiſcopis,Epiſcopis, Abbatibus, alijs Prælatis, necnon perſonis Eccleſiaſticis in dignitate conſtitutis,ad quos præſentes litteras,vel earum tranſſumpta authentica peruenerint,Per apoſtolica ſcripta mandamus,quatenus Epiſcopi,& eorum quilibet,per ſe vel alium ſeu alios ſtatutum,& ordinationem,ac litteras noſtras huiuſmodi,vbi, & quando expedire viderint,ac pro parte generalis Magiſtri,& diffinitorum prædi-

ctorum fuerint requisiti authoritate nostra solemniter publicantes, quoscunque religiosos in eodē ordine B. Mariæ expresse professos, qui ad alios ordines, sine dictæ sedis speciali licentia transiuerūt hactenus, vel imposterū transierint. Necnō etiā illos, quos in prælatorum regum, reginarum, vel aliorum secularium principum curijs, aut alibi vbicunq; extra loca præfati ordinis vagare eis constiterit, ad requisitionē magistri, aut diffinitorum, aut ipsius ordinis. Ad loca dicti ordinis B. Mariæ. In quibus professionem eiusmodi emiserint, infra certum, de quo eis videbitur sibi præfigendum peremptorium terminū competentem, omni causa, & occasione cessantibus, protinus reuertantur, dicta authoritate nostra moneant, & mandent eisdem, & nihilominus, si monitioni, & mandato huiusmodi nō paruerint, cum effectu ipsos ad hoc per censuram Ecclesiasticā, nec non arrestationem, si opus fuerit, personarum, ac carcerationem, ac alia fortiora remedia, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscunque dignitatis status, nobilitatis præeminentiæ, vel conditionis fuerint, etiā si Pontificali regali, reginali, aut alia quauis Ecclesiastica, seu mundana dignitate præfulgeant, per censuram eandem appellatione remota cōpe lāt, inuocato adhoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis, Nō obstantibus felicis recordationis Bonifacij. PP. Octaui prædecessoris nostri, illis præsertim quibus cauetur, nequis extra suam ciuitatem, & diœcesim, nisi incertis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ diœcesis ad iudiciū euocetur, seu ne iudices à sede deputati prędicta extra ciuitatē, & diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscunq; procedere, ac alij, vel alijs vices suas cōmittere, seu aliquos vltra vnam dietam à fine diœcesis eorundem trahere pręsumant, ac de duabus dietis in concilio generali, & personis vltra certum numerū ad iudiciū non vocandis, & alijs constitutionibus, & ordinationibus, necnon priuilegijs, indulgentijs, concessionibus, statutis, decretis, ordinationibus, & alijs litteris apostolicis monachorū fratrū mendicantiū, & alijs ordinibus supradictis, eorumq; monasterijs, domibus, siue locis per sedem prædictā, vel legatos eius,

Quod cessante omni excusatione & occasione reuertantur sine vlla mora.

aut

aut alios quoscunq; in genere, seu in specie cõcessis, quorumcũ que tenorũ existãt, statutisq; quoq;, & cõsuetudinibus eorun dẽ iuramẽto cõfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, quibus omnibus & singulis, etiã si de illis specialis & expressa mẽtio habẽda foret, quo adhoc illis alias in suo robore permansuris derogamus expresse cæterisq; cõtrarijs quibuscunq;, aut si aliquibus cõmuniter, vel diuisim à dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excõmunicari, aut extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari nõ possint per litteras apostolicas nõ faciẽtes plenã, & expressam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionẽ. Verũ, quia difficile foret præsentes litteras ad singula mundi loca originaliter posse trãsferri, volumus, quod earũ transsumptis autẽticis manu publica duorũ notariorũ subscriptis, & sigillo alicuius prælati, vel collegij roboratis plena fides in iudicio, & extra vbicunque exhibita fuerint adhibeatur, ac si litteræ ipsæ originaliter forẽt exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omnino hominũ liceat hanc paginã nostrorũ statuti, ordinationis, decreti, mandati, derogationis, & volũtatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Siquis autẽ hoc attẽtare præsumpserit indignationẽ omnipotẽtis Dei, & B. Petri, & Pauli Apostolorũ eius, se nouerit incursurũ. Datis Romæ apud Sãctũ Petrũ, Anno Dñicæ Incarnationis millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo septimo, Pridie Kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno tertio.

¶ *En fratres dilectissimi, quale cernitis supra decretũ Põtificiũ ex certa sciẽtia à Calixto* PP. *tertio factum. Ex quo simulq; exarctitudine nostræ regularis vitæ colligo ordinẽ nostrũ arctiorẽ esse, & ab eo non posse ad ordinẽ mendicantiũ trãsire. Nõ enim ex indulto, aut ex priuilegio aliquo habemus, q; nõ possint fratres nostri professi ad ordinẽ mendicantiũ transire, sed ob arctiorẽ professionẽ, & ob decretũ Pontificiũ. Quocirca capitulũ, Licet de regularibus & transeuntibus ad religionẽ, loquitur de religionibus, & ordinibus, quibus ex indulto aut priuilegio datum est, nequis euolare possit ad alium ordinem, etiã arctiorẽ. Noster autem ordo inter arctiores cõputatur, & non ex indulto, sed ob professionis statum, & rigorem constitutionum, & ratione quarti voti essentialis, vt habetur ex decreto* Pontificio. *Et ob eam causam ad ordinem nostrum, euolare possunt fratres etiam aliorum ordinum, cæterum ab ordine nostro ad alium trãsire non possunt, sine speciali Pontificis dispensatione.*

Deductio & explicatio præcedentis decreti quod posterius est cap. Licet.

Cap. Licet. de regularibus & transeuntibus ad religionem. lib. 3. decretal.

Secundo colligo.

Secundò colligo, quòd si probabiliter dubitatur, vtrum aliquis velit, ad ordinẽ arctiorẽ transire, ex charitate, vel ex temeritate, id fieri nõ potest, nisi prius requiratur iudiciũ superioris, vt habetur in capitul. Licet. de regularibus lib. 3.

Tertio colligo.

¶ Tertio colligo, neminem posse ab vna religione in alteram transire (salua semper Summi Pontificis dispensatione) etiam arctiorem, si ex leuitate, aut temeritate ad id permoueatur, vel si transitus fiat, aut in iacturam, aut in iniuriã sui ordinis, & hæc est causa cur requirendum est superioris iudicium, & sententia, seu definitio, vt habetur in eodem capitul. Licet. citato. Profectò præter cõtemplationem, prædicationem, orationem, & ieiunia, quæ in ordine nostro reperiuntur, communis vtilitas reipublicæ est, in defensionem fidei data, captiuos Christianos redimere ex officio & voto, & hoc tanquam maius bonum, minori bono præponitur, imò verò expresse in prædicto capitul. Licet. insinuatur ea doctrina, qua vera redduntur ea omnia quæ superius dicta sunt.

Quarto colligo.

¶ Quartò colligo, quòd cùm in capitul. Licet. agitur de transitu monachorũ earum religionũ, quibus ex indulto, & priuilegio concessum est, ne fratres trãsire possint ad alium ordinem etiam arctiorem, nomine quidem arctioris ordinis nos ipsi, nosterq; ordo intelligitur planè, quod ex rationibus, argumentis, & decretis Summorum Pontificum satis deduximus in superioribus, & non intelligimur nomine eorum, qui sunt priuilegiati, aut ex indulto aliquid habẽtes.

¶ Quocirca quandò infra in eodem capitul. Licet. Innocent. PP. Tertius decernit, quod non obstantibus indulto, aut priuilegijs, potest quis ad arctiorem ordinem transire petita licentia, licet non obtenta, nomine arctioris ordinis, ad quem potest fieri transitus, nos, nosterq; ordo redemptorum D. Mariæ de Mercede necessariò intelligimur, vt satis constat, atq; liquet ex superius dictis. Attendant autem fratres omnes, sint cuiuscunq; ordinis, quod priusquam ad ordinem nostrum conuolauerint, vel ad quemcunq; alium: quod id non possunt facere sine licentia, saltim petita à suis superioribus, licet non obtenta, alioqui si licentiam non petierint, transitus non esset tutus in conscientia, etiam ad arctiorem ordinem, quia iste modus transeundi, & euolandi præscriptus est in eodem capitul. Licet. citato.

¶ Rursus attendant, qui prædictum transitum prætendunt, quod nõ possunt ex temeritate, vel leuitate aliqua transire, etiam ad arctiorem ordinem & religionem, vt si id faciant ex odio, vel quia prætendunt, quod in religione in qua sunt, non eum honorem consequentur, quem prætendunt, aut si ob delicta, aut scelera, timent permanere in priori religione, quia his non patrocinatur capitulum. Licet, vt transuolare possint, etiam sub prætextu maioris religionis.

¶ Tandem attendant, quod quando ob aliquam causam dubitatur, an quis velit ad ordinem arctiorem, aut laxiorem transire, & an velit transire ex charitate, vel ex temeritate, tũc prius requirendũ est superioris iudiciũ, & sentẽtia, vt decernitur in capitul. Licet: Quid autem debeamus intelligere nomine superioris, explicat ibi Glossa, vt habetur. 11. quæst. 1. capi. peruenit, & vt habetur

Glosa vt habetur. 11. q. 1. cap. peruenit.

in de-

in decretalibus, in titulo de iure Patro. in cap. Nullus. in Authen. de ſanctis Epiſcop. §. fin.

¶ *Et ex hoc colligo iuxta determinationem, & decretum in eodem capitulo. Licet. contentum, quod non ſatis eſt, ad conuolandum ad aliam religionem, de facto petere, aut requirere ſubſcriptiones particulares,* Digo firmas de aliquos, *ſed requirendum eſt iudicium ſuperioris, vt in eodem decreto continetur, alioqui is, qui tranſitum facit, non manet tutus in conſcientia, quia prætermittit ordinem præſcriptum à iure in eodem capitulo. Licet, datum.*

CAPVT VIGESIMVM SEXtum, De traddendo habitu manentibus in ſeculo, et recipiendo ad beneficia ordinis noſtri.

SIquis ex deuotione voluerit habitum noſtrum, nempe ſcapularium cum ſigno religionis portare: prius benedicatur à prælato. Verſ. Oſtende nobis Dñe miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis. Verſ. Dñs vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Dñe Ieſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus veſtimentorũ, quod ſancti patres ad innocentiæ, & ſanctitatis indicium ferre ſanxerũt, ita bene ✠ dicere digneris: vt qui hoc vſus fuerit, te induere mereatur. Qui viuis, & regnas per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Deinde aſpergat aqua benedicta, & induendo ſcapulariũ dicat. Ego authoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, & mihi commiſſa, do vobis habitum ſacræ religionis noſtræ, ex deuotione quam geritis ad ſacratiſſimam matrem Dei Mariam, & ordinem noſtrum, eius nomine fundatum: cum quo in præſenti, gratiam Spiritus ſancti adipiſci valeatis, & in futurũ, gloriam æternam, quæ eſt præmiũ electorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen. Poſtea dicatur hymnus. Veni creator ſpiritus. Verſ. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. Verſ.

Saluum fac. ℟. Deus meus. Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Adesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum (Vel famulam tuam) benedicere digneris, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis nostræ imponimus, quem ex deuotione cupit portare, dum vitam duxerit in humanis: vt te largiente, & deuotus (vel deuota) in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Siquis vero desiderat fraternitatem nostram, & beneficiorum ordinis nostri participem fieri: genibus flexis, Prælatus vero stans, dicat, Ad te leuaui. Gloria Patri. Kyrie eleyson. Pater noster. Et ne nos inducas. Saluum fac. Dominus vobiscum. Oremus. Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quod digne postulant assequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Et ego authoritate Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum, Petri, & Pauli, & potestate mihi commissa in toto sacro ordine nostro, do vobis participationem in omnibus bonis, quæ Dominus dederit fieri per fratres nostros: siue sint missæ, orationes, ieiunia, vigiliæ, disciplinæ, prædicationes: vel alij labores maxime redemptionis captiuorum, ad quam noster ordo dicatus est: seu alia quæcumque bona: ad omnia, & singula, vos recipio. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

CAPVT VIGESIMVM *septimum, De confessionibus, & confessoribus.*

NVllus frater in ordine nostro confessiones audiat secularium, neque fratrum alterius religionis nisi prius à Magistro ordinis, vel à prouinciali fuerit approbatus. Confessores verò, non nisi, qui litteris, vita, & sanctitate fuerint præcogniti, designentur. Confessiones autem secularium, nullus fra-

lus frater ordinis nostri audiat, nisi præter licentiam sui superioris: etiam, illam obtineat à Diocesano, vel eius vicario, vel ab alio, qui audiendi huiusmodi confessiones authoritatem possit præstare, vel curam animarum committere valeat. Caueant autem prædicti confessores, ne in ipsis confessionibus, aliquid petant ab ipsis pœnitentibus. Poterunt tamen si eis aliquid sponte oblatum fuerit, accipere. Commendatores autem ordinis nostri, quilibet eorum in commenda sua, confessores fratres assignet, qui audiant aliorum fratrum confessiones. Omnes autem conuentuales fratres teneantur suis commendatoribus ad minus semel in anno confiteri: & nullis alijs confiteantur, nisi illis tantum, quibus à commendatoribus suis fuerit commissum. Confessiones vero hospitum fratrum nullus audiat, nisi commendator, aut ille, cui duxerit committendum. Quicumque vero non sacerdos, si semel ad minus in qualibet rasura confessus non fuerit, abstineat in pane, & aqua donec confiteatur.

CAPVT VIGESIMVM octauum, De Redemptione captiuorum.

CVM ordo noster, ad Redemptionem captiuorum à Summis Pontificibus confirmatus, & maximis honoribus, & priuilegijs per grauissimos Pontifices, & sereniſsimos Reges, sit insignitus: Ne iam frigescente charitate opus tam insigne contepescat. Et vt redemptio captiuorum frequentius, & copiosius fiat: Præsenti constitutione, sub excommunicationis maioris pœna: præcipimus, & pariter priuationis vocis activæ, & passiuæ in perpetuum. Quod nullus frater, siue prælatus, siue subditus, per se, neque per alium, directe, neque indirecte, pecunias recipiat, neque quod vis aliud munus,

pro captiuorum redemptione: quin, illud, quod sic acceperit in tra viginti quatuor horas, quam primum poterit, commendatori, & clauigeris manifestet: vt statim in libro redemptionis scribatur, & in communi depositio deponatur. Et sub eisdē pœnis stricte præcipimus, vt nullus frater cuiuscunque conditionis sit, dicta bona redemptionis captiuorum quouis colore recepta, consumat: vel in alios vsus conuertat, neque mutuo, accipiat, vel cum bonis conuentualibus misceat, neque retineat, (etiam per breuissimum tempus) sed cum fidelitate seorsum ponantur, & custodiantur in depositio tribus clauibus clauso, quas diuersi fratres seruent. Quæ omnia etiam in prouincijs Indiarum sub eisdem pœnis obseruentur: & prouinciales earundem prouinciarum diligentissimè curent, quod huiusmodi redemptionis bona maxima fidelitate, & securitate in Hispaniam mittantur: & prouinciali Castellæ, aut Bethicæ, seu commendatori Hispalensi consignentur, vt suo tempore in vsus redemptionis captiuorum conuertantur. Vicarij autem generales Indiarum, circa hoc maximam inquisitionem faciant, & prouinciales commendatores, vel quoscunque alios fratres circa prædictum redemptionis munus negligentes, & prædicta non obseruantes, priuatione officiorum, & grauissimis alijs pœnis puniant.

Scholia Capitis Vigesimi Octavi.

Quod anima captiui in magno versatur periculo.

Heroicum esse opus captiuos è manibus Barbarorū & Hæreticorum liberare.

D. Gregor.

Profectò summa miseria, & calamitas est, apud Christi inimicos seruiliter in captiuitate detineri, vbi non tantum corpus, verum & eius comes anima plerumq; periclitantur: Et tanto amplius ambo torquentur, quantò magis cognoscunt Christiani ex fide, eos, quibus inseruiunt esse proprios hostes, & Crucis Christi, quam profitentur, persecutores. Cum igitur hæc sit summa calamitas, è regione constat heroicum esse, & diuinum opus, à summo hoc malo, ac grauissima calamitate corporis, & animæ oppressos Christicolas liberare, & à captiuitate, qua planè torquentur eripere. Quocirca Diuus Gregorius dixit, Captiuos redimere opus esse præstantissimum, & clarissimum inter omnia, inuoluit enim secum, atque concipit singula omnia misericordiæ opera. Qui nanque Proximum è captiuitate eripit, is eum instruit, docet, operit, neq; solum esurientem, aut sitientem reficit, verum ex præsentissimo religionis periculo

riculo animã, & corpus extrahit, Et id etiã apud Gentiles in admiratione fuit. Populus namq; ſenatuſq; Romanus Claudiam fœminã minus honeſte degẽtem, honorificis titulis, & inſignibus Romæ inſigniuit. Quia ſenatus ipſe nouit, eam ſecreto diuitiarum copiam captiuis militibus erogaſſe. Iuſtinianus Imperator in lege, ſancimus. Codice, de ſacroſancta eccleſia, iure & prudenter præcepit omne aurum, & argentum, etiam ſacra vaſa templorum, conſumere ad liberationem, & redemptionem captiuorum. Et idcirco Quintus Fabius apud Gentiles tanti æſtimauit præclariſsimum redemptionis opus, vt abdicatis proprijs bonis ea dederit vt liberarẽtur ſuæ patriæ cõciues, qui captiuitatis oppreſsione tenebãtur. Quocirca mirabile illud refertur factũ d'Cartaginẽſi illo eximio Epiſcopo martyre Africano, nomine Deo gratias, qui cũ peccatis vrgẽtibus, Genſericus Rex caperet Romã, à qua multorũ diuitias ſimul cũ populis, viris, atq; fœminis captiuaret, dũ multitudo captiuitatis Africanũ attingeret litus, diuidentibus Vandalis, & Mauris ingentem populi quantitatem (vt moris eſt Barbaris) mariti ab vxoribus, liberi à parentibus ſeparabantur. Statim fategit vir Deo plenus, & charus, vniuerſa vaſa miniſterij, aurea vel argẽtea diſtrahere, & libertatem de ſeruitute Barbarica liberare, & vt coniugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderent. Ex quibus liquet ſatis, quã magnifice antiquiores Patres, loquuti fuerint de opere liberationis captiuorum, & quanti hanc rẽ æſtimauerint, cum pleriſq; illuſtribus, & clariſsimis geſtis eam prætulerint. Ius etiam ciuile fauet legatis plurimum ſi fiant pro Chriſtianis captiuis liberandis. Habet rurſus opus hoc liberationis captiuorum, ſuo modo vmbram quandam, liberationis illius, qua Chriſtus nos eripuit, & liberauit à peccato. Cum enim fideles captiui grauiſsimis non ſolum corporis, ſed animi periculis infeſtentur, cum ab his liberantur, ab ingentiſsimis peccatorum tentationibus, & fidei periculis arcentur. Et quoniam ea eſt humana fragilitas, vt ſæpe numero ſuccumbat malis, cumq; peracutæ ſint Dæmonum technæ, vt Chriſtianos captiuos à fide Chriſti auertãt, & in alia plæraq;, pericula & peccata conijciãt, Idcirco fratribus Redemptoribus ordinis, B. Mariæ de mercede à ſummis Pontificibus datum eſt, vt tanquam legati à latere, captiuorum fidelium confeſsiones audientes, eos abſoluãt à quibuſcũq; caſibus quoquomodo reſeruatis ſanctæ ſedi apoſtolicæ, nõ aliter atq; ſi ipſe Põtifex eorũ eſſet confeſſarius. Et Nicolaus Quartus præcepit ſub magnis pœnis, & cenſuris q. omnes & ſingulæ eleemoſynæ redẽptioni, & liberationi captiuorum inſtitutæ, nulli alteri poſſent conſignari, aut tribui, niſi ſolum fratribus ordinis, B. Mariæ de mercede vt ab ipſis expenderentur, non ab alijs. Et quod frueren tur omnibus gratijs, & priuilegijs aliorum ordinum, & religionum.

Quid apud gentiles geſtum ſit.

Iuſtinian⁹.

Quintus Fabius.

De epiſcopo Deo gratias.

Quod redẽptores fratres, tanquã legati alatere abſoluãt in foro conſcientiæ.

(?)

CAPVT VIGESIMVM nonum, De his, qui eleemosynas redemptionis procurant.

EVntes ad captandum, vel procurandum eleemosynas pro redemptione captiuorum, procuratorium, & opportuna indulgentiarum instrumenta, & Pontificum, Regumque priuilegia, cum licentia prælati, sigillo ordinis insignita, secum ferant: ne ab Ecclesiarum rectoribus, vel à quouis alio, huiusmodi eleemosynæ possint impediri. Caueant autem, ne captiuorum necessitatem in Ecclesijs, vel alibi, gentibus explicando: suis verbis alios, & alterius professionis fratres, aliquo modo scandalizent, vel perturbent. Indulgentias autem Romanorum Pontificum, quas noster ordo non obtinet, publicare gentibus non præsumant, sub excommunicationis, & grauissimæ culpæ pœna, præter pœnam à iure taxatam. Qui vero extra terminos sibi pertinentes, absque licentia alterius, qui hoc possit eidem conferre, eleemosynas procurare, vel procuratas, aut legatum recipere, & retinere, attentauerint: pœnæ grauioris culpæ, tanquam latrones merito subiacebunt. Miserias insuper, cruciatus, penurias, pœnas, & necessitates Christianorum captiuorum, humiliter, & piè gentibus exponant. Veritatem in omnibus propalantes, & mendacium penitus abhorrentes. Quare prælati ad procurandas eleemosynas, non nisi honestos fratres litteris, & virtute prædictos, & timore Domini plenos mittant: qui inter procurandum dictas eleemosynas honestè, & religiosè, & sobrie, victu, & vestitu, verbis, & gestis in omnibus se gerant: & nihil bonorum ad captiuos pertinentium, sibi directe, neq; indirecte, neq; titulo, neque prætextu aliquo vero, neque falso sumant, sub eis-

dem

dem pœnis capite precedenti taxatis: sed solum quæ expensis moderatis, & non superfluis, necessaria fuerint. Prælatus tamẽ ex eisdem bonis, huiusmodi fratribus competenter prouideat vt magis excitentur, maiorique cura munus sibi commissum exerceant. Hoc enim in ipsius redemptionis vtilitatem proculdubio vergit. Cauent autem Prælati, ne huiusmodi eleemosynæ procurandæ, secularibus personis conuentione aliqua cõmittant. Sed solum idoneis fratribus, & non nouitijs vt dictum est.

Scholia Capitis Vigesimi Noni.

Martinus. PP. V. *inter alia quæ diplomate suo religioni concessit, Plerisque positis censuris præcepit, ne Antistites & Prælati quicunque impediant eleemosinas captiuorum & petitiones illarum. Et* Nicolaus. PP. IIII. *Mãdauit & districte præcepit & voluit, sub magnis pœnis & censuris q̃ omnes eleemosynæ, ad Christianos captiuos redimẽdos, è potestate infidelium & Sarracenorum, à fidelibus ærogate & institutæ: solis fratribus religiosis ordinis Beatæ Mariæ de mercede traderentur, ita vt ex ipsorum dispositione & ordine expenderẽtur in redemptionem captiuorum. Et is etiã,* PP. Nicolaus IIII. *simul religioni donauit priuilegia & gratias aliorum ordinum. Et parem fecit concessionem toto ordini,* Leo. X. *à cuius diplomate religio habet gaudere priuilegijs, & gratijs, quæ in Marimagno continentur.*

Alexander. PP. fratribus redemptoribus terram Sarracenorum intro eũtibus cõmisit vt tanquam legati eius alatere, possent Christianos captiuos, à quibuscumque criminibus Apostolicæ sedi reseruatis absoluere & illorum vota commutare, non aliter atque si persona eiusdẽ pontificis præsens adesset.

CAPVT TRIGESIMVM
De Redemptoribus.

FRatres, qui à Prouinciali capitulo, vt eant in terram Sarracenorum pro redimendis captiuis nominantur: vita, ætate, scientia, & prudentia maxima sint præditi, & qui sciant se prudentissime gerere erga infideles: ne in aliquo, possint, deludi, vel defraudari. Captiuos quoque Christianos, per se ipsos, & non per interpositas personas, fidelissime absque aliquo dolo, misericorditer fratres redimãt, & prudẽter emant à Sarracenis:

cenis: vt maior captiuorum necessitas, & periculum postulat. Et si ita duxerint expedire, tum vt copiosior sit redéptio, tum etiam propter ingens aliquorum captiuorum periculum, in quibus apostasia à fide timetur: vnus fratrum maneat in potestate Sarracenorum pro pignore detentus: fignatis, pretio, & termino pro liberatione captiuorum, quando thesaurus non sufficit ad redimendum eosdem: Exemplo Domini Nostri Iesu Christi, qui semetipsum dedit pro nobis, vt nos à potestate Dæmonis redimeret. Et hoc fiat quandocunque fieri contingat, de licentia Magistri, & diffinitorum capituli. Verum si non sit liber aditus in terras Sarracenorum, & Turcarum ad vitanda pericula, & damna, ne fratres, & serui, & bona pro redemptione deputata inutiliter pereant: hac vrgente necessitate, liceat fratribus nostris per interpositas personas redemptionem captiuorum exercere. Redemptis vero captiuis, nō nisi publico instrumento eorum omnium, quæ facta sunt in redemptione, fratres reuertantur: recepto à singulis captiuis iuramento fidelitatis, quod pacifice, & obedienter sequentur eorum ductores, quando ad terram Christianorum venerint, quocunque voluerint, si modo tempus duorum mensium non superetur. Et sic necessaria in via ministrentur eis, vt & ipsi inseruire valeant redemptoribus. Transacto vero tempore duorum mensium, barbæ redemptorum radantur, quæ ante non debent radi, & simul etiam captiuorum: & vnicuique camisia, & tunica cum calciamentis detur: & pro itinere impensæ ita largiantur, vt sine mēdicitate, possint ad propria cum gaudio remeare. Fratres vero redemptores, pro viribus studeant secundum ordinis præceptum, hoc opus sanctissimum fidelissime, & diligentissime explere: vt de negligentia vlla non possint merito, reprehendi. Vt tamen huiusmodi redemptores maiori fidelitate, commoditate, ac claritate prædicta omnia adimpleant, subdictis pœnis illis præcipitur, vt singuli singulos libros habeant, in quibus omnia fideliter pro redemptione captiuorum scribant, tam ea, quæ receperint, quam quæ expensis fuerint necessaria: & omnia publico instrumento roborentur, & in capitulo primo generali,

nerali, vel prouinciali immediate ſequenti, omnium, quæ dicto modo geſta fuerint, definitorio rationem reddant. Redemptorumque rationem maxima diligentia, maximaque conſideratione, definitores capituli generalis, vel prouincialis [illegible] ſime ſumant, Neque aliquid, ſine diligenti examine præ[illegible] tant: non quoſlibet ſumptus, & expenſas admittentes, ſe[illegible] præciſe, quæ neceſſaria fuerint. Et rurſus præter primam dicta rationem, quam in primo capitulo immediate reddituri ſunt, etiam in alio capitulo, non niſi generali, ſecundo rationem reddant. In quo ſi in priori examine generalis, vel prouincialis negligentes fuerint reperti: grauius puniantur, & emendentur à definitorio, & ibi prædicta omnia abſoluantur. Interim tamen dum redemptores, prædictam primam rationem, ſeu computum omnium non reddiderint, ad nullum officium promoueantur.

CAPVT TRIGESIMVM primum, De modificatione pœnarum.

ET quamuis multa ſint, quæ in huiuſmodi peccatorum, delictorum, exceſſuum, ac criminum, leuis, grauis, grauioris, ac grauiſsimæ, culparum caſibus obſeruari canonicè iubeat ſublimis authoritas, tamen quia defectus præſentium temporũ conſideramus: quibus non ſolum merita, ſed etiam corpora deficiunt fragilitate humanitatis, & fomite carnis præualentis. etiam exemplo Saluatoris, & Redemptoris noſtri inhærere volentibus miſericordiam vere pœnitentibus largientis fauoriſque neceſsitate religionis in qua militantes totum vitæ curſum obedientiæ, & pœnitentiæ noſcũtur impendiſſe, circa pœnarum expreſſarum impoſitionem modificationem, mitigationem, & relaxationem, poteſtas Magiſtri, arbitrio, aut per eũ adhoc ſpecialiter deputati relinquatur, & his, quibus ex iure etiam noſtrarum conſtitutionum permittitur.

Explicit Prima Diſtinctio.

Secunda Distinctio.

CAPVT PRIMVM, DE *Possessionibus habendis, & de domibus acceptandis de nouo.*



DOssessiones, redditus, & ea quæ pertinent ad commune proprium, vel tangunt possessionis titulum liceat ordini nostro tenere, & possidere, & commendatoribus ordinis nostri, de consilio tamen fratrum conuentualium suorum, liceat ea acceptare, vt in communi teneantur, & possideãtur. Nulla tamen domus, in qua fratres nostri debeant cõmorari per aliquẽ fratrem nostri ordinis acceptetur, vel acceptata transferatur, nisi per generalem magistrũ, vel prouincialẽ, prius eidẽ fuerit concessum. Et tunc possessiones redditus, & ea quæ ad cõmunẽ cõuentus vtilitatẽ spectãt cõmendatoribus ordinis nostri de cõsilio suorũ conuẽtualiũ, vt dictũ est, liceat acceptare, possidere, & tenere. In qualibet autem domo nouiter constructa, vel ordini collata (nisi fuerit domus rusticana, vel scenobium) semper aliquis frater fiat commendator, qui sit prudens, & fidelis, & ad minus per sex annos à professione in nostro ordine sit antiquus, qui diligenter ea quæ pertinent ad bene regendum, & custodiendum domũ, & fratres, prudentissime, & fidelissime exequatur. Habebit tamen secum aliquos vel plures fratres secundum loci exigentiam, in socios, & conuentuales, qui eum adiuuent, & in omnibus humiliter obediant, vt diuinum officium deuote celebrent, & eleemosynas pro captiuorum redemptione fideliter requirant. Magister vero generalis, vel prouincialis in sua prouincia, prouideant huiusmodi domibus de aliqua parte terræ pro eleemosynis captiuorum procurandis, & sustentatione domus, etiam de terminis, & domibus conuicinis. Mediocres

cres domos, & humiles habeant fratres nostri; & in eis non fiant, ita sumptuosa ædificia, quorum causa redemptio captiuorum possit in aliquo retardari. In virtute obedientiæ & sub excommunicationis pœna, stricte præcipimus obseruari, ne vnquam in domibus nostris mulieres habitent, vllo modo nec pro ancillis, seu familiaribus conducantur: nisi euidens necessitas, & legitima causa, & id ad breue tempus. Siquis verò contra ire præsumpserit pœnæ grauioris culpæ debite subiacebit, verum fratribus in infirmitate constitutis poterunt conduci mulieres, videlicet bonæ famæ, & non iuuenes, ad seruiendum infirmis tempore duntaxat infirmitatis eorum, quibus fratribus ad valetudinem restitutis ipsæ à domibus nostris penitus excludantur. Sed quoniam quotidie serpit hominum malitia, & religiosi sunt in omnium oculis positi, idcircò, quod ex antiquo iure constitutionum nobis (vt supra diximus) licuit, iam ex nouæ reformationis statuto mutatum est. Quocirca præsenti constitutione statuimus, & ordinamus, sub pœna absolutionis ab officio & priuationis commendæ, vocisque actiuæ, & passiuæ per triennium, quod nullus commendator, nec præses, aut vicarius, vel particularis frater permittat mulierem aliquam ingredi intra septa clausuræ ipsius monasterij, nec titulo seruiendi aut curandi ægrotos, neq; ob aliam quamcunque causam. Declaramus pariter monasterij clausuram esse ea omnia, quæ pertinent ad ipsius cõuentus habitationem, & domicilium, exceptis Ecclesijs, claustris, & capellis atq; sacellis eorum. Poterunt tamen in hoc magister generalis, vel prouincialis pro bono regimine declarare, & interpretari difficultates, quæ in hac parte occurrere solẽt. Quibus etiam in omnibus facultas dispensandi conceditur ex rationabili causa, idque non frequenter, sed raro.

Nouum reformationis decretum.

CAPVT SECVNDVM, DE *Capitulo generali.*

CVM Sanctissimus Dominus noster Sixtus diuina prouidentia Papa. V. litteris suis, Datis Romæ apud Sanctum

Petrum die quinta Nouẽbris Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto : Pontificatus ſui anno primo, decreuerit de capitulo generali in noſtro ordine celebrando. Motu proprio ſtatuit in hunc modum. Motu ſimili ſtatuimus prius Sixtus [illegible] & ordinamus, vt impoſterum capitulum generale tertio PP. V. ſuque anno celebretur, in quo generalis magiſter ad aliud ele[illegible]triennium, & non vltra confirmetur: ita, vt ſexto quoque anno nouus eligatur. Quod ſi forte intra primum, vel intra ſecundum triennium per dicti magiſtri generalis diſceſſum, vel alio modo, magiſtratus, ſeu adminiſtratio huiuſmodi vacare contigerit: ſi per quatuor menſes ante feſtum Pentecoſtes id euenerit, capitulum fiat dicto primo tempore dicti feſti. Si autẽ ſucceſſerit mors, vel alia (vt præfertur) vacatio intra tempus quatuor menſium, ante dictum feſtum : tunc ſimiliter ad tempus Pentecoſtes non eiuſdem, ſed ſequentis anni poſt vacationem differatur. Interim autem donec capitulum, nouaque electio fiat, Prior monaſterij Barchinonenſis (quod primum erectum, atque conſtructum in hac religione fuit) ſemper ſit caput, & totius ordinis vicarius generalis. Primum capitulum generale dicti ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum in ciuitate Cæſarauguſtana, quam primum congregetur. Et tam in eo, quam deinceps in vnoquoque capitulo. Primum quidem de ipſius magiſtri generalis electione, ſeu confirmatione: deinde verò electione, ſeu confirmatione magiſtri generalis expedita, de loco ſequẽtis ſtatim poſt triennium futuri capituli per libera, & ſecreta ſuffragia qui electus fuerit generalis, & definitorum, ac aliorum vocalium, ad quos ſpectat, deliberetur, ac ſtatuatur. Semper autem quidquid ſuper his ab ipſo poſtremo capitulo generali ordinatum, & decretum fuerit, omninò ſanctè, & inuiolate obſeruetur, nulla loci alicuius diſtinctione habita, nec perſonarum exceptione, ſed Dei tantum honorem præ oculis habentes. Fratres capitulares, qui ferendi in capitulo generali ſuffragij ius habent, quos vocales appellant: nihil aliud ſpectent, niſi vt talis eligatur perſona, quæ ad regimen, & gubernationem ipſius ordinis, admini-

adminiſtrandum, ipſoſque fratres in officio, & diſciplinæ regularis obſeruantiæ continendos maxime idonea ſit. Talis etiam locus, qui & libertati electionis, & commoditati totius ordinis, & ſingularium prouinciarum illius, magis opportunus videbitur. Hæc ille. Quas apoſtolicas litteras, capitulum generale, nomine totius religionis ſuſcepit, & adorauit, & in perp[illegible] adimplendas promiſit. Quare in capitulo generali Cæſaraugustæ celebrato, decima ſeptima die menſis Maij, anni currentis milleſimi quingenteſimi octuageſimi ſeptimi, fuit electus in generalem magiſtrum F. FRANCISCVS SALAZAR in Sacra Theologia magiſter, qui tunc prouinciæ Aragoniæ præficiebatur prouincialis, & vicarius generalis. Et in prædicto capitulo Frater Franciſcus çumel in Sacra Theologia magiſter prouinciæ Caſtellæ & Bethicæ, ac Luſitaniæ prouincialis: & Frater Bernardus Maſon prouincialis Galliæ, tanquam electores, & definitores dicti capituli adfuerunt, deinde Frater Petrus Balaguer in Theologia magiſter commendator Xatiuæ definitor: & Frater Georgius del Oliuar, definitor, & commendator del Puche: & Frater Dionyſius Beltran, in Theologia magiſter, commendator Valentiæ, elector: & Frater Antonius Simon, in Theologia magiſter, commendator Girundæ, elector, pro Aragoniæ prouincia pariter in prædicto capitulo adfuerunt. Et Frater Rodericus de Arze, in Theologia magiſter, definitor: & Frater Franciſcus de Medina, in Theologia magiſter, commendator Toleti, definitor: & Frater Balthaſar Camacho, in Theologia magiſter commendator Hiſpalenſis, elector: & Frater Ioannes de Ribas, in Theologia magiſter, commendator Madriti, elector: & Frater Ioannes Bernal in ſacra Theologia magiſter, commendator Cordubenſis, elector, omnes pro prouincia Caſtellæ, & Bethicæ: ſimul cum Fratre Petro Maſon, in Sacra Theologia magiſtro, & Frater Ioanne de Ioanne, commendatore de Altariba diffinitoribus pro prouincia Galliæ, prædicto capitulo generali præſentes fuerunt. Et hi omnes, atque ſinguli prædictis litteris apoſtolicis, & dicto nouo generali electo, pro ſe, & pro

Alternatio hæc de loco capituli generalis, iam relinquitur electioni vocalium eiusdem capituli [illegible] in proprio motu Sixti V. sanciuit.

prouincijs suis, & nomine totius religionis obedientiam præstiterunt. A principio tamen ordinis in vetustioribus constitutionibus, ita iure sancitur. Capitulum Generale de triẽnio in triennium in ordine nostro fiat, duabus scilicet vicibus in prouincia Cathaloniæ, & Aragoniæ, tertia verò vice in prouincia Castellæ, & Portugaliæ. Definitores autem omnes in generali capitulo congregati, in omnibus, & singulis quæ pro toto nostro ordine fuerint ordinanda, constituenda, destituenda, mutanda, addenda, vel diminuenda, laudanda, approbanda & confirmanda, ita se habeant, quod ea omnia ordinent, constituant, definiant, approbent, & firmiter decernant. Et quidquid per eosdem generaliter fuerit statutum, & ordinatum vniuersaliter in ordine nostro obseruetur.

Quanta sit authoritas & potestas, capituli generalis iuxta constitutionum nostrarum decreta.

CAPVT TERTIVM, DE electoribus Magistri Generalis

In qualibet prouincia sunt tres electores & pariter in prouincijs Indiarum.

IN capitulo generali, siue sit capitulum generale electionis, siue intermedium: primam vocem habebit Prior Barchinonensis, dummodo sit confirmatus. Deinde, quælibet Prouincia tres habebit electores, seu definitores: scilicet Prouincialem cuiuscunque Prouinciæ, cum duobus sibi socijs, qui omnes sunt electores, & definitores in capitulo generali, tales vero socij Prouincialis, in capitulo Prouinciali eodem modo eligantur, sicut ipse Prouincialis: nẽpe, electione canonica per vota secreta. Quod si Prouincialis mori contingat, vel fuerit omnino impeditus: Vicarius prouincialis loco prouincialis succedat, & locum, & vocem habeat in capitulo generali. Quod si prædictus vicarius prouincialis alias vocem habebat in capitulo generali: tunc nouus alius eligatur elector, seu definitor ad futurum immediatum capitulum generale. Electio vero talis electoris, siue cuiuscunque alterius, morte vel alia legitima causa deficientis, sic fiet

quod

quod prouincialis, ſeu eius defectu vicarius prouincialis, eius prouinciæ, conuocet diffinitores capituli prouincialis, ſimulque eligant nouum illum electorem ſeu diffinitorem, electione canonica per vota ſecreta. Præter hos tamen ſupradictos in prouincia Aragoniæ vocem ſemper habeant in capitulo generali, quoad electionem magiſtri commendator Gerundæ, & commendator Valentiæ, & commendator Cæſarauguſtæ: qui ex pontificia conceſſione ad id muneris nominantur. Nullus tamen omnium electorum, ſi abſens à capitulo generali fuerit, vocem habeat in tali capitulo: nunquam enim præſentes pro abſentibus, neque abſentes pro præſentibus ſuffragari debent, neque rurſus ſi quis duplici titulo vocem habeat, plus vna voce gaudebit, ſicut vna duntaxat eſt perſona. In prouincia autem Caſtellæ, & Vandaliæ ſimul, ſex erunt electores, qui vocem habeant in electione magiſtri generalis, videlicet prouincialis Caſtellæ, & quinque eius ſocij. Cæterum facta diuiſione Prouinciarum, ita vt alia ſit prouincia Caſtellæ diſtincta à prouincia Bethicæ: tunc in vnaquaque earum, tres erunt electores vocem habentes in capitulo, & in electione magiſtri generalis, nempe prouincialis, & duo eius ſocij. Statuimus tamen, & ordinamus, quod ſi prædicti electores & diffinitores, poſt eorum nominationem, & electionem in capitulo Prouinciali factam defecerint: vel aliquis eorum mortuus fuerit, aut legitime impeditus, tunc prouincialis illius prouinciæ, in qua vnus vel plures ex electoribus, & definitoribus prædictis defecerunt, ſimul & prouinciæ eiuſdem definitores, alios eligant, & nominent loco eorum, qui vel mortui ſunt, vel legitime impediti. Et hi omnes ſunt de corpore capituli generalis, ſiue ſit capitulum electionis ſiue intermedium confirmationis.

Caput

CAPVT QVARTVM, DE electione Magistri Generalis.

VAcante quo vis modo Magistratu ordinis, eius socius siue commendator domus vbi vacare contigerit, cum festinatione per nuntium specialem denuntiet Priori Barchinonensi confirmato, quem Vicarium generalem præsenti constitutione esse decernimus & vocamus: vicesque & potestatem magistri generalis in omnibus, prout in his constitutionibus sancitur, habeat. Quod si magistratu vacante nullus sit Prior Barchinonensis confirmatus: denuntiet Prouinciali, vel (deficiẽte prouinciali) eius vicario: deficiente autem vicario prouinciali denuntiet commendatori illius domus, vbi futurum immediatum capitulum generale erat celebrandum. His nanque omnibus suo ordine competit conuocatio ad predictum capitulũ generale. Hic etiam ordo, perpetuo seruandus est, vt quoties magistratus vacauerit, eius succedat loco, in officio vicarij generalis, Prior Barchinonensis confirmatus. Quod si tempore dictæ vacationis, talis prior non fuerit: succedat in officium vicarij generalis, prouincialis illius prouinciæ, in qua peragendũ erat generale capitulum immediate futurum. Deficiente verò prouinciali: succedat eius loco, vicarius prouincialis, nempe in dicto officio vicarij generalis. Quod si nec vicarius prouincialis extiterit, tunc cõmendator illius domus, in qua futurũ erat capitulum generale immediatum, in prædicto officio succedat. Et quicunque ille sit, cui incumbit officium vicarij generalis, electores conuocet ad futuram magistri generalis electionem. Et eis vacationem, mortem, aut cessationem prædicti magistri generalis manifestet, & denuntiet, & iuxta formam in litteris Apostolicis superius recitatis traditam, & definitam ad electionem procedat. Cuius mandato omnes venire teneantur. Quod si aliqui venire noluerint, aut aliqua causa legitima impediti fuerint: ius eligendi sit apud illos qui præsentes fuerint,

vi præ-

vi præſentis conſtitutionis. Et tũc hi omnes ſub præcepto obe dientiæ in conclaui ſacriſtiæ, vel Eccleſiæ, vel in capitulo, aut loco ad hoc deputato, à vicario conuentus includantur. Quod ſi noluerint: voce eligendi careant, & penes alios eligendi po-teſtas maneat: nec à prædicto loco exeant, donec magiſtrum generalem eligant. Quòd ſi intra duos dies non elegerint: vir-tute obedientiæ præcipimus prædicto vicario conuentus, vt panis & aqua ſolum electoribus miniſtretur, donec magiſtrũ generalem eligant, vel ex ſe, vel ex alijs abſentibus fratribus or dinis noſtri. Primò tamen celebretur miſſa Spiritus ſancti: po-ſtea omnes dicant flexis genibus. Veni creator Spiritus, mẽtes tuorũ viſita, imple ſuperna gratia, quæ tu creaſti pectora. Qui paracletus diceris, Donum Dei altiſsimi, fons viuus, ignis, cha-ritas, & ſpiritalis vnctio. Tu ſepti formis munere, dexteræ Dei tu digitus, tu ritè promiſſum patris, ſermone ditãs guttura. Ac-cende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus, infirma no-ſtri corporis, virtute firmans perpetim. Hoſtem repellas lon-giùs, pacemque dones protinus, ductore ſic te præuio, vitemus omne noxium. Per te ſciamus da patrem, noſcamus atque fi-lium, te vtriuſque ſpiritum, credamus omni tempore. Gloria Patri Domino, natoque, qui à mortuis ſurrexit, ac paracleto, in ſæculorum ſæcula. Amen.

Hac die in toto ordine dicatur miſſa Spiritus ſancti pro ele-ctione magiſtri generalis. Deinde generalis, qui præeſt, vel (eius defectu) vicarius generalis, moneat excommunicatos, ſu-ſpenſos, & interdictos, (ſiqui ſint in dicto conclaui) recedere à præſenti electione, cum de iure intereſſe non poſsint: proteſtan do non eſſe mentem ipſius aliquem illorum admittere. Etſi oc cultè ſe ingeſſerint: nolumus eorum vocibus dari ſuffragium, aut ab ipſis impedimentum inferri. Et tunc omnes electores iurent per Deum, & ſancta Dei Euangelia, & animæ ſuæ peri-culum, quòd ſecundum Deum, & propriam conſcientiam eli-gent magiſtrum totius ordinis, quem iudicauerint meliorem & magis idoneum. Et licet vicarius generalis in officio gene-ralis ſuccedat: illi tamen nullatenus liceat electores mutare,

vel priuare,at nouos eligere ad capitulum generale proximum sed quantum ad hoc,ijdem electores quos, magister generalis per mortem, vel decessum, vel priuationem reliquit, permaneant. Ita vt religio in eodem prorsus statu perseueret, sicut fuerat ante vacationem magistratus. Quod si electorum aliquis mori contingat, vel fuerit legitimè impeditus, tunc à prouinciali,& diffinitoribus suæ prouinciæ,pro qua vocem habebat, illius loco nouus eligatur: (vt superius dictum est) qui vocem habeat eligendi magistrum. Deinde coram generali, vel vicario generali,qui præest,sint vasa apta, & dispositа,in quibus vota secreta deponantur;& ibidē in capitulo adsit secretarius vel notarius capituli,Qui tā in electione magistri,quā in capitulo, quotiescūq; negotia religionis agūtur,debet esse vnus ex fratribus religiosis ordinis nostri,& nullatenus secularis. A quo prę dicti electores omnes, petere debēt & exigere scripto,nomina eligēdorū fratrū,in magistrū generalem. Postquā vero omnes vota sua sic scripta in vasa coniecerint: tunc generalis, vel vicarius generalis,vel ille, qui præest cū duobus diffinitoribus professione antiquioribus,vota omnia scrutentur,& cōputēt. Et si maior pars medietate eligentium,in aliquo fratre conuenerit tunc scrutinium publicetur, & electionem canonicam denuntient omnibus electoribus, & pariter secretario capituli: qui fidem omnium in scriptis præstabit. Si autem maior pars eligentium non conuenerit: secundo, & tertio (si opus fuerit)ad scrutinium procedatur, donec maior pars medietate conueniat eligentium, & fiat electio canonica. Qua per acta,statim ante quam nouo electo magistro præstetur obedientia, iuret coram electoribus & secretario capituli per Deum,& crucem,& sancta Dei euangelia manibus suis sponte tacta,quod secundū Deum,& propriam conscientiam,& constitutiones ordinis nostri reget,& gubernabit,omni odio, & amore postpositis,prædictū ordinē,& constitutiones illius seruabit,& ea quæ pro pace cū prouincijs ordinis,à suis prædecessoribus approbata,& seruata fuere,Et quod fideliter,& diligētissime exequetur,quæ ad redēptionē captiuorū pertinēt, cum ad

hunc

hunc finem ordo noſter ſit inſtitutus: nec in aliquo prædicta bona redemptionis, vel ordinis defraudabit, vel quouis colore in propriøs vſus conuertet, ſed quod omniũ bonorũ, quouis modo ad ordinem noſtrum ſpectantium, in capi[illegible] reddet rationem. Quòd ſi iurare recuſauerit: electio [illegible] nec ei præſtetur obedientia. Si verò iurauerit: ſtatim omn[illegible] proſternant, & obedientiam humiliter præſtent, & cantor in[illegible] cipiat. Te Deum laudamus, & procedãt ad Eccleſiam, Duo ex antiquioribus prælatis, ſeu prouincialibus, aut definitoribus ad dexteram, & ſiniſtram, & magiſter ante altare proſtretur: & antiquior ex prædictis duobus dicat. Saluum fac. Dominus vobiſcum. Oremus. Concede quæſumus omnipotens Deus, vt famulũ tuũ, quẽ ad regimen animarum elegimus dono tuæ gratiæ proſequaris, vt te largiente, cũ ipſa tibi noſtra electione placeamus. Deus qui corda fideliũ Sancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodẽ ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper cõſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, filiũ tuũ, qui tecũ viuit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorũ. Amen. Orem. Concede nos famulos tuos quæſumus Dñe Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ ſemper Virginis interceſsione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtũ Dñm noſtrũ. Amen. Poſteà ducãt ad chorũ, & ibi in ſede ſua cõmendet ſe orationibus fratrum, & populo publicetur electio. Tandẽ de cõſenſu magiſtri electi, & electorũ cõſtituantur procuratores, qui præſentẽt prædictã electionẽ Põtifici maximo, vt illã approbet, & cõfirmet: vt pote cui ordo noſter eſt immediate ſubiectus. Siquis vero hoc modo factæ electioni auſus fuerit cõtradicere appellare vel quouis modo, aut colore impedire, pręſenti cõſtitutione excõmunicam⁹, & ſuffragijs in vita & morte & officio in ordine nr̃o perpetuo priuamus. Magiſter verò generalis, qui prædicto modo elect⁹ fuerit, ſuo officio plene ſtatim fungat̃ ſub titulo vicarij generalis, & ſit caput, & prælatus generaliſsimus in toto ordine, cui oẽs prouinciales, ac oẽs prouinciæ, cũ oibus & ſingulis totius religionis fratribus omnino obediat. Poſtq̃ verò à

sede apostolica fuerit confirmatus, plane id notum faciat, & denuntiet prouintijs suis,& ex tunc vtatur tam nomine,quam titulo magistri generalis. Et quoniam temporum experientia monstrauit,quot & quanta mala & incõuenientia,sequãtur,ex perpetuitate officiorum & dignitatum, ordinamus & statuimus,quod deinceps in ordine nostro,futuris perpetuo temporibus,magister generalis ordinis nostri,sit tẽporalis. Vt à Gregorio.XIII.decernitur,& à Sixto,V. Motu eius proprio præcipitur.Ita quidem vt non possit vnquam magister vllus, vltra tempus sex annorum,in magistratu ordinis perdurare. Neque rursus possit transacto sex annorum curriculo,iterum eligi in magistrum generalem ordinis.Nisi prius duo alij generales magistri,electi,& confirmati,mediauerint ac interceſſerint.

CAPVT QVINTVM, DE *officio magistri generalis.*

CVm Magister generalis pastor, &antistes totius ordinis sit,cui ordiné visitare,& cognoscere proprias oues incũbit,In vnoquoque triénio,totum ordinem & illius omnia monasteria,per se,vel(si ipse non poterit)per idoneos visitatores in cõsciẽtia visitare tenetur. Et in sua visitatione se omnibus præbeat beneuolũ,& iustum, & obseruãtiæ religionis amatorem: corrigendo,iam baculo,iam(si opus fuerit) virga ferrea: ita vt omnes sibi subditos(in quantum sibi visum fuerit, & possibile)ad veram religionem dirigat.Item magister generalis secum afferrat duo sigilla, in quibus sit impressum scutum ordinis: quorum alterum paruũ alterum vero maiusculum erit. Quæ sigilla semper nouo magistro electo tradantur. Et in maiori sigillo impressa erit imago Annuntiationis, tali versu circunscripta: Redemptionem misit Dominus Populo suo: Magister vero generalis, postquam electus fuerit, ex decreto & iudicio definitorum in capitulo generali duos vicarios generales nominabit:pro prouincijs Indiarum. Alterum quidem,

qui

qui viſitet prouincias del Peru: alterum verò, nouam Hiſpaniã, & Guatimalam, cum inſulis & locis adiacentibus. Eam autem nominationem faciat, (vt dictum eſt) de conſenſu definitorũ. Et prædictos vicarios generales, non niſi de prouincijs & fratribus Caſtellæ, & Bethicæ inſtituere, aut nominare poterit, & non ex alijs nationibus. Quod tamen ſic fiat, vt vterque vicarius nullo modo ſit ex vna, & eadem illarum prouinciarũ: ſed ita quidem, quod ſi vnus ſit ex prouincia Caſtellæ, alter ſit ex prouincia Bethicę. Hac etiam addita forma & cõditione, quod ſi vicarius generalis del Peru, fuerit ex prouincia Caſtellæ: tunc vicarius generalis immediatè ſubſequens, debeat eſſe ex prouincia Bethicæ. Et nullo modo, nulloque tempore, duo vicarij generales del Peru, neque nouæ Hiſpaniæ ſibi immediate ex eadem prouincia ſuccedant. Sed in omnibus nominationibus alternatiue procedatur: Tales autem omnes & ſinguli vicarij generales ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententię, priuationiſque actiuæ, & paſsiuę vocis in perpetuo: Magiſtro ordinis in capitulo generali omnium bonorum, quæ durante officio receperint, tam ex veſtuarijs Magiſtri, quã quouis alio titulo, vel prætextu computum, & rationem plane reddent. Et ſub eadem pœna interdicitur, ne tales vicarij generales Indiarum faciant, aut permittant ſe eligere in prouinciales earundẽ prouinciarum: neque ſi eligantur conſentiant. Quod ſi contrarium fiat, ex nunc pro tunc, talem electionem irritam iudicamus, & electus in capitulo generali à magiſtro generali & definitorio puniatur. Præfati autem omnes & ſinguli Indiarum vicarij generales, poteſtatem, & vices generalis habebunt, donec fuerit voluntas eiuſdem magiſtri generalis. Ad quos iure præſentium conſtitutionum pertinebit viſitare, & reformare prædictas Indiarum prouincias, ordinando eas, & ad debitam obſeruantiam reducendo: iuxta regulam, & conſtitutiones ordinis noſtri, puniendo, corrigendo, & caſtigando exceſſus, tranſgreſsiones & delicta fratrum. Habebuntque pariter poteſtatẽ confirmandi, vel caſſandi, vel annullandi electiones prouincialium, quæ in prædictis Indiarum prouincijs celebrantur. Item

magister generalis in ea prouincia, vbi præsens fuerit, si commenda aliqua quouis modo vacare contigerit, poterit sane propria authoritate de commendatore prouidere, eumque creare, & eligere. Cæterum ipso absente à tali prouincia solus prouincialis eiusdem prouinciæ prouideat de commendatore, & non magister generalis: Nec rursus potest prædictus magister generalis se solo prouincialem nominare, aut eligere, vel creare: sed semper prouincialis à capitulo prouincia li eligatur. Præsenti rursus constitutione sancimus, quod gene ralis magister nulla ratione possit capitula generalia intermedia, aut electiones, mutare, vel differre, aut prętermittere, neque capitula prouincialia suo tępore impedire, aut prorogare. Qua re electores cuiuscunque capituli, tam generalis, quam prouin cialis, cognito loco futuri capituli, sciant se esse præsenti cõstitutione conuocatos: nempe ad capitulum generale, tertio quoque anno, in vigilia Pentecostes: ad capitulum verò prouinciale, similiter de triennio in triennium, in vigilia Dominicæ in, cantate: post pascha, & sine noua conuocatione, in prædefinito loco capituli compareant. Et illi, qui dicto loco, & tempore cõ paruerint: etiam si reliqui absint ad electiones generalis & pro uincialis, & ad reliqua omnia necessaria definienda, & quæ in alijs capitulis fieri consueuerunt perficienda, procedant, & quę ita gesta fuerint valida sint: eandemque habeant firmitatem, ac si omnes in vnum conueniissent, absentibus non obstantibus. Statuimus etiam, ac ordinamus omnes, & singulos fratres totius ordinis cuiuscunque conditionis, & qualitatis sint: subditos & subiectos esse debere, in omnibus & per omnia, correctioni, & obedientiæ suorum prælatorum, commendatorum & prouincialium. Et rursus prædictos omnes iurisdictioni, & obedientiæ generalis magistri. Qui iure harum constitutionum, poterit dispensare cum fratribus in nonnullis rebus, quæ iuxta ordinis dispositionem, possunt, & concedi solent à generalibus magistris, quas inferiores, antistites, & commendatores non poterunt impedire aut prohibere. Socij verò ipsius magistri generalis cum secretario illius, obedientiæ so-

Aduertẽda cõstitutio.

lius

lius magiſtri ſubiaceant,& non alteri prælato. Tandem,magiſter generalis qui aliorum debet eſſe regula, nullo modo habeat aliquid proprium ſibi determinatum: neque iure hæreditario,aut quouis alio, bona prouincialium , aut commendatorum , aut quorumcunque aliorum fratrum accipere ſibi præſumat.Imo reddituum omnium oppidi de Algar, & quorumcunque cõtributionum , tam ex veſtuarijs, quam aliunde (quæ omnia expenſis publicis , & particularibus ſui officij illi aſsignantur) ſemel in capitulo generali intermedio, & iterum in vltimo capitulo nouæ electionis, computum , & rationem reddet.Et animalia, quæ officio deſeruiunt cum pecunijs , & alijs rebus officio pertinentibus , quæ illo tranſacto , & facta computatione ſuperfuerint nouo magiſtro electo tradat. Qui illa in ſe recipiat , illiſque, tempore ſui magiſterij vtatur: vt ſimiliter ſuo tempore (vt dictum eſt) illorum pariter rationem reddat. Caueat autem magiſter generalis, ne in viſitatione domorum demoretur:ſed breuitate, qua poterit , ita vt magni ſumptus euitentur,viſitationes abſoluat,&per ficiat.

CAPVT SEXTVM, DE CAPITULO PROVINCIALI.

CApitulum Prouinciale tertio quoque anno fiat in qualibet prouincia. Et prouincialis non poteſt eligi niſi ad triennium, neque reeligi,donec tranſacto primo triennio, duo alia triennia tranſeant. Celebratur tamen prædictum capitulũ in Dominica, Cãtate,in qua futuris perpetuò temporibus in toto ordine celebranda ſunt inuiolabiliter capitula prouincialia. Loco tamẽ à prouinciali,& diffinitoribus prędiffinito.In quo vocem habeant eligendi omnes magiſtri ordinis acceptati , & confirmati,& omnes commendatores prouinciæ: ſimiliter & omnes præſentati in capitulo generali confirmati , illius prouinciæ in qua capitulum prouinciale celebratur , dummodo tales magiſtri & præſentati ſint de numero prouinciæ,

& prædicti præsentati sint Bachalauri in vniuersitate approbata de licentia ordinis, & hi omnes tenentur venire & vnum dumtaxat fratrem in socium ducere possunt,(si expedierit), Et vigilia vigiliæ liceat oppidum,monasterium,& conuentum capituli intrare. Siquis verò ante prædictum tempus,vel sine speciali mandato venerit pœnam grauioris culpæ incurrat, absq; aliqua relaxatione. Si verò aliquis commendatorum Venire non potuerit,ad capitulum mittat religiosum, aut nuntium,cũ litteris causam,& statum domus continentibus. A die conuocationis in quolibet monasterio prouinciæ,vsque ad vltimum diem capituli,post nonam dicat conuentus,Ad te leuaui, Gloria Patri, Cantore ex choro hebdomadarij incipiente, Veni sancte Spiritus,&c.Kyrie eleyson,Christe eleyson,Kyrie eleyson. Pater noster. Et ne nos. Emitte spiritum tuum.Saluos fac.Dominus vobiscum. Oremus.Deus qui corda fidelium, &c.Adesto domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ vitæ huius varietates,tuo semper protegãtur auxilio. Per Christum, &c. Vnusquisque verò professus religiosus liberam habeat facultatem,absque licentia sui superioris scribendi ad prouincialem,& diffinitores quæ ad statum domus,seu ordinis expedire viderit, modo verum scribat. Quod si contrarium repertum fuerit pœnæ grauioris culpæ subiacebit. Ne verò multitudo religiosorum confusionem,vel scandalum pariat,statim prouincialis nominet religiosum virum prouidum in vicarium capituli, sine cuius licentia nemo à monasterio exeat, diligenter inquirat, & prouideat, vt nullus frater maneat in populo extra monasterium,nec bona fratrum, nisi sola animalia, & vt fratres, qui egrediuntur statim redeant, assignando cuilibet socium, ne vagari eos contingat,cum scandalo populi.

(?)

Caput

CAPVT SEPTIMVM, DE electione Prouincialis.

IN vigilia Dominicæ in Cantate ad aurorã, omnes vocales capituli simul ingrediantur capitulum, & statim dicatur missa Spiritus sancti, quã omnes audiãt. Et ea finita flexis genibus inuocetur Spiritus sanctus cantando hymnum, Veni creator. Deinde surgant, & prouincialis dicat, Emitte spiritum tuũ, & creabuntur. Dominus vobiscum. Oremus. Deus qui corda fidelium, &c. Per Christum &c. Deinde suo ordine iuxta antiquitatem sedentibus, concio verbi Dei toti congregationi fiat quæ prædictæ congregationi expediens sit, Postea prouincialis proponat & referat fratres defunctos ipsius prouinciæ à tempore capituli transacti, & statim surgat, & dicatur. De profundis clamaui. &c. Requiem æternam. Kirie eleyson, Christe eleyson Kirie eleyson. Oremus. Absolue, quæsumus Domine animas famulorũ tuorũ fratrum nostrorum ab omni vinculo delictorum: vt in resurrectionis gloria inter sanctos, & electos tuos resuscitati respirent. Per Christum, &c. Et eorum animæ maxime commendentur orationibus fratrũ Prouinciæ. Deinde fiat recõmẽdatio pro domino Papa, pro Rege, pro benefactoribus ordinis, & quod semper Deo commendent statum ecclesiæ, Regem, & summum Pontificem in suis orationibus. Et dicatur, Ad te leuaui &c. Gloria patri, &c. Kirie, Christe, kirie Pater noster. Et ne nos, &c. Oremus pro domino Papa, Respond. Dominus conseruet eum, & viuificet eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum eius. Versus. Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas. Respond. Deus meus sperantes in te. Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, protende super famulum tuum Papam nostrum. N. & super cunctas congregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Pre-

tende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant aſſequantur. Deinde prouincialis, vel qui præſidet, primò, & ſecundò moneat excommunicatos, & iure prohibitos, ſiqui ſint à præſenti electione exire. Poſtea ſinguli electores, & vocales iurent in manibus præſidentis per Deum, & crucem, & ſancta Dei Euangelia propriis manibus tacta, quod eligent in prouincialem fratrem ad minus per duodecim annos in ordine noſtro profeſsione antiquum virum religioſum, prouidum, & prudentem, & doctum, ſcilicet in Theologia magiſtrum, vel præſentatum ab ordine ſuſceptum, & abſque odio, amore, vel precio, qui iudicio ſuo in ſpiritualibus, & temporalibus melius reget, & gubernabit prouinciam. Tunc ſuo ordine à ſecretario capituli vnuſquiſque petat ſchedulas, in quibus nomina eligendorum exprimantur: & poſtea in vaſa ante altare præparata ſecretò mittantur: ita tamen vt eligentes, & vaſa ab omnibus videantur. Poſtquam verò omnes vota ſua per ſchedulas in vaſa coniecerint: tunc prouincialis, vel qui præeſt cum duobus diffinitoribus, profeſsione antiquioribus vota omnia ſcrutentur, & computent: & ſi maior pars medietate eligentium, in aliquo fratre conuenerit: tunc ſcrutinium publicetur & electio, tanquam canonica denuntietur à prouinciali coram omnibus electoribus, & ſecretario capituli, qui fidem omnium ſcripto præſtabit. Si autem maior pars eligentium non conuenerit, ſecundò, & tertiò, & quotics opus fuerit ad ſcrutinium procedatur, donec maior pars medietate eligentium conueniat, vt fiat canonica electio: qua peracta ſtatim antequàm electo prouinciali præſtetur obedientia ab aliquo, iuret coram præſidente, & electoribus, & ſecretario per Deum & crucem, & ſancta Dei Euangelia manibus ſuis ſponte tacta: quòd ſecundum Deum, & propriam conſcientiam erit obediens magiſtro generali ordinis, & ſucceſſoribus, & quod fideliter omnia quæ redemptionis captiuorum curam, & obſeruantiam conſtitutionum ordinis, & bonam gubernationem religioſorum concernunt abſque vllo odio, vel amore, ſecundum

dum Deum, & propriam conscientiam exequetur. Et quod de omnibus, quę receperit quouis modo in diffinitorio rationem reddet: neque relaxationem iuramenti, aut dispensationem in aliquo à sede apostolica petet. Et facto iuramento, non aliter ab omnibus obedientia præstetur prædicto prouinciali electo: & ab illa hora triennij sui officium computetur, vsq; ad Dñicam in Cãrate post tres annos: & infra sexaginta dies magistro generali dicta electio præsentetur, vt illam approbet, & confirmet, alias electio sit irrita, & vana. Prouinciales verò Indiarum a vicario generali confirmationem petant. Quòd si adiutorium, vel contributionem, vel quid simile prouinciales electi, vel confirmati, generali vicario præstiterint: vicarius generalis eorum omnium, quæ receperit a prouincijs Indiarum per se, vel per alium rationem, & computum reddat in capitulis generalibus. Et magistro generali quam primum possit vestuarium transmittet, cum vera ratione omnium. Statuimus etiam, & ordinamus quod prouincialis prædictus statim atque fuerit canonice electus, in eodem capitulo prouinciali vtatur officio suo sub titulo & nomine vicarij prouincialis, siue prouincialis electi, vsque ad confirmationem prædictam generalis magistri. Quod si prouincialis officium quouis modo ante diffinitum tempus trium annorum vacare contigerit, siue per mortem, absolutionem, vel renuntiationem, vel ex quacunque alia causa, tunc eius vices, & locum teneat in prouincia, illius vicarius prouincialis, qui in omnibus & per omnia officium prouincialis exercebit. Talis autem vicarius prouincialis ius habeat suo tempore conuocandi, & interim vsque ad completum triennium regendi, & gubernandi totam prouinciam, ac si verus esset prouincialis. Eò solum excepto, quod in vltimo anno, in quo futura est prouincialis electio, prædictus vicarius prouincialis non possit commendatores à suis commendis amouere, seu priuare, nisi propter grauia delicta, vel ex culpis à constitutionibus expressis, pro quibus taxatur priuationis pœna, & de consilio duorum prælatorum ex propinquioribus, vel de cõsilio duorum diffinitorũ.

Posſit tamen commendatores, ab vna in alteram commendam transferre. Imò verò ſi ei videatur expedire eos ab officio, & commenda ſuſpendere vſque ad prouinciale proximum capitulum. Et tempore ſuſpenſionis durante poſsit fratrem nominare, qui in conuentu præſideat. Commendatores tamen, qui ab officio ſuſpenſi ſunt à prædicto vicario prouinciali (modo non ſint priuati) habeant nihilominus vocem in electione prouincialis proximè futura, & in electione diffinitorum. Quod ita decernimus eſſe faciendum, vt negociationes, & alia id generis non conualeſcant. Si verò prouincialatu vacante, nullus fuerit vicarius prouincialis à prouinciali ſignatus, & inſtitutus, defectu illius, vices eius gerat commendator illius domus, vbi immediate futurum eſt capitulum prouinciale, & is vere ſuccedat in vicarium prouincialem, vſque ad electionem prædictam, & defectu talis commendatoris, ſuccedat in eodem iure, atque loco, diffinitor antiquior eiuſdem prouinciæ, & ſic conſequenter procedendo per omnes definitores, Vel in eo caſu magiſter generalis prouideat in illa prouincia quis debeat eſſe vicarius. Et id poſsit facere prædictus generalis in omnibus totius ordinis prouincijs prouincialatu vacante. Cæterum totaliter prohibemus, nunc & in perpetuum, vicarium prouincialem inſtitui à generali magiſtro viuente prouinciali, niſi fortè cum ex rationabili cauſa prædictus generalis magiſter, prouincialem à prouincialatu priuauerit, vel ab executione officij ſuſpenderit, nam in eo caſu poterit prouidere de vicario qui vſque ad futuram prouincialis electionem, curam regiminis habeat. Verumtamen prouinciali gubernante, cum vtitur ſui prouincialatus officio, eſſet ſchiſmatum, ſeu diuiſionum occaſio, intra vnam, & eandem prouinciam, alium inſtituere vicarium, quam eum, quem prouincialis inſtituerit, & nominauerit: ſiquidem in ſua prouincia vicarius eius eſſe debet inferior illo. Poſtquam verò prædictus prouincialis electus, fuerit à magiſtro confirmatus, confirmationem vniuerſæ prouinciæ denuntiet, & titulum habeat prouincialis abſolute. Cui omnes, & ſinguli fratres illius prouinciæ in ſpiritualibus, &

Aduertẽda conſtitutio.

tempo-

temporalibus obedire tenentur. Idem omninò fiat in electione cuiuſcunque prouincialis, tam prouinciarum, quæ modò ſunt, quam in electione earum, quæ pro tempore erunt in vniuerſo orbe.

CAPVT OCTAVVM, DE *Prima die capituli prouincialis, & electione definitorum eiuſdem capituli.*

STatuimus, & ordinamus, vt electione canonica prouincialis peracta: quam primùm fieri poterit ad electionem diffinitorum capituli prouincialis procedatur. In vnaquaque prouincia quatuor definitores ſint, & in hunc modum eligantur, ſcilicet per ſuffragia, & vota ſecreta, petendo ſchedulas eligendorum à ſecretario capituli, ſicut dictum eſt in electione magiſtri generalis, & prouincialis, & illi quatuor, in quibus maior pars medietate eligentium conuenerit, ſint diffinitores capituli, modo non fuerint nominati in capitulo proximè præcedenti. Et cum prædictis electis diffinitoribus, prouincialis omnia quæ ad ſtatum, & regimen illius prouinciæ ſpectant, & ad prouiſionem domorum decernat, & prouideat, omni odio, & amore poſtpoſitis. Et pari modo, atque forma in capitulo prouinciali, fiat electio duorum ſociorum ipſius prouincialis. Qui in capitulo generali immediate futuro erunt electores & diffinitores. Siquis verò diffinitor infirmari contigerit, aut mori, à prouinciali, & diffinitoribus alius canonice eligatur. Electis vero diffinitoribus, duo in ordine noſtro profeſsione antiquiores, dexteram prouincialis electi, duo verò ſiniſtram teneant. Et poſtea ſinguli commendatores ſuo ordine ſtantes coram prouinciali, & diffinitoribus, titulum ſuæ commendæ deponant, & ſtatum rationem debitamque domus ſibi commiſſæ, reddant, narrando ſolum vera. Quòd ſi quis falſa narrare inueniatur, pœnæ grauioris culpæ ſubiacebit. Et quilibet prælatus de receptis pro redemptione captiuorum, abſque aliqua relaxa

tione, fideliter reddat rationem: ita vt nullus audeat in capitulo comparere sine vero & legitimo computo eorum omnium quæ receperit pro redemptione captiuorum. Postea fiat solennis processio, & missa celebretur cum concione verbi Dei, in qua omnes non presbyteri communicent, reliqui vero sacerdotes omnes diuina celebrent tribus primis diebus pro benefactoribus ordinis. Quibus omnibus mane concio, vespere autem conclusiones habeantur. Quarta vero die totum officium, & omnes missę cum concione sint pro fratribus defunctis.

CAPVT NONVM DE SECUNDA DIE CAPITULI PROVINCIALIS.

SEcunda vero die fiant proclamationes in capitulo, & recitentur litteræ commendatorum, & fratrum: sæcularium vero nisi summi Pontificis, vel regis fuerit minimè aperiantur, donec sit finitum capitulum. In proclamationibus vero, & querelis vno stante, & loquente, alius non loquatur. Nullus faciat proclamationē super aliquid ex sola suspicione, & nullus etiā accuset de auditu, nisi declaret à quo audierit, & sit præsens in capitulo. Sed si accuset de crimine debet per sufficiētes testes probare, alias pœna accusato debita puniatur. Prouincialis, & visitator præcedentis triennij prouinciali electo, & definitoribus ostendant visitationes, non omnes, sed eas, quæ pro sui grauitate, matura consideratione, tali loco fuerunt reseruatæ. Reliquæ vero visitationes comburantur, & consumantur. Nihilominus tamen prouincialis præcedentis capituli, cū sui temporis visitatoribus, vere & fideliter secundum Deum, & proprias conscientias, nouo prouinciali electo, nouisque definitoribus referant mores, vitasque prælatorum. Quibus cognitis ad eorum emendationem, & correctionem procedant. Et officia, & dignitates, nō personis sed domibus, & religioni prouideant, sicut iureiurando tenentur. Præcipimus in virtute Spiritus sancti, sanctęque obedientiæ, & sub excommunicationis

cationis sententia, vt nullus quæ in diffinitorio tractantur, & aguntur alicui dicat, & communicet, nec alij fratres ea quæ in capitulo tractantur sæcularibus narrent. Vnde damnum seu infamiam religio nostra incurrat, aut diuisionem ordinis, vel suũ antiquum religiosum statum iurisdictionem, & dignitatem, & præeminentiam quouis modo lædere tentent. Quod siquis fecerit, tanquam conspirator, & religionis inimicus, suffragijs, & beneficijs ordinis nostri sit alienus, & pœnę grauissimæ culpæ absque relaxatione subiaceat, & perpetuo carebit officio in ordine nostro. Si verò dissensio aliqua rerum temporalium inter aliquos fratres oriatur, ne his diffinitoriũ impediatur, vbi res spirituales principalius tractandæ sunt, Prouincialis de cõsilio definitorum nominet duos viros religiosos, & prudẽtes, qui discussa veritate huiusmodi lites dirimant, & componãt, & inter fratres iudicent, & pacem constituant, quorum iudicio standum est. Et hi iudices causarum nominentur.

CAPVT DECIMVM DE TERtia die capituli prouincialis.

TErtia verò die capituli vocentur iudices signati pro litibus dirimendis, an sit aliquid non diffinitum, nec compositum, & à prouinciali cum diffinitoribus, & iudicibus simul conferatur, vt maiori parti visum fuerit, iudicetur. Si verò visitator, aut prouincialis præcedentis triennij proclamatus, & accusatus fuerit & de aliquo crimine conuictus, prouincialis electus, cum prædictis iudicibus, & diffinitoribus, in diffinitorio corripiant secreto, & castigent secundum exigentiam delicti. Postea solus prouincialis, & quatuor diffinitores, nulla alia persona cuiuscunque status, officij, vel conditionis admissa, inuicem conferant, quæ ordinanda sunt. Et prouincialis primò, & secundò, & tertiò moneat, & adiuret, & præcipiat eisdem in virtute spiritus sancti, sanctæque obedientiæ, vt in his quæ determinãda sunt nõ pro vniuscuiusq; arbitrio sed mature & circunspecte considerent, dum horum qualitates,

fratrum mores,& sufficientiam,omni amore, odio & fauore, & precio procul pulsis. Quod si aliter fecerint,indignos nẽpe, vel minus dignos ad dignitates promouendo, existiment religioni grauissimum damnum, & iniuriam irrogari: & Deum grauissime offendi,& restitutione teneri, quorum pœnitentia vix tanta esse poterit, vt pro delicto satisfaciant. Adiuratione & præcepto proposito,in nomine Domini nostri Iesu Christi, eiusque immaculatæ matris Virginis Mariæ: primo de correctionibus fratrum,tam præsentium quam absentium tractent, & pœnas suis excessibus dignas iudicẽt & scribant. Deinde de redemptione captiuorum,quo tempore fiet. Et nominẽt duos redemptores viros religiosos, prudentes, & honestos pro expeditione redemptionis. Deinde designent commendatores & prælatos pro gubernatione omnium domorum prouinciæ: modo non reeligãtur in eodem monasterio ad secundum triẽnium immediate: nisi ex aliqua iusta, & rationabili causa, à diffinitorio approbata. Et in eo casu tunc possunt pro vna vice reeligi, & non amplius. Et ad maiorem temporis prorogationem,vel dispensationem,nullam habeat potestatem prouincialis,nec eius capitulum: sed semper post duo capitula,alius commendator,& Prælatus mediet. Si vero contrarium fiat irrita sit nominatio,& tunc sub sententia excommunicationis solus prouincialis absque diffinitoribus,creet commendatorẽ. Tandem de loco vbi celebrandum est capitulum conueniant. Si vero in his determinandis, definitores sint diuisi in partes æquales,prævalebit pars cum qua concordauerit prouincialis: alias maior pars valebit,cum omnes in his determinandis in voce sint pares. Postea omnes in capitulum conueniant, & prouincialis,quæ sunt publice reprehendenda,& emendanda,proponat, & legantur quæ in diffinitorio sunt determinata. Quibus lectis nullus murmuret,nullus reclamet,neque appellet, nullus contradicat,sed omnes humiliter obediant,& debite suscipiant.

Caput

CAPVT VNDECIMVM,
De quarta die, & de absolutione capituli Prouincialis.

QVarta die conueniant omnes in capitulo, & legatur tabula commendatorum. Posteà stans prouincialis, Alij flexis genibus dicant. Confiteor Deo. ℟. Misereatur vestri. Ego authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & authoritate mihi commissa, absoluo omnes fratres, nostro regimini commissos, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis (si indigeant) & ab omnibus transgressionibus, excessibus, seu omissionibus regulæ, & constitutionum nostrarum, quantum ego possum, & quod non possum, suppleat, & perficiat summus, & omnipotens sacerdos, & Pontifex Dominus Iesus Christus. Et iniungo vobis in pœnitentiã, & remissionem omnium peccatorum, quidquid boni feceritis, & specialiter iugum obedientiæ, & regularis obseruantiæ disciplinam. Neque intendimus absoluere perditionis, & iniquitatis filios, latrones, proprietarios, & apostatas, sed per viscera misericordiæ Dei nostri, eos primò secũdò, & tertiò monemus, vt profugi, & apostatæ corde humili reuertantur: alioquin, ex nunc inscriptis de nouo excommunicationis sententia innodamus, & declaramus. Et quia, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: Authoritate Dei omnipotẽtis Patris, & Filij, & Spiritus sancti benedicimus in Christo charissimos fratres, & filios, tam absentes, quam præsentes, quãtũ possumus, & quod fragilitas nostra nõ obtinet, suppleat & perficiat Dominus Iesus Christus sua larga benedictione, qui sit vobiscum in itinere vestro, & ad domos vestras sanos, & incolumes reducat, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen. Cantor tunc incipiat. Te Deum. & vadant omnes in processione ad Ecclesiã. Quo finito, dicat prouincialis. Vers. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. ℟. A tẽplo tuo,

quod est in Hierusalem. Vers. Domine exaudi orationẽ meã, Dominus vobiscum. Oremus. Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra operatio, à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde submissa voce dicat. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit cælum & terram. Et suo ordine manus prouincialis osculentur. Et sic absoluitur capitulũ. Quo absoluto, prouincialis, & diffinitores legant litteras ad diffinitorium missas, & prudenter, & cum cõsilio respondeant. Deinde instrumenta publica cum sigillo ordinis, & subscriptionibus prouincialis, & omnium diffinitorum singulis commẽdatoribus, procuratoribus, diffinitoribus capituli generalis distribuantur. Prouincialis vero solus assignet, & distribuat cõuentuales secundum domorum necessitatem, vt melius viderit, conuenire. Capitulum vero prouinciale semper intra quatuor dies terminetur, nisi ex maxima causa, prouinciali & diffinitoribus visum fuerit per breue tempus prorogare.

CAPVT DVODECIMVM,
De officio Prouincialis.

PRouincialis in triennio sui officij omnia, & singula monasteria suæ prouinciæ per se, vel si non potuerit, per idoneos visitatores bis visitare tenetur, & in sua visitatione tanquam verus pater omnibus prouideat, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, neque extra actualem visitationem aliquem fratrem de domo in domum transferat, nisi ex iusta causa, vel nisi ipsius fratris voluntate prægnita, vel alicuius delicti (de quo sit conuictus) occasione. Neque licentias in albis concedat. At in visitatione mutet fratres, prout sibi conueniens visum fuerit. Et cum visitat, prædicatores, confessores, & ordinandos per se ipsum examinet, & quos insufficientes inuenerit repellat. Neque permittat eos, his & similibus ministe-

nisterijs vti, si inidonei fuerint reperti, sciens omnium illorum Deo esse rationem redditurum. Imò verò in virtute sanctæ obedientiæ,& sub pœna priuationis actiuæ,& passiuæ vocis præcipimus, ne quisquam ex fratribus nostris à prouinciali, neque à suis prælatis ordinetur, nisi iuxta formam sacrosancti Concilij Tridentini,& cognita eorundem fratrum sufficientia tam in ætate, quam in moribus, & litterarum peritia. Et id ipsum obseruent sub eisdem præcepto,& pœna illi omnes, quibus commissa, & demandata fuerit facultas examinandi,& ordinandi prædictos fratres. Statuimus etiã,& ordinamus, quod si prouincialis infirmari contingat, aut à sua prouincia abesse, per longum aut notabile tempus: minime recedat nisi vicariũ prouincialem prius instituat, qui eisdem in omnibus gaudebit priuilegijs,& iuribus, sicut & prouincialis ipse (vt superius retulimus.) Aliter tamen vicarium prouincialem non instituat, vt prælatorum multitudo euitetur. In prouincia autem Castellæ, & Vandaliæ (nisi diuisa fuerit & permaneat,) iuxta reformationis decreta: poterit vicarium prouincialem, nominare: secus verò diuisione peracta: si duæ prouinciæ distinctæ & diuisæ permanserint. Prouincialis verò omnium, quæ receperit, tam sigillorum, quam animalium,& reddituum, aliorumque bonorum, ratione officij receptorum rationem reddet diffinitorio capituli. Caueat autem quicunque prouincialis, ne monasteria superfluis sumptibus grauet, sed moderatis expensis sit contentus. Ne prouincialis qui domos adiuuare,& reędificare tenetur illas consumat, & perdat. Similiter pro expensis itineris solũ petat,& recipiat id, quod verè sufficere potest & itineri est necessariũ, & qua breuitate poterit à visitatione se expediat, & si fieri potest intra quatuor dies terminetur. Pro vestuarijs cuiuscunque prouincialis, singulę prouinciæ quinquaginta ducatos, suo prouinciali persoluant singulis annis. Prouincia tamẽ Aragoniæ, quandiu nó diuiditur, quia magna,& spatiosa est,& prouinciali illius competit visitatio aliquarum insularum vbi plures sumptus requiruntur centum ducatos soluat singulis annis.

CAPVT DECIMVM TERtium, De statu omnium prouinciarum et quibusdam alijs totum ordinem concernentibus.

QVælibet prouincia habeat duodecim magistros in sacra Theologia, non plures, & pariter viginti quatuor præsentatos, & non plures, qui graduentur vt inferius dicetur. Quod si aliquis in maiori numero fuerit vel expositus, vel graduatus, ille non gaudeat gratijs, exemptionibus, aut priuilegijs concessis, vel concedendis magistris, & præsentatis in prædicto numero constitutis. Similiter quælibet prouincia in quolibet capitulo generali tres habeat electores & definitores: qui pro eadem prouincia plenariam vocem habeant, in quibusuis rebus decernendis, definiendis, & prouidendis. Prouincia autem Castellę, & Vandaliæ, quæ hucusque vna semper perseuerauit, in posterum in duas prouincias diuidatur. Quarū prior, prouincia Castellæ, posterior verò prouincia Bethicę, seu Vandaliæ nuncupabitur. Et singulæ singulos habeant prouinciales, & idcircò tanquam duæ prouinciæ distinctæ iuribus suffragijs, immunitatibus vocalium, magistrorum, præsentatorum, definitorum, tam in capitulo generali, quam in prouincia li in perpetuum gaudebunt. Quocirca redditus centum aureorum, qui per singulos annos vni & soli prouinciali, Castellæ, Lusitaniæ, & Bethicæ soluebantur: ab anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo octauo & deinceps in duas ęquales partes diuidantur, quarum altera quinquaginta nempè aureorum prouinciali Castellæ designatur: altera verò reliquorum quinquaginta aureorum prouinciali Vandaliæ tribuatur pro suorum officiorum expensis. Et pari iure diuisionis, earundem prouinciarum, Castellæ, & Vandaliæ, redditus omnes, qui Toleti quotannis persoluuntur, pro expensis capituli prouincialis

cialis æqualiter diuidantur. Decernimus tamen, ac ordinamus, quod non obſtante prædicta Caſtellæ, & Vandaliæ diuiſione, Salmanticenſe collegium, quinque teneatur fratres ex prouincia Bethica in collegas admittere, & alere in prędicto collegio, dummodo prius conſtet eos, per perſonam per prædictum collegium deputatam, non eſſe Neophitos, aut nouiter conuerſos, ſed de bonorum veterum Chriſtianorum genere deſcendere, etiam per publicam vocem, & famam. Et non aliter recipiãtur. Complutenſe autem collegium, quod in eadem prouincia Caſtellæ continetur, tres alios ex fratribus prouinciæ Bethicæ teneatur ſimiliter in collegas recipere, atque alere, prædicto examine ſui generis præcedente. Hos tamen omnes prouincialis Caſtellæ poterit ab vno collegio in alterum transferre, vel ab ſtudio repellere, ſi id fuerit conueniens, in quorũ loco alij ſuccedant. Quod ſi prouincia Bethica plures fratres, in prædicta collegia miſerit, quam ſint hi octo aſsignati, ſuis expenſis eos teneatur alere, & ſuſtentare prædicta Vandalorum prouincia. Et nihilominus cum eiſdem qualitatibus, & conditionibus ſu pradictis recipiantur & non aliter. Redemptiones verò, quæ hactenus in prædictis prouincijs ſimul fieri conſueuerunt, nũc etiam ſimul ab vtriſque ſunt peragendæ, nempe à prouincia Caſtellæ, & Vandaliæ ſimul, ſine diuiſione aliqua prorſus: ita ſanè, vt confraternitatis, & amicitiæ mutuo vinculo, in vnum conueniant, ad prædictas captiuorum redemptiones complendas. Et in ea re prouincia Caſtellæ vnum fratrem ſuæ prouinciæ redemptorem nominabit. Prouincia autem Bethica, alterum pariter inſtituet redemptorem. Et hi duo prædicti redemptores, eodem iure, eademque poteſtate, atque dominio vtãtur in his quæ ad redemptionis munus ſpectant, à quibus pariter peragenda eſt redemptio captiuorum. Singuli tamen redemptores, ſingulos libros habeant, vnumquemque quidé pro ſua prouincia, in quibus omnium rationem, & computum ſcribant, vt in capitulis prouincialibus, ſinguli redemptores ſuis prouincijs rationem reddant. Diuiſio autem localis prædictarum prouinciarum, Caſtellæ, & Vandaliæ fiat à fluuio, qui di-

citur Guadiana, à quo quidem loca omnia, versus Vandaliam posita, Bethicæ prouinciæ ascribuntur: quæ verò à prædicto fluuio versus Castellam extenduntur, Castellæ prouinciæ pertineant, cum his pariter quæ ad Compostellam, & Cantabriam, cum locis, & terris adiacentibus, & quæ regno Legionensi spectant. Pro regno autem Lusitaniæ, si quæ erigantur monasteria, illi prouinciæ ascribantur, cuius labore, expensis, & industria fuerint erecta. Rursus habeat quælibet prouincia duo sigilla, alterum paruum, in quo scutum ordinis sit exaratum, alterum vero maiusculum, in quo simul cum scuto ordinis sit aliqua specialis imago, præcipuè in Hispaniarum prouincijs, quod ita fiat, vt sigilla prouinciarum cognoscantur, & distinguantur. Et hæc nouo prouinciali in principio sui officij tradantur. Sigillum igitur prouinciæ Aragoniæ, præter ordinis scutum, imaginem habeat conceptionis Dominę nostræ, circunscriptam his literis. Tota pulchra es amica mea. Sigillum verò prouinciæ Castellæ simul cum ordinis scuto, imaginem Assumptionis Dominæ nostræ circunscriptam his literis habebit. Assumpta est Maria in cœlum. Prouincia autem Bethica, impressam habeat in sigillo præsentationem Beatæ Mariæ, & hoc versu circunscribatur. Respexit Dominus humilitatem ancillę suę. Quibus sigillis nemo vtatur sub pœna grauis culpę. Statuimus etiam, & ordinamus, quod Generalis magister, & capitulum, cum simul conuenerint, eligant, & nominent in procuratorem ordinis in curia Romana religiosum fratrem optime institutum: qui causas, & negotia ordinis, quæ sese Romę obtulerint tractet, & peragat. Qui generalis procurator iurisdictionem habeat, & commissionem sui ordinis à generali, & capitulo, ad comprehendendum, puniendum, & corrigendum omnes illos fratres, qui sine licentia generalis in scripto, in prędicta Curia Romana reperti fuerint. Prędictæ vero licentię accendendi ad Curiam Romanam, nusquam alicui concedantur, sine ingentissima, & extraordinaria causa. Ordo

autem

autem noſter prouideat de moderatis expenſis in ſuſtentationem prædicti procuratoris. Generalis autem magiſter non poſsit procuratorium reuocare prædicto procuratori, niſi in capitulo, vel niſi propter delicta, quibus iure repulſam à prædicta procuratione mereatur. Statuimus rurſus, atque ordinamus, quòd ſolus magiſter generalis in ordine noſtro poſsit conferre fratribus licentiam, vt ab vna prouincia tranſeant in alteram: neque eam poſsit conferre etiam vicarius illius, aut vllus alius ex fratribus totius ordinis. Et ſiquis ſine prædicta magiſtri licentia in aliam prouinciam ſeipſum tranſtulerit, tanquam fugitiuus puniatur à prouinciali vbi repertus fuerit: & prouinciali ſuæ prouinciæ remittatur. Præter hæc autem, omni tempore, quo caruerit prædicta licentia, in aliena prouincia exiſtens, & abſens à propria, neque habeat, neque poſsit habere vocem actiuam, aut paſsiuam, neque in illa, neque in altera prouincia, in quo generalis magiſter diſpenſare non poſsit, vt vocem habeat: quouſque aſsignatus fuerit tanquam habitator alicuius prouinciæ, illique deputatus. Verum in hac re magiſtri generalis conſcientiam oneramus, ne ex fratribus quemquam ab vna prouincia, tranſferat in alteram, ſine grauiſsima cauſa: potiſsimè tamen inſtante electione prouincialis. Item ſtatuimus, & ordinamus, ſuper quo etiam ſtrictè magiſtri, prouincialis, & commendatorum conſcientias oneramus, vt matutinæ ſemper in ordine noſtro media nocte dicantur, & recitentur, temporibus à religione antiquitus præſcriptis. Inhibemus etiam, vt fideiuſſores non fiant fratres noſtri. Neque compatres, quoniam à iure id etiam eſt prohibitũ. Nullus quoque frater ordinis noſtri vadat ad curiam Romanã, vel regiã, vel ad regiũ prætorium, vel ad terram Sarracenorum, quacunque occaſione, vel quæſito colore, ſine ſpeciali mandato generalis, vel prouincialis, aut capituli. Quod ſiquis contrarium fecerit, tanquam fugitiuum præſenti conſtitutioni in virtute obedientiæ præcipimus puniendum. Et commendator qui præſciuerit

in com-

in compedibus detineat,& denuntiet generali, vel prouinciali, vt pro delictis puniatur. Statuimus præterea, & ordinamus, quod in quolibet ordinis conuentu tres sint consiliarij ex fratribus conuentualibus, quorum vnus sit magister nouitiorū. Alij vero ex his qui prudentia,& scientia callent. Cum quibus grauiora monasterij negotia,potissime ea,quæ pertinent ad bona ipsius domus,pertractet commẽdator. Et specialiter res quæ raro circa gubernationem domus euenerint. Item nullus commendator recipiat externorum depositum,nisi hac lege, vt ad restitutionem ordo noster minime sit obligatus, si furto, vel incendio,vel quovis alio modo pereat.

CAPVT DECIMVM QVARTUM, De Vicario Magistri, et eius potestate.

STatuimus quod magistro ordinis viuente, si aliquo casu iuste præpeditus sit,vt capitulo generali, vel prouinciali interesse nequiuerit,tunc vnum possit idoneum, & prudentem virum fratrem ordinis nostri, vicarium suum ad capitulum mittere,cum titulo huiusmodi vicariatus, & literis opportunis,sigillo suo roboratis. Qui vicarius eandem habeat potestatem in ipso capitulo, quam & magister ordinis, si præsens ad esset,& eadem obedientia, & reuerentia à commendatoribus, & omnibus fratribus exhibeatur ei,quæ magistro exhiberetur & quidquid per ipsum vicarium,& diffinitores capituli, (durante capitulo)diffinitum,aut ordinatum fuerit, roboris obtineat firmitatem. Post celebrationem vero, & absolutionem capituli potestas vicarij expiret. Viuente igitur magistro ordinis, talem (dum prædictum officiū exercet) vicarium magistri,vel capituli vocamus. Magistratu vero, vacãte alium vicarium generalem ordinis nominamus.

Caput

CAPVT DECIMVMQVINtum, De Aſſignatione Commendatorum.

COmmendatores domorum ordinis noſtri à prouinciali, & quatuor definitoribus capituli deſignentur, & prouideantur, illi præcipuè qui monaſterijs fuerint vtiliores, & ad bonam gubernationem, & fratrum ædificationē magis idonei, & exemplares videantur: ſi tamen per ſex annos completos in ordine noſtro ſint à profeſsione antiqui, & per triennium fuerint vel alicuius conuentus vicarij, vel nouitiorum magiſtri: quod ſane non exigitur, neque in magiſtris, aut præſentatis in Theologia, acceptatis in numero prouinciæ: neque rurſus in his qui aliquandò commendatores fuerunt. Commendatores omnibus fratribus ſufficienter prouideant in temporalibus, & ſpiritualibus, tam valentibus, quam ægrotantibus, ſecundùm exigentiam loci, & poſsibilitatem domus, maxima cum charitate, & hilaritate. Rurſus publicis inſtrumentis, ſeu titulis ſigillo ordinis ſignatis vti poſſunt pro cauſis litigioſis, iuxta iuris exigentiam, & locorum conſuetudinem. Si verò intra tempus capituli adminiſtratio, vel commenda aliqua quouis modo vacare contigerit, ſolus prouincialis per ſe ipſum commendatorem nominabit & inſtituet. Si vero magiſter generalis in tali prouincia, vbi commenda vacauerit, fuerit præſens; tunc generalis magiſter commendatorem poſsit eligere, ſi tamen prouincialis antea non prouiderit, aut elegerit. Et huiuſmodi commēdator, ſic de nouo creatus, à quocunq; inſtituatur, eadem poteſtate, & eodem iure gaudeat in omnibus, ac ſi à prouinciali cū definitoribus in capitulo fuiſſet nominatus. Commendatores autem à ſuis commendis non poſſunt intra tempus capituli, ſiue intra triennium per aliquem amoueri, niſi diſsipatores bonorum ordinis reperiantur, vel publicum ſcādalum, vel iuſtiſſima cauſa ſit, de quibus priùs conuincantur. In quo caſu generalis, ſeu prouincialis, aut viſitator eos amouere, & priuare poſ

sit: eam tamen priuationem minime prædicti exequantur, nisi simul de consilio duorũ cõmendatorũ, qui propinquiores fuerint monasterio, à cuius cõmenda fuerit talis cõmendator priuãdus, & repellendus, vel saltẽ id fiat de consilio duorum definitorum, vel altero illorum, & vno cõmendatore ex propinquioribus. Si tamen Prouincialis, aut visitator aliter in prædicta depositione processerit, grauissimè in capitulo prouinciali puniatur. Absolutionem tamẽ prædictam, seu priuationẽ, quam etiam si sine consilio prędictorum definitorum, aut commendatorum fecerit validam esse volumus, & tunc pariter prouincialis ipse talem possit cõmendam se solo prouidere, sic enim maiora damna excusantur. Quod si cõmendator aliquid cõmiserit, cuius ratione in constitutionibus nostris pœna suspensionis ab officio, ad tempus imponitur, tunc solus prouincialis eam suspensionem exequatur, absque consilio prælatorum aut definitorum. Possessiones insuper, & redditus, & bona quæcunque domus vendere, aut alienare, aut aliquo modo cõmutare, aut oppignorare, nulli liceat ordinis nostri absque speciali in scriptis licentia prouincialis, aut definitorũ in capitulo. Quod si quis contra facere præsumpserit, alienationes omnes, & singulas dicimus, & volumus esse nullas, & nullius valoris, nullãque habere roboris firmitatem, imo constitutione prẽsenti censemus ipsas perpetuo irritas & inanes. Dissipatorem vero huiusmodi bonorũ ordinis, qui talia perpetrare attentauerit: non tantum ad pœnam grauioris culpæ sine relaxatione sustinendã condemnamus, imo etiam ab omni cura, administratione, & cõmenda ordinis nostri, ipso facto præsenti cõstitutione priuamus. Nullus quoque cõmendatorũ à sua cõmenda sit absens, neq; recedat sub pœna priuationis officij, nisi propter aliquam eamq; non paruam vtilitatem suæ cõmendæ, quæ talis sit vt cõmendatoris persona ita sit necessaria, vt per alteram non possit cõmode obtineri. Quod si cõmendator negotia habuerit propria, quę eum à suo conuentu abesse compellant, semel in suo triennio per triginta dies solum abesse poterit. Quod si pluribus indigeat, à prouinciali licenciam petat. Poterit tamen

men commendator absque noua licentia, per sex, aut octo dies à cõmẽda sua recedere. Verum sub eadẽ priuationis pœna præcipimus, ne cõmendator subditis suis licentiam tribuat, vt vltra quatuor dies à suis conuentibus recedant. Item singuli commendatores in suis conuentibus vicarium nominẽt religiosum, & idoneum, qui ipsos adiuuet, & commendatoribus quouis modo absentibus, in omnibus vices eorum gerat.

CAPVT DECIMVM SEXtum, De electione prioris Barchinonensis.

STatuimus irreuocabili constitutione, quod prior domus Barchinonẽsis per fratres eiusdem conuentus canonice eligatur, quod specialiter monasterio & domui Barchinonensi reseruatur, cum domus hæc prius in ordine nostro fuerit erecta, & in ea nostræ religionis initium præcesserit. Quocirca eius antiquam eligendi consuetudinem obseruari volumus, scilicet, vt prior, seu commendator prædictæ domus per vota secreta, & iuxta Tridentini concilij formã per electionẽ canonicam ad triennium eligatur, & non vltra. Et in tali electione vocem habeant conuentuales omnes prædicti conuentus Barchinonensis, dummodo per quatuor annos à professione sint antiqui, & in ordine sacro constituti, & in prædicta domo fuerint habitatores designati, saltem per vnum mensem proximũ, ante quã prioratus vacauerit, siue per mortẽ, siue ex quacunq; alia causa. Decernimus autẽ, & ordinamus, prædictos fratres conuẽtuales habẽtes vocẽ eligendi, prioratu vacante, non debere tantum esse filios eiusdẽ domus Barchinonẽsis, sed omnes in vniuersum cõuẽtuales, siue fuerint filij eiusdẽ domus, siue filij & habitatores assignati in prouincia Aragonũ, hi omnes possint suffragari in prædicta electione, cũ conditionibus supra dictis. Et tunc eũ eligãt, & nominẽt in priorẽ ex se, vel ex alijs cœnobijs totius prouinciæ Aragoniæ, qui sit religione, moribus, & doctrina, & bona gubernatione prędicti cõuẽtus, in spiritualibus, & tẽporalib⁹ dignior, & magis sufficiẽs. Et in tali electione ꝑsideat

ſuprior, ſiue vicarius eiuſdem conuentus, vel in illius defectu frater in profeſsione antiquior. Verum electio prędicti prioris, ad illos tantum pertineat electores, qui perſonaliter præſentes in electione extiterint, ſicut fit in electione magiſtri. Quod ſi quis maiorem partem medietate eligentiū habuerit, ille habeatur tanquam prior electus. Si vero infra mẽſem à vacatione prioratus non elegerint, (conuentu in dicta domo Barchinonẽ ſi opportune congregato,) tunc magiſter ordinis prædicto conuentui prouideat de priore. Deinde electio prioris à conuẽtu facta magiſtro præſentetur, & conuentus qui petit confirmationem prioris electi, numerum, & nomina eligentium ſcribat magiſtro ordinis, modo quis quem elegerit non publicetur. Et ſi canonice, & ſine vitio facta fuerit, electum in priorem confirmet. Prior vero confirmatus cum conſilio diſcretorum fratrū inſtituat ſupriorem, ſiue vicarium, qui poſsit corripere delinquentes, & qui curam & adminiſtrationem religioſorum, & conuentus gerat in his, quæ prior aſsignauerit, & permiſerit,

CAPVT DECIMVM SEPTIMUM, *De capitulo quotidiano.*

POſt matutinas vel poſt primam, aut quando prælato melius videbitur, ſemel in hebdomada ſemper celebrabitur, capitulum, Omnibus ſuo ordine ſedentibus, prælatus dicat. Benedicite patres, Dominus ſit vobiſcum, Conuentus reſpondeat Amen. Et omnes inclinentur profundè, Prælatus cõmendet vt in ſuis orationibus orent pro Papa, & ſtatu eccleſiæ, pro rege, pro benefactoribus ordinis viuis, & defunctis. Et ſurgãt omnes & dicat prælatus. Retribuere dignare domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen ſanctum tuum vitam æternã. Reſp. Amen, Dicat, Ad te leuaui. Gloria Patri. De profundis. Requiem æternam. Kirieleyſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Verſ. Oremus pro Domino Papa. ℟. Dominus conſeruet eum

&

& viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum eius. Vers. saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas ℟. Deus meus sperantes in te. Vers. Requiescant in pace, ℟. Amen, Vers. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus, Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum Papam nostrũ & super cunctas congregationes illi commissas, spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorẽ tuæ benedictionis infunde. Prætende Domine famulis & famulabus tuis dexteram cælestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ digne postulant assequantur. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo regi nostro, cum prole regia, & dirige eos secundũ clementiam tuam in viam salutis æternę vt te toto corde perquirant, & quæ digne postulant assequãtur, & te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant, & magistrum nostrum generalem, & prouincialem, & ordinem nostrum, & nos famulos tuos ab omni aduersitate custodi. Fidelium Deus omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remissionem cunctorũ tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequãtur. Qui viuis & regnas. Postea prælatus proponat quæ ad honestatem, & correctionem fratrũ in cõmuni, vel in speciali viderit digna correctione. Post hæc egrediantur nouitij, & dicat prælatus, Faciant venias, Et suo ordine quilibet fratrũ flectat genua & dicat. Pater veniã peto, & surgat, & stãdo humiliter cõfiteatur culpas suas accusando se, de defectibus manifestis contra regulam & constitutiones, quod in omnibus nõ obseruat regulam Beati Augustini, nec constitutiones ordinis, non custodiendo silentium, nõ recitando attentè & deuote horas, & diuinũ officiũ, tarde surgendo, male legẽdo. Et in essentialibus nõ obediendo corde & opere, nec paupertatem spiritus amando, nec honeste viuẽdo. Ideo dico meã culpã, & peto veniã & misericordiã. Si vero culpa alicuius talis sit vt digna sit correctione, præparet se, quam prælatus, vel cui præceperit exequetur. Nunquam fratres in capitulo lo-

lo loquãtur, nisi culpas dicendo, vel superiori ad interrogata respondendo, & vno stante & loquente, alius non loquatur. Nullus aliquem proclamet ex sola suspicione, nec accuset de auditu, nisi dicat à quo audierit, & ille sit præsens domi. Finitis verò culpis, prosternant se omnes, & dicant. Confiteor Deo. Deinde prælatus stans, dicat. Misereatur vestri. Absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens & misericors Dñs. Amen. Deinde surgant omnes & prælatus dicat. Adiutorium nostrum. Et ℟. Qui fecit cælũ. &c. Et sic soluitur capitulum, iunioribus egredientibus prius.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM, De Visitatore.

STatuimus, vt prouincialis in suo triennio, bis, vt dictũ est, Omnes domos suæ prouinciæ visitet, quas commodè, & sine notabili periculo poterit visitare, ad alias verò mittat visitatorem, virum ætate, religione & moribus approbatum, cui authoritatem suam in scriptis committat, vt sibi visum fuerit. Quando de nouo magister generalis, aut prouincialis venit ad monasterium, cum appropinquat domo, campana Ecclesiæ cõ uocandi sunt fratres ante fores Ecclesiæ in duos choros diuisi, & sic omnes intrent Ecclesiã, & ante sacramentũ omnes se prosternant, & magister vel prouincialis genibus flexis, stãs apud ipsum. ¶ Antiquior det benedictionẽ itinerantiũ, vt sequitur.

Ad te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum: in manibus dominorum suorũ. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dñm Deum nostrũ, donec misereatur nostri. Miserere nostri Dñe, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione. Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Gloria Patri, &c. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Saluos fac, vel saluum fac. Dñs vobiscum. Oremus. Miserere quæsu-

quæsumus domine his famulis tuis, & quicquid in via eis surripuit visus vel auditus malæ rei, aut ociosi sermonis: totũ ineffabili pietate deleas, & abstergas. Per Christũ Dñm nostrũ. Ad esto Dñe supplicationibus nostris: & viã famulorũ tuorũ, in salutis tuæ prosperitate dispone: vt inter omnes vitæ & viæ huius varietates, tuo semper protegãtur auxilio. Per Christũ Dñm nostrũ. Itinerantes vero, domũ intrantes quamcunq; debẽt dicere iuxta doctrinã Saluatoris. Pax huic Domui. Postea autem Magister, vel prouincialis dicat. De profundis. Requiem æternam. kyrie. Christe. kyrie. Pater noster. Et ne nos. Aporta inferi. Dominus vobiscum. Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam: vt nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente, cũ omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per Christũ Dominum. Requiescant. &c. Et ingrediatur monasteriũ data pace omnibus. Visitator vero, quãdiu visitationis officium exercet, locum & vices prouincialis habeat, vt omnia agnoscat, & visitet, excessusq; & defectus cõmendatoris & fratrum corrigat, & emendet, quocunque tẽpore perpetrata sint, si non fuerint emendata & punita. Officium tamen visitationis quatuor diebus continuis terminetur. Si verò negotia, vt scandala maxima sint, per duos dies visitatio dilatetur, ita vt sexto die finiatur. Si vero commendator tempore visitationis, absens fuerit à sua domo, visitatio fiat: & si qua agnouerit de cõmendatore, emendatione digna, totũ inscriptis recipiat, & prouinciali mittat, vt domus necessitati prouideat. Et si pro aliquo testimonio necesse fuerit aliquẽ absentẽ fratrẽ vocare, vel citare, visitator pót vocare, & excõmunicare donec cõparcat. Visitator cõgreget oẽs in capitulũ, inquo presideat, & dicat Benedicite fratres, Dñs sit vobiscũ. ℟. Cõuẽt⁹. Amẽ. Primo ostẽdat cõmẽdatori, & cõuẽtui literas visitãdi manu prouincialis & sigillo ordinis munitas, vt potestas visitãdi cõstet. Etsi sit numer⁹ cõpetẽs fratrũ recõmẽdationẽ viuorũ, & mortuorũ faciat, vt habetur in principio capituli quotidiani: & Christianã, piã,

& reli-

& religiosam exhortationem faciat secundum qualitatem, & circunstantiam domus,& fratrum, Et moneat primò & secundò,& tertiò in virtute Spiritus sancti,& sub obedientiæ præcepto,& excommunicationis sententia,siquid factum sit in damnum religionis, seu fratrum, si quæ rixæ, si qui defectus non emendati,& emendatione digni,sibi in scrutinio reuelent, aut declarent: admoneatque esse indicia, & quod sibi tanquam iudici, testes tenentur sub pœna peccati mortalis verum respondere.Si vero sit ita secretum,vt nulla indicia vel suspicio sit,nõ tenétur reuelare visitatori,sed proximus secretò priùs monendus est,Quod si frater qui secretum scit, iam admonuit, neque emendatur frater,& damnum,aut maximum scandalum timetur in monasterio,tunc tenetur reuelare visitatori.Hæc & similia conuentui exponantur, ne ignari maiori peccato illaqueẽtur,& ne vitia maneant impunita,& vitium serpat,& membra magis putrescant:Sic absoluat primum capitulum. Postea vel celebrando missam, vel alio tempore decenter cum cereis accẽsis,& Thuribulo visitet Eucharistię sacramentum:an sit in decenti loco,& quo tempore renouari soleat,& videat reliquias, & oleum infirmorum: Deinde sacra indumenta,an apta & mũda sint,& quæ reparanda quæ addenda sunt præcipiat. Postea in secreto loco solus,à singulis fratribus accipiat iuramentum, quòd vera dicent,absque odio,seu amore alicuius:&interroget de statu domus,de fama, de vita,de honestate prælati & fratrũ, de regimine,& prudentia commendatoris,an semper pręsideat in choro&refectorio: An omnibus fratribus tribuat necessaria hilari animo,in sanitate &infirmitatibus:an prouideat de cibo & potu,ac vestitu quando necessarium est: An curã habeat maximam ad diuinum officium,& pulsationem cymbali suo tempore:& de ordine & numero missarũ,an soluantur missæ quas tenẽtur celebrare:De cultura possessionum,de redditibus,& debitis domus.An adhibeat curam, vt fratres omnes in lectionibus,meditationibus, aut exercitationibus religiosis occupentur.An inter fratres sint rixæ, inimicitiæ, odia. An cõmissum fuerit aliquod peccatum,neque sit punitum à prælato. Secundum

dum qualitatem domus, & circunſtantias fratrum. Viſitator prudens interrogabit, & teſtes dicant quomodo ſciant, & an viderint, vel à quo audiuerint, & vbi, vt ex teſtibus veritas agnoſcatur. Et omnes teſtes ſubſcribant his quæ dixerint. Et viſitator vt iudex oculatiſsimus, & iuſtiſsimus iudicet ex teſtibus, ſi quid conuincatur, & publicum ſit ſecundum conſtitutiones noſtras, circunſtantiam perſonæ & delicti penſando, publicè puniat, ſiue prælatum, vel ſubditos concernat: Secretum verò ſecreto emendet, & ita omnes conueniant in capitulum, vbi quæ publicè facta fuerint corripiat coram omnibus, & cõmendet obedientiam, humilitatem, pacem, & mutuam charitatem, & obſeruantiam regulæ, & conſtitutionum noſtrarum, & reis pœnitentiam ſalutarem iniungat, & quæ ſeruãda deincepſ ſint ſcripto relinquat. Poſtea omnes ſe proſternant, & dicant. Confiteor Deo. Viſitator verò ſtans dicat. Miſereatur veſtri. Ego authoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & authoritate mihi commiſſa abſoluo vos ab omni vinculo irregularitatis, ſuſpenſionis, excommunicationis latæ, ab homine, vel à iure (ſi indigetis) & ab omnibus tranſgreſſionibus, exceſsibus, omiſsionibus regulæ, & conſtitutionum noſtrarum, quantum ego poſſum, & quod non poſſum ſuppleat & perficiat omnipotens ſacerdos, & ſummus Põtifex Dominus Ieſus Chriſtus: & iniungo vobis in pœnitentiam omnium peccatorum veſtrorum, quicquid boni feceritis, & ſpecialiter iugum obedientiæ, ac regularis obſeruantię diſciplinã; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Si fieri poteſt, viſitator proprijs oculis videat, & viſitet poſſeſsiones, & omnia bona monaſterij, vt agnoſcat curam prælati de huiuſmodi bonis: In mutationibus fratrum: ſi multos expediat mutare, non omnes ſimul eijciat, ſed quandò alij venerint, alij mutentur maxima prudentia: ne ſcandalum ſit in populo, vel domus deſoletur: neq; aliqua domus multitudine fratrũ oneretur, ſed ſecundum neceſsitatem, & poſsibilitatem domus, omnia facta in viſitatione ſcripto mandentur, vt fidem faciant prouinciali, & definitorio. Quæ vero ſeruanda præcipiuntur, in capitu

lo legantur,& in libro conuentus ſcribantur. Conuentus verò prouinciali, vel viſitatori prouideat de impenſis neceſſarijs ad iter, vſque ad monaſterium proximè viſitandum : modò prouincialis,aut viſitator religioſe,& honeſte incedant, cum vno fratre ſocio,& ſeruis,& animalibus neceſſarijs, ne domus dilapidentur à viſitationibus.

CAPVT DECIMVM NONUM, De Appellationibus fruſtratorijs.

CVm natura humana facilis ſit ad malum, & multi ſtatus, & profeſsionis ſuę immemores,litigia,&diſcordias occaſione appellandi anxie perquirant: vt ſub velamento querimoniarum,ſupplicationum,& appellationum occaſioné habeant euagãdi, & ſub ſanctitatis prætextu bona ordinis indeſtabiles vſus conſumant,in noſtræ religionis iacturam,& diuinæ maieſtatis offenſam,Preſenti cõſtitutione ſub obedientię præcepto & in virtute Spiritus ſancti, & ſub excõmunicationis ſentẽtia, & interminatione diuini iudicij præcipimus, nequis in capitulo,vel extra in aliquo loco,cuiuſcũq; dignitatis,ſtatus,vel cõditionis in ordine noſtro ſit,audeat ab ſtatutis,ordinationibus,& correctionibus, magiſtri generalis,prouincialis,definitorij,vel cõmendatorũ obedientia aliũ iudicem (authoritate apoſtolica ſemper ſalua)appellare,vel per viã ſupplicationis, vel cuiuſuis querimoniæ contra ire, vel nõ obedire. Tranſgreſſor verò pœnã grauioris culpæ incurrat,abſque ſpe relaxationis, quã ſi renuerit ferre,ex nũc pro tũc excommunicamus,& ab omnibus euitetur,in carceremq; conijciatur, & inhabilẽ ad omnẽ adminiſtrationẽ ſpiritualẽ, vel tẽporalem perpetuo cenſemus.

Cum quo ſolus generalis, vel prouincialis ſimul cum diffinitorio maxima pœnitentia, & emenda præcedente valeat diſpenſare.

(?)

Caput

CAPVT VIGESIMVM, DE *Litteris deprecatorijs non impetrandis.*

STatuimus, quod nullus fratrum ordinis noſtri ab aliqua Eccleſiaſtica, vel ſæculari perſona, cuiuſcunque dignitatis, aut eminentiæ, vel conditionis exiſtat, neque à communitate vlla alicuius populi vel ciuitatis, impetret, aut impetrare faciat preces, vel litteras quaſcunque deprecatorias, comminatorias, monitorias, vel alias quaſcunque: quouis modo, ad magiſtrũ generalem, prouincialem, vel diffinitores capituli, vel ad ordinem noſtrum: pro habenda cura, officio, commenda, vel adminiſtratione aliqua, vel pro habendo beneficio vel officio, vnquam in ordine noſtro, aut ſuper alijs peragendis in generali, vel prouinciali capitulo. Quod ſiquis fecerit, procuraverit, vel obtinuerit: eo ipſo ab ipſa adminiſtratione, cura, officio, & beneficio ordinis noſtri, quod petierit, aut procurari fecerit, ſit priuatus, inhabilis, & indignus ad obtinendum, & ad pœnam grauioris culpæ ſine aliqua relaxatione, niſi acta pœnitẽtia, vel parte eius, abſque etiam magiſtri miſericordia, vel diſpenſatione ſpeciali per ipſum ſuſtinendam, eundem condemnamus.

CAPVT VIGESIMVM PRIMUM, *De Non recipiendis fratribus alienæ profeſſionis, ſine debita licentia et conſilio.*

STatuimus inſuper, & ordinamus, vt nullus frater alterius profeſsionis in ordine noſtro ſine ſpeciali licentia magiſtri generalis, vel prouincialis recipiatur, licet à maiori ſuo dimiſſoriam ſecum aſportauerit, & prius maxima cura adhi-

bita, debita & honestate ipsius recipiatur: receptus vero infra decem annos à sui receptione in comendatorem nullatenus assumatur, neque in aliqua administratione ordinis nostri constituatur. Quod si qui mendicantiũ, vel aliorũ ordinũ fratres, seu religiosi ad ordinem nostrum fuerint translati, & professioné emiserint regularem, transferri nequeunt deinceps à nostro ordine ad alium absque sedis apostolicę licencia, specialem, & expressam mentionem faciente de statuto, & ordinatione factis à Martino quinto, Vt habetur in bulla eius plũbea, & originali, quæ habetur Salmanticæ, in qua pariter decernitur irritum esse, & inane quicquid in contrarium, à quoquam fiat, quauis etiam authoritate scienter, vel ignoranter.

Hoc decretum Martini, in fauorẽ religionis factum est, ad petitionem regis Alphõsi Aragonũ.

CAPVT VIGESIMVM SECVNdum, De dignitatibus sine licencia non recipiendis.

NVllus frater ordinis nostri, sine speciali licencia Magistri generalis, vel prouincialis gradum, officium, vel dignitatem recipiat, nisi per talem obedientiam cogatur, quam trãsgrediendo peccaret mortaliter. Quod si fecerit, præsenti statuto, suffragijs, & omnibus beneficijs spiritualibus ordinis nostri priuamus. Si vero in dignitatibus, vel quouis alio modo extra ordinem viuat, qui habitum & instituta ordinis non seruat suffragijs ordinis similiter priuamus. Si quis frater ordinis nostri, obediẽtiam sibi, vel alteri iniunctam, vel vt sit conuẽtualis vel vt amoueatur à monasterio, vel vt in aliquo officio constituatur, vel promoueatur, vel cum externis commoretur, per personas extra obedientiam ordinis nostri procurauerit, per se vel per interpositam personam, pœnæ grauioris culpæ subiaceat ipso facto. Item si quis passus molestiam, iniuriã, aut quod uis aliud damnum ab aliquo fratre ad parentes, vel alios sæculares conquestus fuerit, per medium annum sit in carcere, & ter in hebdomada comedat panem & aquam. Si quis vero reuelauerit consilia vel secreta nostri ordinis, nunquam de cætero ad con-

conſilia ordinis admittatur, nec vocē habeat in electionibus: & ſeptem ſextis ferijs in medio refectorij comedat panem & aquam. Si quis (quod Deus auertat) vitio nefario carnis diffamatus fuerit, ſtatim moueatur à loco: Si vero conuictus ſit, perpetuo incarcetur, vel omnino abordine expellatur. Si aliquis aperte præſentium mandatorum, ſiue conſtitutionum tranſgreſſor extiterit vel contemptor: ſtatim commendator & fratres de communi ſocietate eum proijciant. Et quandiu contumax, & filius inobedientiæ permanſerit: eidem panis & aqua & pulmē tum tantummodo miniſtretur.

CAPVT VIGESIMVM TERtium, De fratribus iter agentibus.

OMnes fratres viatores ordinis noſtri in ſcriptis ſui prælati licentiam ſeu literas teſtimoniales ſecum ferant, quas ſi ferre neglexerint incarcerentur in domibus ad quas contigerit declinare. Quod præcipimus obſeruandum: nam & iuxta ſancti Concilij Tridentini decretum ſic legimus. Nec liceat regularibus, à ſuis conuentibus recedere, etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſsi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuerit: ab ordinarijs locorum tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur. Hactenus concilium. Et Sixtus Papa Quintus proprio motu, nuper edito, inquit. Prohibemus eodem modo, atque interdicimus, ne quis regularis, ex vna prouincia, ad aliam prouinciam ſui ordinis tranſeundo, etiam in itinere, intra aliquod monaſterium, domum, vel locum alterius prouinciæ ad habitandum, vel tanquam hoſpes recipi, aut modicum tempus diuertere poſsit, niſi à ſuperiore eius loci vbi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi, inſcriptis obtentā, ſeu literas obedientiæ, vel commendatitias ſecum deferat, atque exhibeat, vel niſi ita cognitus ſit apud illos ad quos diuerterit, vt de eius perſona nullus omnino dubitationis, aut ſuſpicionis locus relinquatur.

Concil. Triden. Seſsione. 25. cap. 4. de regularibus & monialibus.

Quod si regulares prædictas literas non deferant, sub custodia à locorum ordinarijs detineantur, tanquam suspecti de crimine: & subiungit prædictus Papa Sixtus quintus. Et volumus vt ij qui etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu, regulares alterius prouinciæ ignotos, aut sine licentia, vel literis, receperint pœnam priuationis, vocis activę & passivę, necnon officiorum, graduum, honorum, & dignitatum, obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ incurrant. Quocirca si commendator vel prælatus prædictos omnes non punierit, sed receperit vt domi permaneant, sit excommunicatus nulla causa excusante. Quod si prædicti fratres, qui sine literis testimonialibus incedunt, non sint neque apostatæ, neque fugitiui, & id euidenter constet: tunc per integrum diem incarcerentur, & ieiunent in pane, & aqua, & statim à monasterio expellantur, ne audeant fratres liberè cum tanta religionis infamia vagari. Si vero subditus licentiam petierit, & prælatus dare noluerit, non discedat vnquam à monasterio, donec duorum fratrum testimonium ferat, prælatum noluisse dare in scriptis licentiam, & se adire prouincialem: & tunc non puniatur. Et tam in his, quam in prædictis omnibus, non solum concilij Tridentini reformationem, sed Pontificis decretum, decernimus esse obseruandu. Commendatores verò iter facientes, semper secum ferant sigillum sui officij, & titulum suæ commendæ. Omnes fratres cum sunt in via, semper diuinum officium recitent secundum ordinem nostrum, aut secundum ecclesias, ad quas declinauerint. Subditus antequam exeat à monasterio benedictionem recipiat à prælato, deinde coram aliquo sacerdote prostratus dicat, psalmum, Leuaui oculos meos. Gloria patri, Kirie eleyson, Christe eleyson, kirie eleyson, Pater noster, Et ne nos, saluum fac. Dominus vobiscum, Oremus. Adesto domine supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes vię, & vitę huius varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum, & aspergatur aqua benedicta. In via vero quando manè surgunt dicant psalmum, Benedictus dominus Deus Israel. Gloria

Patri

Patri. In viam pacis, proſperitatis, ſecuritatis & ſalutis dirige nos Domine. Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Verſ. Benedictus Dominus die quotidie. ℟. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum. Verſ. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix. Reſp. Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti. Dominus vobiſcum. Oremus. Exaudi Domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris. Et, De profundis. Et, Fidelium Deus, pro defunctis dicant. Redeuntes vero ſtatim quærant prælatum à quo benedictionem accipiant, & deinde coram aliquo ſacerdote dicant. Ad te leuaui. Gloria Patri. Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, kyrie eleyſon. Pater noſter. Oremus. Miſerere quæſumus Domine huic famulo tuo, & quicquid in via ei ſurripuit ſenſus, totum ineffabili clementia tua deleas. Per Chriſtum. Commendator vero, cõmendatorem ſuperuenientẽ honoret, & omnes viatores maxima charitate excipiat. Hoſpites verò ſi ne licentia commendatoris domus in qua ſunt, nihil agant, nec à monaſterio exeant, ſed cõmendatori libera corrigendi ſit poteſtas ſi opus fuerit. Rurſus, hoſpites per tres dies in hoſpitio extra refectorium recreentur, deinceps vero ſuã proſequantur viam: cęterum ſi magna ſit neceſsitas permanendi domi, cibarijs conuentus in refectorio ſint contenti. In via autem, fratres antiquiori in omnibus ſemper obediant, Et maximam honeſtatem, & modeſtiam omnes vbiq; interius, & exterius præſtent. Siquis tamẽ ordinis noſtri in oppido, ſiue loco vbi monaſterium ordinis habemus, extra monaſteriũ permanſerit, maxima cũ diligentia requiratur, & pœnæ grauioris culpæ, minime relaxandæ, ſubiaceat. Quocirca præſenti conſtitutione ſancimus, vt quantũ fuerit poſsibile euitetur, ne fratres noſtri, ſine ſocio incedant, non tantum in via, ſed neque in ciuitate, & ſemper deferant ordinis ſcutum in capa, vel ſcapulario quoties extra monaſteria vagãtur. Quod ſi ſecus fecerint pœnæ grauis culpæ ſubiacebunt. Et quia nullo amplius inhonoratur

noratur religio,quam ex detestabili vsu iurandi,& sæpius iurā di religiosorum,præsertim in sæcularium conspectu, qui ex iu ramentis regularium scandalizantur, idcircò grauissimè puniendi sunt fratres nostri,si qui fuerint,qui nulla reuerentia no minis Dei habita, per Deum,vel per sancta Dei Euangelia, & sanctos iurauerint. Et in hac re prælatorum conscientias oneramus, præsertim cum Christus Dominus voluerit, nos parMatth. 5: ciùs iurare,dicens: Nolite iurare omninò, sit autem sermo vester est,est,non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.Fratres ordinis prædicatorum, & sancti Francisci obseruantes, in domibus nostris, hilari animo, & cum charitate excipiantur.

CAPVT VIGESIMVM QVARtum, De Bonis temporalibus.

ITem statuimus,&ordinamus,quòd tam generalis Magister in toto ordine,quam prouinciales in suis prouincijs,& cōmendatores in suis commendis, omnes diligenter requirant scripturas omnes, & publica instrumenta possessionum,reddituum,legitimarum,actionum,& quorumcunque aliorum bonorum,domorum ordinis nostri,illis quoquomodo pertinentia.Et hæc omnia in communi depositō,debito ordine, & maxima cū charitate custodiantur.Ita sanè vt facile dignoscantur rescripta omnia,publicaque instrumenta bonorum,cuiuscunque conuētus,& in promptu sint,quoties necesse fuerint. Similiter omnia debita procurentur, & ita scribantur, vt omnium illorum nullo modo obliuio esse possit. Statuimus etiam ac ordinamus, quòd neque magister generalis, nec prouincialis, nec illorum capitula,neque cōmendatores, neque quiuis alius possit per se remittere,aut condonare,neque renuntiare hæreditatem, aut bona quæ fratribus ex hæreditario iure paterno, aut materno, aut quouis alio, illis, & ordini debentur, neque redditus,aut quæcunque alia bona immobilia conuentuū: neque

que illa vendere, aut alienare, aut aliquo modo commutare, aut oppignorare, niſi de conſenſu maioris, & ſanioris partis illius cõuentus cui pertinent illa bona. Inſuper volumus præter ipſius cõuẽtus cõſenſum, neceſſariã eſſe licentiã ipſius generalis, aut prouincialis, inſcriptis factam. Alienationes autem ſingulas aliter factas, volumus eſſe nullas, & nullius valoris, aut roboris habere firmitatem: imò verò præſenti conſtitutione cenſemus ipſas perpetuo irritas & inanes.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM, De Magiſtris et Præſentatis.

IN qualibet prouincia non plures quam duodecim Magiſtri in Theologia admittantur, neq; plures quã viginti quatuor præſentati: Quòd ſi plures, aut in maiori numero admiſsi fuerint, vel expoſiti, aut graduati, non gaudeant iuribus, gratijs, priuilegijs, aut immunitatibus magiſtrorum prouinciæ, & præſentatorum, quouſque intra numerum magiſtrorum, vel præſentatorum prouinciæ, debite annumerentur, cum qualitatibus, & conditionibus infra dicendis. Quocirca præſenti conſtitutione decernimus, quod fratres in Theologia profeſſores, non admittantur ad aliquem gradum, ſiue præſentaturam niſi prius, à ſua prouincia fuerint in prouinciali capitulo expoſiti ad huiuſmodi gradum, & habuerint ſex annos à profeſsione completos, & audiuerint ſacram Theologiam in aliqua vniuerſitate, vel conuentu, per quatuor annos completos, & in eadem vniuerſitate, vel in alia approbata, de licentia prouincialis fuerint ad Bacalaureatus gradum admiſsi. Et poſtea per duos annos completos, in aliquo conuentu ordinis, vel in aliqua vniuerſitate, de licentia generalis, aut prouincialis, ſiue capituli, in continua lectione artium, vel Theologiæ, ſiue ſacræ ſcripturæ ſint verſati, & in concluſionibus publicis in capitulo, vel in aliquo collegio ordinis probati. Tales verò, & non alias, de conſilio definitorum capituli, exponantur ad primum capitulum

generale, vbi à generali admittantur, & sic gaudeant priuilegijs & iuribus præsentatorum, & habeant ius, & voces in electione prouincialis, & diffinitorum. Quod ita decernimus esse obseruandum. Non obstantibus quibuscunque indultis, consuetudinibus, possessione, &c. Quoad magistros verò similiter illi solum sunt admittendi, qui fuerint per decem annos à professione antiqui, Et qui post receptionem prædicti gradus, & præsentaturæ, per tres annos completos, in lectura ordinaria scholasticæ Theologiæ, siue positiuæ fuerint in aliquo conuentu, vel vniuersitate exercitati, prout dictum est, de licentia magistri generalis, vel prouincialis, Et fuerint in conclusionibus publicis, in capitulo generali, vel prouinciali probati, & à suo capitulo prouinciali exposiri: tunc enim ad huiusmodi magisterium, per magistrum ordinis in suo capitulo admittantur, & graduentur, & sic gaudeant omnibus iuribus, & priuilegijs. Vnde decernimus, & declaramus magistros omnes, ad minus per quinque annos completos, publicè debere esse lectores. Quorũ duo, ad præsentaturæ gradum, in lectione artium, siue Theologiæ expendantur, & sufficiant: alij verò tres, in exercitio lectionum scholasticæ Theologiæ, ad magisterij gradum requirantur. Postquam autem, prædicti omnes fuerint magistri, ad eum que peruenerint statum & gradum, in ordine nostro, sociũ habeant, qui ipsos adiuuet in omnibus sibi necessarijs, & fruantur iuribus, priuilegijs, & immunitatibus magistrorũ, & non aliter. Volumus preterea, & statuimus, vt duę aliæ sint in qualibet prouincia ordinis nostri præsentaturæ, pro prædicatoribus & concionatoribus verbi diuini. In quibus illi solum concionatores exponantur, & admittantur, qui ad minus per decẽ annos inæstimatione populi fuerint, & magno populi applausu prædicauerint.

(?) Caput

CAPVT XXVI. De forma graduandi Magistrum in Theologia.

PRomotor habeat annulum, & birretum, siue pileum nigrum paratum, & sedens expectet promouendum, qui flexis ad pedes promotoris genibus, interrogatur ab eo. Quid petis? & respondeat humiliter: Peto promoueri ad gradu doctoratus & magisterij sacræ Theologiæ. *Promotor.* Promittis tenere, seruare, docere, & defendere doctrinam sanam, & catholicã iuxta determinationẽ sanctę matris ecclesiæ catholicæ Romanæ. *Promouendus.* promitto & spondeo in hac forma.

Professio fidei iuxta formam bullæ Pij Papæ. iiij.

EGo. N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula quę cõtinẽtur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum patrẽ omnipotentem, factorem Cæli & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. & in vnum Dominum Iesu Christũ filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem patri per quẽ omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostrã salutẽ descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritusancto ex Maria virgine, & homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum sedet ad dexterã patris, Et iterum venturus est cũ gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in spiritum sanctum dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit. Qui cum patre & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas, & vnam sanctã catholicam & apostolicam ecclesiam, confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen. Apostolicas, &

ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem ecclesiæ obser uationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram scripturam, iuxta eum sensum, quē tenuit, & tenet Sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarū scripturarū, admitto: Nec eam vnquam, ni si iuxta vnanimem consensum patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie sacramenta nouæ legis a Iesu Christo Domino instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria scilicet Baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam vnctionem, ordinem, & matrimonium, illaque gratiam conferre: Et ex his baptismum, confirmationem, & ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos ecclesiæ catholicæ ritus, in supradictorum omniū sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum & proprium, & propitiatorium sacrificium, pro viuis & defunctis. Atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento, esse vere, realiter & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, Fierique conuersionem totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem ecclesia catholica transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter & sanctos vna cum Christo regnantes venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparę semper virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, atque retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam eccleſiam omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori ac Ieſu Chriſti vicario verã obedientiã ſpondeo ac iuro. Cætera item omnia à ſacris canonibus, & œcumenicis concilijs ac præcipue à ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atq; profiteor. Simulq; cõtraria omnia, atq; hęreſes quaſcunq; ab eccleſia dãnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter dãno, reijcio, & anathematizo. Hanc verã catholicã fidẽ, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtãtiſsime Deo adiuuãte, retinere, & cõfiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorũ cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari, quãtũ in me erit curaturũ. Ego idẽ. N. ſpondeo, voueo, ac iuro ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euãgelia. *PROMOTOR.* Qm̃ ſapiẽtiã vocaſti amicã, & amator factus formę illius, quæſiſti eã tibi ſpõſam aſſumere, ecce Deus dat tibi eã ſpõſam, vt ſemper tecũ ſit, & cor tuũ poſsideat. In ſignũ ergo accipe ?annulũ in manu tua. Accipe inquã annulũ ſignum fœderis & ingenuitatis verũ. Et ego auctoritate apoſtolica per litteras, &c. Michi cõmiſſas, inſtituo, creo & facio te doctorẽ & magiſtrũ in ſacra theologia. Doq; tibi poteſtatẽ, & facultatẽ publice legẽdi, docẽdi, interpretãdi, exponẽdi & declarandi ſacram theologiam in nomine Patris & filij, & Spiritus ſancti, Amen,

?Præcipuum annuli ſignificatum hieroglyphicũ eſt: quare certum eſt, ingenui hominis fidẽ indicare: quã doquidem annulũ veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa circumferebant. Sic ergò Doctorem annulus indicat ingenuum, & illuſtrem reddit: Vnde ſeruis & libertis ius annulorũ negabatur: quo tamen impetrato, ingenuitas ſimul impetrata cognoſcebatur vt refert Pierius in Hieroglyphicis.

Deinde ſurgat & faciat promouendum ſedere in ſua ſella, dicens.

PRomoueo te ad gradum magiſterij ſacræ Theologiæ annumerans te conſortio doctorum, & magiſtrorum dictæ facultatis. Ita collocet, & ſedere te faciat dominus cum principibus, vt ſolium gloriæ teneas.

Deinde imponit Pileum ſeu biretum capiti eius dicens.

ACcipe Pileum ſeu biretum nigrum cum floſculo candido in ſignum magiſterij. Sic ornet te Deus corona gloriæ.

Deinde eleuet, & dans ei osculum dicat.

ECce odor filij mei, sicut odor agri pleni, crescere te faciat dominus in millibus, & benedicat tibi in sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT VIGESIMVM, SEPtimum, De ordine sedendi.

STatuimus & ordinamus, quòd commendator in suo conuentu præcedat omnes, sibi subditos, & post eum sedeant, qui aliquando generales magistri fuerunt, & inter eos ille præcedat, qui in officio antiquior fuit. Et rursus immediatè sedeãt, & sequantur ij qui prouinciales fuerunt, inter quos etiam prædictus ordo seruetur, & antiquior in officio præcedat. Deinde sequuntur magistri in sacra Theologia, illi videlicet, qui ab ordine admissi fuerint, & acceptati, cum qualitatibus, & conditionibus præscriptis, inter quos ille præcedat qui in acceptatione capituli, & sui magisterij fuerit antiquior. Quòd si in generali capitulo plures admittantur magistri, & à generali magistro ibidem confirmentur, tunc ille præcedat, qui professione fuerit antiquior. Post quos omnes, sedeat vicarius eiusdẽ domus. Deinde præsentati, & postremo omnes alij fratres conuentuales, qui quo professione fuerint antiquiores, eò commendatori debent propinquiores esse: modo tamen ordinati præcedant non ordinatos, & clerici laicos fratres. Magister verò generalis primum, & præcipuum locum obtinet in toto ordine, & in singulis domibus. Prouincialis autem, eiusque vicarius, & visitator tempore visitationis commendatores etiam in suis conuentibus præcedunt. Inter prouinciales verò, & definitores antiquitas prouinciarum attendatur, & antiquior præcedat. Ordo prouinciarum, hic est. Nam primum locum tenet prouincia Aragoniæ, secũdũ vero prouincia Castellæ, Et cõsequẽter tertiũ prouincia Bethicę: Quartũ prouincia Galliç: Et postremũ oẽs prouinciæ Indiarũ. In capitulo autẽ generali, vel prouinciali, post generalẽ magistrũ, & prouinciales diffinitores capituli præcedũt reliquos omnes vsque ad absolutionẽ ca-

pituli

pituli,ſed non vltra.Semper tamen prouincialis, quandiu fuerit in ſua prouincia,poſt generalem magiſtrum reliquos omnes præcedat. Tandem ſtatuimus,ac ordinamus, quod magiſtri & prælentati prædicti,in domibus vbi commorantur,ſemper ſint monaſteriorum,& commendatorum conſiliarij,vt ex eorũ conſilio,& iudicio maturè fiant negotia quæ ad bonum regimen domus ſpectant,& occurrunt, Præſertim ea quæ iuxta tenorem harum noſtrarum conſtitutionum fuerint ordinanda & ſtatuenda.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM, De confeſſoribus & confeſſionibus.

COmmendatores domorum ordinis noſtri, quilibet eorũ in ſua cõmẽda deputet & aſsignet cõfeſſores ad audiẽdas aliorũ fratrũ ſibi ſubditorum confeſsiones.Quocirca conuentuales omnes fratres teneãtur ſuis cõmendatoribus,ad minus ſemel in anno confiteri.Et nullis alijs confiteantur, niſi tantũ illis quibus à cõmendatoribus ſuis fuerit cõmiſſum. Neq; aliquis eorũ eos audire præſumat,niſi adhoc ſpecialiter per ſuum cõmẽdatorẽ, vel per prouincialẽ,vel viſitatorẽ,aut magiſtrũ ordinis fuerit deputatus:Fratres ordinis noſtri, omnes cõfiteãtur peccata ſua inqualibet raſura, & ſacrã cõmunionẽ ſaltẽ inquolibet menſe recipiant: ſuper quo cõmendatoribus ſit poteſtas ex aliqua cauſa, tempus etiam confeſsionis,& cõmunionis eiſdem fratribus aſsignare,vt ſibi benè viſum fuerit.Prohibemus nihilominus,vt nullus frater ordinis noſtri cõfeſsiones audiat ſæculariũ,niſi prius à generali magiſtro, vel à prouinciali,vel à viſitatoribus,aut ab eo cui ſpecialiter hoc fuerit commiſſum à generali magiſtro, vel à prouinciali,fuerit expoſitus, Et ſuper hoc à diœceſano, vel eius vicario, vel ab eo qui audiẽdi huiuſmodi cõfeſsiones authoritatẽ poſsit præſtare, licẽtiam habeat ſpecialem. Super quo conſcientiã prouincialis & generalis, ac aliorũ oneramus, vt neminẽ exponant ad prædictas confeſsiones audiendas,niſi eũ, qui cognoſcere ſciat inter leprã & leprã, & qui ſufficiens ſit & idoneus,iuxta ſacri cõcilij decreta,& antiqua

tiqua iura. Quicunque verò semel ad minus in qualibet rasura confessus non fuerit, quandò alij fratres confitentur, & cõmunicant, à commendatore puniatur: & præterea abstineat à vino, quousque fuerit confessus.

CAPVT XXIX. De sepultura fratrum.

CVm frater obierit induendus est vestimentis omnibus sicut alij fratres, manibus ante pectus dispositis in modum crucis, vestibusque in corpore decenter aptatis. Et lauetur prius in secreto, si necesse fuerit. Cũ vero in sepultura reconditur, solum capa auferatur ab eo, & cum tunica, scapulario, & caputio sepeliatur. Semper fratres ordinis nostri, in monasterio ordinis sepeliantur: Imò verò quantũ fieri potest curandũ est, vt vbicũque frater moriatur ad cæmeteria ordinis nostri deportetur, & in eis sepeliatur, dum tamen infra duos dies possit commode asportari: alioqui in parochia, vel monasterio vbi decesserit tumuletur. Quod si aliquis proprietarius obierit, tanquam latro & socius Iudæ extra cæmeteriũ ad campos sepeliatur. Vestes, vel habitus omnes prouincialis, commendatoris, vel alterius fratris mortui, statim prælatus inter religiosos, magis indigentes eiusdem conuentus libere distribuat. Alia vero quæcunque bona, quæ ad mortui fratris legitimam, vel rationem pertinẽt, ad illam domum spectabũt in qua professionem emisit. Quòd si id non constet, aut sit professus in alio regno, vel in distantissimo loco, prouincialis solus applicet huiusmodi bona, vel studentium collegijs, vel monasterio magis indigenti. Libri verò animalia, & quæ in lecto, & cella, vel quæcũque alia bona eius, quouis loco remanserint, ad eum conuentum, in quo conuentualis erat pertinebunt, ita vt nec libere vendantur, nec inter fratres huiusmodi bona distribuantur, sed conuentui applicentur in communi. Si verò non sit assignatus conuentualis in aliquo monasterio, quæcunque bona habuerit, prouincialis applicet publicis necessitatibus prouinciæ.

FINIS Constitutionum Fratrum, Sacri Ordinis Redemptorum B. Mariæ de Mercede.

INSTRVCTIO OFFICIORVM ORDINIS B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, seu Formularium.

De officio Magistri Generalis circa ordinem in generali.

MAgistri ordinis officium est, de toto ordine sibi commisso gerere assiduam solicitudinẽ, paupertatis, humilitatis, & omnium obseruãtiarũ ordinis, totiusque sanctitatis quantũ possibile est naturæ suæ: præ omnibus in se monstrare indicia, vt nõ solum præsentes fratres ædificet exẽplo, sed etiã absentes fama reficiat. Fratres prẽsentes verbis, absentes vero literis, promouere ad omne bonum: Et Deo, & Beatæ Virgini recommendare, in orationibus, fratres, & ordinem, incessanter. Et ad hoc etiam bonorũ suffragia procurare. Debet quoq; secum habere regulã, constitutiones, priuilegiorum ordinis transsumpta, Admonitiones capitulorum generaliũ, breuiariũ & missale bene correcta, & hoc scire bene & fratribus super his satisfacere. Item ipsius interest pro posse laborare, vt intersit capitulo generali. Et in omnibus redemptionem captiuorum fideliter procurare.

¶ *Circa capitulum generale.*

IN vigilia Pentecostes post primam, perlectis in capitulo Kalendis, & tabula, faciendus est sermo aliquis breuis de per-

tinétibus ad religionē,& ſtatum fratrum ab eo, vel ab illo cui ipſe iniunxerit ad hoc idoneo, & poſtmodum ad monitiones circa ea,quæ pertinent ad inſtans capitulum. Orationes quoq; aliquæ,vel miſſæ pro ipſo capitulo ſunt fratribus iniungendæ, Poteſt etiam dare licentias aliquas generales durante capitulo, vel de loquendo, vel de alijs ſecundum quod viderit expedire. Ipſius etiam eſt congregare tunc diffinitores, & in diffinitionibus minus exercitatos dirigere, de conſtitutionibus confirmatis, vel inchoatis, & de alijs actis præteriti capituli cum neceſſe fuerit rationes, quæ mouerunt diffinitores reddere. Summa quoque cura eſt ei adhibēda,vt ordinationes vtiles pro ordine procedant:aliæ vero non. Et idem circa admonitiones,& alia agenda in capitulo faciendum.Et circa huiuſmodi tunc prouidendum eſt ei,& frequenter per totum annum cogitandum.Literæ generales aliquæ de aliqua conſolatione,& vtili exhortatione ad fratres omnes,& aliæ ad ſorores ſunt ab eo tranſmittendæ, & tam tempeſtiuè promulgandæ cum indulgētijs ſiquæ nouæ fuerint,vel literæ Papales,vel alia præter acta per ordinem mittenda, quod ante diffinitionem poſsint omnia à fratribus tranſcribi. Curandum quoque eſt ei, quod acta modo debito,& decenter formentur,& quod omnia fiant in capitulo ordinate.Committere etiam alicui debet,quod habeat curam de literis,de beneficijs concedendis, alij, vel alijs, de legendis illis,quæ fuerint tranſcribenda. Omnibus etiam, qui ſcribunt ei,ſiue fratribus,ſiue extraneis de aliquo, quod requirat reſcriptum,per literam decentem reſcribendum eſt rationabiliter,& prout poterit gratioſe. Et vt plenius expediantur literæ, debet ſibi de pluribus prouidere dictatoribus idoneis tunc habendis. In tenendo quoq;capitulum multum curandum eſt ſibi quod diſſolutiones non fiant,quod in loquendo,& in alijs,modus & forma ſcripta ſeruetur,quod proclamationes iniquæ,vel indiſcretæ,doloſæ,& friuolæ, reprimantur, Quod abſentes leuiter non infamentur,& huiuſmodi multa. In terminatione vero capituli,in ipſo capitulo poteſt præfigere terminum infra quem recedant fratres ſi timetur de mora

fra-

fratrum,& domus grauamine. Denunciare quoque quò proponat iter dirigere,vt sciant fratres vbique vbi poterit inueniri,si eo indiguerint, & tam præsentium,quam absentium fratrum orationibus se recomendare. Et his factis ad absolutionem ibidem faciendam est procedendum.

¶ Circa Prouincias.

CIrca prouincias vero debet habere curam magnã, quod bonos prouinciales habeant,cum ex ipsis pro magna parte dependeat bonus status ordinis in prouincijs. Et ideo debet interdum electoribus prouincialium, literas ad hoc pertinentes dirigere, interdum etiam circa personam eligendam eos dirigere. Cum autem electio deuoluta fuerit ad eum cum diligenti discussione,prout vtilius poterit prouidere. Itẽ pro communi bono prouinciæ debet quandoque speciales literas specialibus prouincijs mittere, secundum exigentiam negotiorum,& temporis. Item prouincijs magis desolatis, vel minus sufficientibus sibi, debet esse fauorabilior, in concedendis fratribus vtilibus,& idoneis,siue ad legendum, siue ad prædicandum,siue ad alia ordinis negotia peragenda, vel in collocando fratres de illis prouincijs alibi ad proficiẽdum, & pro eis in hujusmodi gradibus,per quos possint vtiliter releuari. Suum est etiam transferre fratres de prouincia ad prouinciam pro vtilitate vel ordinis,vel fratrum transferendorum, vel prouinciæ, à qua,vel ad quam translatio huiusmodi fuerit facienda. Contentiones quoque, (si quæ fuerint inter prouincias)debet dirimere,& à mutuis iniurijs conseruare easdem. Per fratres venientes ad capitula, & alias cum cõmode poterit,de statu prouinciarum,debet inquirere diligenter, & ad habendam notitiam qualemcunque de regimine earum, vt acta capitulorum prouincialium ad se deferantur & ad capitula generalia; si voluerit.

¶ Circa Diuinum officium.

NOn conuenit Magistro libenter se absentare à Diuino officio,& maximè à Cõpletorio,nisi forte propter impotentiam corporalem,aut si habeat occupationes circa maiores vtilitates. Cum autem præsens fuerit in choro,debet primum locum in dextro choro tenere. Tempore communionis absolutionem in capitulo facere,& Missam celebrare conuentualem, Fratribus infirmis vbi præsens est, sacram ministrare cõmunionem,& extremam vnctionem,& sepelire defunctos, recipere nouitios,recipere ad beneficia,recipere legatos,& magnates in conuentibus, in quibus fuerit: In magnis solennitatibus facere officia, & alias cõuentuales missas interdum cum requisitus fuerit à cantore celebrare. Extra chorum vero cum maiori maturitate,& diligentia,quam ab alijs cõmuniter consueuit fieri,est officium dicendum ab ipso,& celebrandum frequenter, Officium quoq; mortuorum trium lectionum, licet non ex debito teneatur,non decet ab eo prætermitti.

¶ Circa curiam Romanam.

CVria Romana visitanda est àMagistro,tam pro ipsius reuerẽtia,quam ordinis vtilitate, temporibus opportunis, vbi si eam turbatam inuenerit in aliquo contra ordinem, vel fratres aliquos, debet ad sedandam ipsam solicitè laborare. Indulgentias,concessiones etiam verbo solo, vtiles ordini, quas poterit impetrare, D.Papæ, & Cardinalium & aliorum curialium beneuolentiam erga ordinem captare; Negotia magna si qua habet ordo pro viribus promouere, Capellanis,& Pænitẽtiarijs fratribus,& si qui sunt alij in societate curialium, tenere capitulum,& ipsos diligenter corrigere. Apponere etiam diligentiam,quod inde caute remoueantur,si qui fuerint minus apti,& quod pauci sint ibidem in societate alicuius curialium,& quod qui fuerint, tales sint quod ex eorum mora,in curia honor

nor ſequatur ordinis, & vtilitas animarum. Prouidendum eſt etiam ab ipſo, quod in conuentibus ciuitatum vbi curia fuerit, ſemper ſint fratres perſonati, diſcretione, & honeſtate pollétes & præcipue comendator & lector ſufficientes, & famoſi. Conſtituẽdus eſt ſemper ab ipſo aliquis frater in curia literatus, diſcretus & zelator ordinis, honeſtæ, & amabilis conuerſationis inter ſæculares, firmus in amore ſtatus ordinis, & perſonatus, qui ſit ibidem generalis ordinis procurator, habens ſuper hoc ſuas literas cum diſcretione formatas. Cui etiam committenda eſt poteſtas aliqua ſuper apoſtatas ordinis, & ſuper fratres ad curiam inordinatè venientes, & etiam ſuper illos, qui ordinatè veniunt vt cum conſilio ſuo procedant, & circa alia quædam prout viſum fuerit expedire, & de expenſis ei neceſſarijs, debet cum diffinitoribus generalis capituli per ſe, ſi comodè poterit quod expedierit, ordinare, & licentias ei dare, quæ ad exequendum ſuum officium vtiles reputentur.

¶ *Circa conuentum.*

INtereſt etiam ipſius, vt ad conuentus, & ad quos non declinat, interdum literas mittat conſolatorias, ſi ſint in tribulationibus, vel de concordia ſi ſint inter ſe diſcordes, vel alias ſecundum quod exigunt cauſæ variæ emergentes, ſi maior neceſſitas, & prouintialis carentia, vel abſentia, vel negligentia, & inſufficientia hæc requirant. Sanè cum declinat ad conuentum aliquem, in tranſitu ſemper debet intrare capitulum, & ibidem fratribus congregatis, recommendandos recommendare fratrum orationibus, & cauſam ſui tranſitus (niſi ſit res ſecreta) referare eiſdem. Niſi vero arcta neceſsitas ipſum feſtinare compellat, non debet ſi audiuit aliqua notabilia ibidem corrigenda, ipſa incorrecta dimittere, ſi vero non audiuit, nihilominus vel in capitulo, vel coram ſenioribus aliquibus, debet ſe offerre ad corrigendum: ſi aliqua videntur ſuam correctionem requirere. Quod ſi videatur eis, vt iſtis intendat, debet ſeorſum ſummatim illa, quæ eos mouerent prælibare, & tunc ſi

ei visum fuerit postea capitulum, vel quoad omnia, vel quo ad illos casus tenere. Ante recessum autem suum, debet cum omnibus in refectorio (si fieri potest) comedere, & in capitulo aliquem sermonem, vel collationem, vel admonitiones aliquas proponere fratribus, tam clericis, quam laicis, secundum exigentiam status eorum: Et in fine assuetam absolutionem facere generalem, & se specialiter, & negotia si quæ grandia habet tunc temporis, fratrum orationibus recommendare. Cum vero moram contrahit in aliquo conuentu, debet tam frequẽter, quam diligenter tenere capitulum, & cum non tenet interdum tam vtiles, & tã efficaces admonitiones proponere, quod ex eius mora, non solum quod ex eius præsentia, sed etiam post recessum sequatur in eadem domo euidens religionis augmentum. Melius quoque est vt necessitates suas de communi prouisione conuentus, vel aliquibus amicis ordinis manifestẽ recipiat, quam quod aliquid fiat circa hoc per modum occultum vel ab aliquo fratre singulariter procuretur. Cauendum est autem ei diligenter ne reddat onerosum se in expensis, aut in seruitijs, quæ fratribus alijs fieri non consueuerunt, aut fastu aliquo, tanquam non sit vnus aliorum, aut in seruiendo nimias sibi fieri reuerentias, sed potius laboret, vt societas sua, non solum fratribus, sed etiam familiæ, cum qua etiam habenda est ei aliqua religiosa collatio, sit amabilis, & accepta. Non decet etiam vt extra domum facilè comedat, vel inter homines, discurrat. Cum autem eum ire oportuerit inter homines, cũ societate moderata ire conuenit, ne nimis magna societas attribuatur pompæ, vel nimis modica apud imperitos pariat contemptum. Sed in hoc quidem secundum conditiones regionũ est temperandum. Fratres quoque qui occasione eius superueniunt, ne ex eorum mora grauetur domus, debet breuiter expedire, & licentiare curialiter commorantes inutiliter. Animaduertatque nihil subdito negare, vel concedere, neque de facili aliquid in futurum promittere sine magna prudentia, quorundam consilijs interdum acquiescere, quorundam non, omnes benigne audire, & cum charitate recipere.

Circa

¶ Circa Fratres.

AD ipſum quoque pertinet, maiorum fratrum exceſſus viriliter corrigere, Minoribus ſe talem exhibere, quod ad eum non timeant accedere. Dignos honore pro meritis, vel alijs conditionibus decenter honorare: Irreligioſos, & malè viuentes à ſua gratia, & familiaritate, ad correctionem repellere. Laborantibus laudabiliter, & fructuoſe pro ordine ſe gratum oſtendere. Infirmis corpore, ſeu mente, piè condeſcendere, proteruorum, & contumacium duritiam frangere. Nouitijs tentatis, & afflictis dulces conſolationes impendere. Petitiones fratrum rationabiles libenter exaudire, cum vero repellendæ fuerint, cauſas quare recipi nõ debeant prudenter explicare. Querelantium de alijs, cauſa diligenter audita quod iuſtum fuerit ordinare. Diſſolutiones notabiles coram ſe nunquam ſuſtinere, De vtilibus, vel de confeſsione loqui ſecum volentibus facilè locum dare. Fratres omnes aduenientes (niſi ſit certum quod inordinatè vadant) cum læto vultu, & ad oſculum pacis ſemper recipere. Diſcuſſa vero cauſa itineris, eoſdẽ ſecundũ merita tractare. Recedentes ad partes remotas cũ oſculo licentiare, abſolutionem generalem ſi petierint eis conferre, & ſe per eos, fratribus ad quos declinauerint recõmẽdare, & ſalutare eoſdẽ. Apoſtatis, & eiectis ad ſe cõfugiẽtibus audientiã prębere, ipſiſq; auditis ſcribere eorũ Prouincialibus, cõmendatoribus, & conuẽtualibus, ſecũdũ quorũ relationẽ, quod viſum fuerit expedire. In ſimilibus, & diſsimilibus, ſe ſingulorũ vtilitatibus, ſecũdũ diuerſos ſtatus eorum adaptare.

¶ Circa poteſtatem Magiſtri Generalis.

LIcet autem Magiſter habeat plenam, & generalem poteſtatem in ordine, tamen nunquã eſt ei vtendum huiuſmodi plenitudine poteſtatis, vbi cauſa rationabilis & neceſſaria non occurrerit. Specialiter vero eſt cauendum ei, ne in tempo-

ralibus grauet prouincias,vel conuentus,vel fratrem aliquem, aut libros,vel paramenta vnius alteri concedendo. Onus pecuniæ alicui soluendæ imponendo,& similia,sine causa rationabili euidenti. Officia inferiorum non debet sibi assumere libenter,nisi causa vrgẽte,nec oneri suo aliorũ onera, Licentias quæ per alios expediri possunt,raro dare debet,sed potius fratres ad Prælatos suos mittere pro ijs, & siquas dederit, quæ secretum non requirant fratrum, Prouincialibus, commendatoribus, vel conuentualibus, pro vt magis conuenit significare debet. In concedendo vero licentiam alicui fratri confitendi alij, quã Prælato suo debet habere cautelam,sciens quod huiusmodi cõfessiones interdum in graue periculum ordinis redundant. Itẽ, in licentiando aliquem ab ordine cauendum est,quod nihil faciat,nisi quod liceat, & quod expediat, & quod salutem fratris non negligat propter onus. Cum autem fuerit faciendum, sic prouideatur,quod habeat locum,ad quem transeat, antequam recedat,& quod vagationi periculosę non exponatur, Circa dispensationem,& licentias, quæ sibi reseruantur,vt de studio in liberalibus artibus,& de eundo ad Curiam, vel quæ non consueuerunt fieri per aliquem de facili,vt de ingressu mulierum in claustro,& similia,talem mediocritatem tenere debet,quod propter nimiam eius duritiem, circa hoc maior fructus non impediatur,vel graue scandalum generetur,& rursus ex nimia facilitate periculosa dissolutio in ordine inducatur. Circa se vero,quantum valetudo permittit, ipsi parum dispensationibus est vtendum, & cum necessitas requirit aliud,huiusmodi necessitas,est opportuno tempore insinuanda fratribus, vt non scandalizentur in ipso.

Grauis in hac re est cura adhibenda.

¶ *Circa socios suos.*

ELigendi sunt à Magistro socij Deum timentes, ordinis zelatores,discretione pollentes, religiosæ, & amabilis conuersationis,corpore potentes,qui inter fratres se sicut vnus cæterorum gerẽtes,nihil in hoc officio quærant,nisi solam ordi-

nis

nis vtilitatem. Horũ enim cõmune erit officiũ, quæ viderint in eo corrigenda, interdum cũ humilitate & modedestia ei dicere, interdum quæ ex alijs sciuerint, vel audierint, emendanda eidem, tempore suo referre: præsertimque ad redemptionem pertinent captiuorum, Agẽda ei ad memoriam reducere, & circa ea ipsum solicitare. Secreta quæ ad ipsum veniunt, sub districto silentio custodire. Si quæ grauia, vel periculosa ordini multum, de ipso sciuerint, diffinitoribus, vel alijs, qui prodesse possunt, & non obesse, suo tẽpore nõ tacere: Fratres cũ eo loqui volẽtes in hoc timidos ad eum addudere. Aduenientes ad eum fratres, siue alios extraneos, benigne recipere, & ad eum ipsos introducere, vel ad ipsos eum euocare. Ipsorum negotia, siquę habent solicite promouere, & curam habere, quod charitatiue tractentur à fratribus in hospitalitate, & eos pacificare, si viderint turbatos, occasione repulsarum petitionum, & quod quieti recedant, & cum gratia. Cum senserint murmur, de aliquibus factis Magistri pro posse rationes reddant, de factis eius, quas forte murmurantes ignorant. Contra neminem, ipsum prouocare: nisi forte causa correctionis prout necesse fuerit. Horum vnus debet esse conuersus, cuius officium erit causa necessitatis corporalis, & tam victus, quam vestitus Magistri solicitudinem gerere, & sustinere labores. Alius debet esse notarius competens, qui magis debet laborare ad notandum sententiose, & breuiter, quam adornate verba multiplicare. Debet etiam custodire sigillum, sigillare literas, & pertinẽtia ad hæc in prõptu habere, librosque Magistri custodire. Præter istos alium tertium assumat socium, virum consilij, & literatum, cum quo possit habere consilium, & ipsum sibi adiutorem habere, cui interdum si expedierit, aliqua agenda committere poterit.

Aduertenda instructio.

¶ *Circa mensam.*

CVm comedit in conuentu, non est ei sustinendum, quod ei singularitates notabiles fiant. Cum vero habet vnde possit aliquibus aliquid mittere, illi sunt potius eligendi, qui-

bus cedit ad consolationes, vt sunt nouitij, vel tentati, & huiusmodi, vel qui sunt magis indigentes vt debiles, vel infirmi, vel qui pro aliqua ratione sunt honorandi, vt qui fuerunt nobiles vel diuites in sæculo, vel sunt in ordine lectores, & Magistri potissime, & similes. Protrahenda est ab ipso comedendo, sic mensa prudenter, vt qui morosius comedunt, comestionem interrumpere non cogantur. Nec signum facere debet quousque videat, quod comestio communiter sit completa. Quod siquis mora notabili, faciat alios plus debito expectare, per seruitorem potest ipsum priusquam signum faciat, vt finem faciat commonere. Cum autē extra refectoriū comedit in hospitio, vel in domo infirmorum cauendum est, ei ne occasione ipsius superfluitates fiant inconsuetæ, & maxime si adsunt extranei. Neque dāda est loquendi licentia passim, sed modo vni modo pluribus, modo omnibus, modo nulli, secūdum diuersas circunstantias secum comedentium, Præcipue vero cum intersunt extranei, caute sunt huiusmodi licentiæ dandę. Interest autem valde ipsius aliqua verba ędificatoria, & spiritualis consolationis immiscere commestioni, & frequenter lectionem aliquam in mensa, in parte, vel in toto habere: Nisi pro reuerentia personæ excellentis, quæ adsit, intermittatur, aut de eius beneplacito fieri procuretur.

¶ *Circa Cameram.*

CVm autem camera sit ei concessa propter certas vtilitates ordinis, attendendum est ei, ne redundet in damnum ordinis talis concessio, quod fieret, si fierent ibi dissolutiones, si fierent ibi comestiones, vel potationes, nisi tempore suæ infirmitatis, si permitteret fieri ibidem fastum aliquem in lecto, aut in aliquo apparatu serico. Et ideo sunt hæc ab ipso, & similia coercenda. Nunquam etiam dormire debet in camera, sine duobus socijs, & lumine.

De

De officio diffinitorum capituli generalis.

Circa ea quæ sunt agenda ante diffinitionem.

AD officium diffinitoris capituli generalis pertinet, cum electus fuerit, si præsens fuerit in capitulo, postulet à Prouinciali huiusmodi laborem sibi iniungi in remissionem peccatorum; & sic ipso imponente recipiat officium humiliter veniam faciendo, & hoc si oportuerit eum ire in regionem lõginquam. Bonum est etiam, quod super huiusmodi officium pro se, & pro socio sibi assignato, testimoniales recipiat literas à Prouinciali & diffinitoribus, vel aliquibus alijs commendatoribus de capitulo; quam non negligat propter multas difficultates, quæ ex defectu literarum huiusmodi possent oriri. In ipso capitulo in quo eligitur, debet ordinari de socio. Si præsens fuerit, vtrum in simul ire debeant, & quando, & per quas vias. Si autem alter illorum tantum præsens fuerit, debet qui præsens fuerit prædictas literas procurare, & de supra dicta via cũ absente per literas ordinare, quod si neuter præsens fuerit debet Prouincialis prædictas literas procurare, & diffinitori, vel socio mittere, & qui primo recepit, alteri debet de via prædicta significare. Porrò in eũdo quantum possibile est debet diffinitor se gerere moderate & parce, quod fratres per quos trãsierit in hoc ædificet, & audaciam possit habere in capitulo excessus & sumptus in ordinatos in alijs corrigendi. Cum autem declinauerit ad conuẽtus, & in ipso capitulo, & inter extraneos, per quos transit, sic in vigilijs, in sobrietate, in silentio, in studio, in oratione, & in omni honestate, & obseruantia religionis, in collocutionibus, & verbis ædificatorijs dare debet exẽplũ, & cõsolationẽ omnibus, vt euidẽter appareat, quod nõ immerito ad tantum negotium ordinis sit assumptus. Si verò fratres aliqui per quos transit, vel in ipso capitulo, velint ipsi aliquid dicere de pertinẽtibus ad ordinẽ, ꝙ suũ officiũ possit respicere, debet eos diligẽter audire, sed cauere ne credat omni spiritui, vel

Aduertendum consilium.

ſuggeſtioni: Loquentes plene ſibi ſint noti, vel poſt inquirat à fratribus diſcretis, & fidedignis, de cõditione, & diſcretione & zelo & intẽtione, & motu loquentiũ, & in quibus, & in quantũ debeat eis credere. Debet etiã ſcire quod melius eſt frequẽter ſequi conſilium, & ſenſum eorum, qui parum ei loquuntur, quam multorum, qui multum ſe ſolent ingerere ad loquendum, & ſolent de ſingulis iudicare, Nec eſt ſecurum conſcientiam ſuam ex huiuſmodi auditu formare quouſque conſtet ſibi plenius de auditis. Sed nihilominus debet eſſe cautus poſtquam illa audierit. Item poſtquam factus eſt diffinitor, debet diligenter reſpicere acta Capituli præcedentis, & cõferre cum fratribus diſcretis, tam ſuper illis, quam ſuper alijs, quæcũque ad vtilitatem ordinis poſsint in capitulo promoueri, & ſuper his per totum annum frequẽter cogitare, & conferre, vt ſit melius inſtructus circa huiuſmodi, vt melius ea poſsit promouere in capitulo, ad quod debet dare operam habendo in aliquo memoriali conſtitutiones nouas, vel admonitiones, & alia huiuſmodi, quæ videntur ei promouenda, quæ proponere debet inter diffinitores tempore opportuno.

De officio electorum Magiſtri Generalis.

AD officium electoris Magiſtri pertinet, quod poſtquam electus eſt poſtulet (vt ſupra dictum eſt diffinitore). Si oporteat eum ire longius, à Magiſtro Prouinciali huiuſmodi laborem ſibi iniungi in remiſsionem peccatorum: Et iniunctum ſuſcipere cum venia humiliter, & deuote, & hoc ſi fuerit præſens in loco electionis. De literis quoque teſtimonialibus, idem ſeruetur quod de Diffinitore eſt ſupra dictum. De ſocio verò & via, & tempore eundi, debet facere ſecundum conſilium Prouincialis. Porrò in via inter fratres, inter extraneos, in conuentibus, in capitulo, & vbique debet illam honeſtatem, & religioſitatem ſeruare, quæ de diffinitore ſuperius ſunt prædicta. Pro negocio vero electionis, debet à tempore ſuæ electionis orare deuote, & orationes à ſanctis perſonis

cum

cum poterit, impetrare vt ſecundū voluntatē Dei, & vtilitatem ordinis tam ipſi, quàm alij dirigantur. Cum autem aliquos fratres inuenerit diſcretos, & Deum timentes, exercitatos in negocijs ordinis, & perſonarum, habentes ordinis notitiā: debet libēter cum eis conferre, in ſancta, & ſimplici intentione, vt per eos in aliquibus pertinentibus ad negotium plenius informetur. Cauendum eſt autem ei, ne propter auditum, aut notitiam leuem ad eligendum aliquem inclinetur: Niſi prius per fidedignos, & qui talē magis de propinquo nouerint plenius inſtruatur. Nec vnquam ſic debet animum ſuum in aliquem firmare, quin ſi aliquid melius, ex collatione aliqua poſt modum appareat, paratus ſit ad alium transferre vocem ſuam. Illud quoque diligentiſsime præcauendum eſt ei, ne notio, vel familiaritas, vel confidentia præſumpta de aliquo, vel turbatio contra aliū, vel deſpectio quæcūque, vel aliæ ſimiles, vel diſsimiles cauſæ, quæ Spiritum ſanctum non ſapiunt, eum moueant in aliquo contra aliquem, ſed ſolum pura, & ſancta intentio, & recogitatio: ſolum Dei voluntatem, & vtilitatem ordinis inueſtigans. Debet etiam attēdere quod in huiuſmodi perſona eligēda, ſunt multa attendenda ſi reperiri poſſunt in aliquo, vt pote conditio generis, & perſonæ, ſcientia, & fama, authoritas, notitia, gratia prædicandi, & inter homines conuerſandi, & alia multa, tamen etiam ſunt prudenter attendenda, vitę ſanctitas, diſcretio naturalis: experientia prælationis: zelus ſanctus: animoſitas ad mala perſequenda, & bona promouenda: maturitas in agendis cum oportuerit, condeſcenſio ad infirma: firma de Deo fiducia in inſolitis, & grauibus, cum emergunt. Cæterum tanquam pernicioſum, & viliſsimum eſt procul abijciendum, ne vnquam inducat, vel inducere ſuſtineat quemcunque circa huiuſmodi negocium ad aliquid, niſi quod pure ſanctitatem ſapiat & virtutem: ſed ſic in omnibus cum timore Dei diligēti deliberatione procedat, & votum ſuum ſolum in Deū & ordinis transferat vtilitatem, habens præ oculis quod nihil faciat, vnde malam reportans conſcientiam, gemere habeat in omnibus diebus vitæ: cum aliquid fecerit, quod poſt modum

Aduertēda admonitio

nunquam poterit emendare. Si vero facto scrutinio publico, nondum valet electio, nec videatur per processum quod valere possit, nisi mutet vocem suam: multo melius est mutare vocem (dummodo cum bona conscientia fieri possit) quãdiu discordiam sustinere. Sed in mutatione illud videtur securius, quod cum oportet mutare propter concordiam, illorum sequatur cõscientiã, & sensum, qui secundũ suam conscientiã, & sensum, melioris, & sanioris sententiæ, reputantur. Si vero electio valeat per scrutiniũ: pro aliquo quẽ ipse non elegerit, nihilominus debet in ipsum libenter, & liberaliter consentire: & post publicatum scrutinium assentire: dummodo ad contrariũ conscientia non compellat. Deniq; omnia, quæ acta sunt in secreto sic debet habere secreta, quod nunquam ex ore eius egrediatur aliquid, vnde possit quidquam de illis percipi, vel possit aliquis frater percipere q̃ tales vel tales fratres elegerũt hũc, vel illũ reprobauerũt, vel illi contrarij fuerunt, & similia, quę possunt inducere turbationem. Debet etiam esse cautus quod in collatione facienda de aliquibus eligendis, ante electionem inter electores suos, non est securum consentire, propter occasiones denigrationis famæ multorum, & alia mala multa, quę solent inde sequi. Porrò in regressu cum declinat ad fratres, debet laudare quantumcunque potest cum bona conscientia, quod factum est: & super hoc fratrum animos consolari.

¶ *De officio Magistri Prouincialis.*

PRouincialis, quæ dicta sunt de Magistro Generali, animaduertat, & quæ sibi competunt obseruare curet. Erga suam prouinciam diligenter omnibus prouideat, & singulis fratribus, secundum diuersas conditiones, & illorũ animi qualitates, prudenter cõsulat. Fratres periculosos, & dissolutos à locis, in quibus minus viget disciplina dimoueat, & domibus, in quibus melius custodiri possint, & corrigi, assignet, & quãtum fieri licet, conditiones eorum commendatoribus, ad quos mittuntur, notificare debet. Et cum transferuntur de loco, ad

locum

locum, prouidere, vt bene associentur, & certum tempus habeant, pro itinere taxatum. Qui autem pestiferi fuerint inuenti, secundum quod grauiores eorum culpæ requirunt, grauius, vel per carceres, vel pereiectiones à fratrum societate, vel aliter puniantur. Perturbatores verò cõuentuum, aut commendatorum, alibi transferre: Colligationes in malum per dispersionẽ dissoluere. Talem se debet omnibus exhibere, quod ad cõfitendum, eidem non timeãt accedere. Extra capitulum quoque fratribus aliquibus interdum charitatiuas facere exhortationes, prout statum eorum viderit indigere. Diligenter quoque debet vbique aduertere, qui & quot sunt in quolibet conuentu, qui sint apti ad proficiendum in studio, & huiusmodi si sint bene morigerati ad studium promouere, vel ad studia meliora mittendo, vel in ipsis domibus proprijs, libertates aliquas concedendo, vel ab aliquibus occupationibus eximendo. Insuper inscriptis eisdem prouidendo, vt eos etiam, de quibus est bona spes, quod possint esse vtiles ad commendatores, & officia ordinis magis necessaria in scientia, & huiusmodi officijs, necessaria promouere. In recipiendo vero conuersis, vel qui non nouerint officia, in quibus possint ordini deseruire, & etiam clericis minus idoneis dignam debet adhibere cautelam.

¶ *Circa commune bonum prouinciæ.*

ITem ad ipsum pertinet cõmune bonum prouinciæ procurare solicite, siue erga Magistrũ, siue in capitulis generalibus, & Prouincialibus. Item de ijs, quæ videntur corrigenda, vel facienda, quæ per se non potest commode expedire, memorialia facere, & ipsa capitulorum tempore promouere. Item in emergentibus necessitatibus fratrum, in diuersis locis consilium dare, siue per recursum ad curiam Romanam, siue alijs modis prout variæ necessitates exigunt, ad communem pacem prouinciæ dare operam efficacem. Partes & diuisiones si quæ sunt pro viribus auferre, instruendo vnitatem, & concordiam ponendo,

ponendo. Querelas, siquæ sunt inter cõuentus, de terminis, vel alijs quibuscunq; cito terminare. Cõuentus nouos, qui euidẽter reputãtur vtiles procurare: de minus necessarijs nõ curare. Regulã, cõstitutiones, priuilegia, acta capitulorũ, literas Magistri bene correctas secũ portare, & ad exemplar suũ vbiq; per conuẽtus facere scribi, quę nõ habẽtur, quę vero habẽtur perlegi, & corrigi diligenter, & interdum facere legi vbi viderit expedire. Infirma fratrum: vel conuentuum aliquorum sine causa rationabili nunquam debet alijs recitare. Quod fratres vbique pacem habeant erga clerum, & populum, & Prælatos, & alios laborare. Quod metas priuilegiorum, vel cõcessionum, quæ habuit à Prælatis in confessionibus audiendis, vel absolutionibus, & dispensationibus, & huiusmodi, fratres non transgrediantur, Et quod ad hæc exequenda non ponantur fratres nisi sufficientes monere, & cauere. Discursus fratrum restringere, neque permittere quod discurrant, propter negotia, quæ possunt per literas expediri.

¶ *Circa visitationem faciendam.*

ITem, visitare prouinciam debet provt potest, & frequentius domos, quæ plus indigent. Cum autem non potest in propria persona, debet interdum, cum necesse fuerit per alios fratres discretos, & acceptos fratribus hoc supplere, taxata eis per literas discrete potestate. Cum autem de prouincia recedit, semper relinquere vicarium, vel vicarios per diuersas partes prouinciæ, Et interdum etiam cum præsens est in prouincia in aliquibus locis magis remotis vicarium, vel vicarios instituere, potestate eis taxata semper per literas, & expressa. Item visitatores idoneos substituere. Porrò in visitatione tantum debet in qualibet domo morari, quod diligenter, & plene quod requirit visitatio valeat exercere. Episcopum loci, fratres minores, & alios amicos ordinis visitare, vel cum ipsis eum visitantibus competentem collocutionem, & collationem habere, Populo, clero, & religiosis (vbi hoc expedierit) prędicare, scandala,

dala,& turbationes, ſi quas inuenerit, erga aliquos religioſos, prælatos,clerum,& alios,ſedare. Cum fratribus in refectorio, in officijs diuinis,& in dormitorio aliquanto tempore intereſſe, Fratribus tam clericis, quam laicis ſui copiam facere, ſiue de confeſsione,ſiue de quibuſcũque alijs loqui voluerint cum eo,ſiue in capitulo,ſiue extra. Collationes fratrum audire, vt de profectu eorum aliquid in ſtudio eorum aduertere poſsit. Saltem ſemel audire cõputationem domus, & ſtatum quo ad téporalia. Auſcultare infirmos,puſillanimes,& tentatos,& nouicios ſingularibus collationibus conſolari, nouicijs conuerſis aliquas priuatas collationes facere. Familiam vbicunque ſuperfluam inuenerit remouere. Si qua maioris ponderis ordinare voluerit,prius diſcretorum conſilium conuocare. Et quantum poteſt fieri rationabiliter dare operam, vt omnes in pace, & conſolatione relinquat. Et ſic inter eos in illo tantillo temporis ſtudeat conuerſari, quod plus eos exemplis, quam verbis ædificet,& informet.

¶ *Circa Commendatores.*

ITem circa abſolutiones commendatorum, qui boni reputantur,non debet eſſe facilis,nec propter eorum inſtantiam, nec fratrum aliorum importunitatem. Magis autem debet eos animare ad ordinis ſuſtinentiam, propter Deum & ordinem, eoſque fouere,& animare,in quibus bono modo poteſt, eoſq; moleſtantes comprimere, pacemq; eis prout poſsibile eſt procurare. Commendatores vero minus idoneos facile debet abſoluere,cum ſperatur meliores poſſe haberi, & vt poſsint ſibi fratres vtilius prouidere, & ſic habebit poteſtatẽ eligendi aliquos fratres,de quibus poteſt fieri bono modo. Ipſius eſt etiam, Cõmendatoribus confeſſores cum larga poteſtate concedere, niſi ex cauſa aliqua interdum aliud fiat. Quandoque etiam ſuper eos, aliquibus aliquam poteſtatem tradere, vel in recreationibus recipiendis, vel huiuſmodi, cum cauſa rationalis hoc requirit.

¶ Circa capitulum Prouinciale.

ITem,ad locum capituli prouincialis, debet aliquantulum tempestiuius alijs venire,vt cum fratribus domus tractet,si expedierit,de aliquibus ad capitulum pertinentibus, Et vt fratres,qui quandoque citius veniunt pro aliquibus negotijs expediat.Item,interest sua tūc temporis, literas sibi missas per se, vel per secretarium respicere,& ea,ad quæ respondendū est notare,& quæ sine capitulo potest facere cito expedire. Ea vero, quorum responsio ex capitulo dependet in memorialibus ponere,vel ipsas literas distincte pro diuersis conuentibus, ad confusionem cauendam,in diuersis locis seruare,& quam cito poterit expedire:Illas vero,quæ responsionem non requirunt, statim destruere.Item prouidere debet quod acta capituli generalis,& literæ Magistri,& si quæ aliæ literæ, vel scripta emanauerint à capitulo generali, per prouinciam habenda, legantur,ante electionem diffinitorum:Et ordinetur quod certo loco, & certo tempore conueniant,qui habent transcribere, & per aliquem,vel aliquos legantur,& ad scribēdum,necessaria ibidem ministrētur de domo,ita quod ante diffinitionem capituli omnia huiusmodi sint transcripta,& tunc acta capituli, & si quæ alia mittenda sunt in scriptis per prouinciam, sunt ab eodē capitulo celeriter secundum modum eundem scribenda. Item, non debet dare licentias veniendi ad capitulum sine causis rationalibus,&qui aliter veniunt,condigne cum consilio diffinitorum in ipso capitulo confundere debet,& punire, vel segregando à capitulo,vel statim remittendo,vel alias, prout maior excessus eorum exegerit. Ordinare etiam debet,quod nimis tē pestiue non veniant,& quod non nimis morentur, qui venire tenentur.Itē diffinitores minus expertos in aliquibus dirigere, & de conditionibus personarum, quarum notitiam non habent(cum de eis agitur) instruere eosdem quantum commode,& licite potest,& ordinis vtilitas requirit. Item dare operā quod paucę mutationes fratrū fiant,& quæ fiūt, non fiant sine

Aduertēda & seruāda instructio.

causa

cauſa valde rationabili, cum ex huiuſmodi mutationibus frequenter inconueniẽtia multa oriantur. Item cauendũ eſt ei ne in ſuis agendis ſit ita fauorabilis maioribus cõuentibus, & perſonis contra minores, quibus magis eſt ſubueniendum, quòd inde ſcandalum apud eos & turbatio ſubſequatur. Ordinandũ eſt etiam ab eo, quod fratres, qui tunc mittuntur de conuentu ad conuentum, certam, & bonam ſocietatẽ, & tempus ad viam habeant arripiendam, & conſumandam.

¶ *De officio diffinitorum capituli Prouincialis.*

AD officium diffinitoris capituli Prouincialis pertinet, vt poſt electionem audiat negocia fratrum, modo ſequeſtratim, modo cum alijs diffinitoribus prout ipſi requirunt, & ipſe poterit vacare: recipere etiã literas: vel memorialia, quæ ad diffinitores pertinent cum ei porriguntur, vt ea inter diffinitores præſentet tempore opportuno. Poſtquam autem inchoatum fuerit capitulum debet cum Prouinciali in loco diffinitorum in capitulo ſedere, hoc ordine ſeruato inter diffinitores: vt qui primo ſedent in choro, primo ſedeant inter eos. Cauendũ eſt autem ei ne aliquid faciat pro fratre, vel conuentu, vel contra, quod ſapiat priuatum amorem, vel turbationem, vel vindictam contra alium: ſed tantum ea, quæ ſapiunt æquitatem, & bonum. Item ne ſit facilis ad mutationes faciendas, ſiue in abſolutionibus Commendatorum multorum, vel tranſlationibus lectorum, & fratrum: niſi quando poſt diſcuſsionem diligentem manifeſta ratio reperitur. Item, non tantum intentus ſit circa particularia facta, quòd commune bonum, & magis quod pertinet ad ſtatum totius prouinciæ, negligatur. Porro circa conuentus nouos, & remotos, & deſolatos, vel præ paucitate fratrum, vel paupertate, vel propter aliqua ſcandala ibi orta: vel alijs de cauſis, vt releuentur à grauaminibus, & bene prouideatur eiſdem, & in aliquo non grauentur. Similiter circa redemptionem captiuorũ & ſtudium, & omnia pertinẽtia ad id promouenda. Itẽ circa fratres, qui notati ſunt de ſcandalo turbationis,

bationis,& periculosi reputantur,reprimendis, & refrenandis, & in talibus conuentibus collocandis vbi sub disciplina,& custodia bona alicuius custodiantur,& similibus,quæ sunt maioris necessitatis debet habere curam maiorem, quantum in eo est. Sunt & alia quædam notata in capitulo de officio Magistri Prouincialis circa fratres, quæ pro magna parte eidem quantũ ad officium suum in modico tempore pertinent: considerandæ sunt,& solicite obseruanda. Item pertinet ad eum cum alijs de domibus & de visitatoribus, & alijs quibusdam quæ in constitutionibus expressa sunt: & in admonitionibus capituli generalis quandoque inseruntur: insuper,& multa alia de illis, quæ supra notata sunt de officio diffinitorum capituli generalis: quæ omnia sunt ab eo considerandæ diligenter, & prout competunt obseruanda. Deinde finita diffinitione,cum aliquos turbatos viderit de aliqua ordinatione, non debet ita se super aliquo excusare (licet in illo non cõsenserit) quod super socios suos calumnia deuoluatur: vel quæ acta sunt inter eos, de quibus oritur turbatio,per quos factum sit reueletur.

De officio visitatoris,

¶ *Circa ea,quæ præcedunt visitationem.*

AD officium visitatoris pertinet,si laborioſa fuerit sua visitatio,postulet à prouinciali laborem in remissionem peccatorum sibi iniungi. Socium quoque de eius ordinatione si potest ei loqui,vel scribere, vel si hoc non potest de ordinatione commendatoris sui conuentualis assumere debet. Si vero ante tempus visitandi contigerit eum infirmari, vel aliter impediri:debet Prouinciali hoc indicare, vt de alio prouideat, qui suppleat vices eius. Porrò tempus ad visitandum debet eligere tale, in quo fratres melius possint haberi in domo, sine damno prædicationis, vel prouisionis temporalium: & quod non concurrat cum visitatione Prouincialis, vel nimium sit vicinum visitationi, vel capitulo sequenti, vel præcedenti Prouinciali

uinciali, vel generali si fuerint in prouincia illa celebranda. Cū autem venturus est ad domum aliquam debet primo significare tempus aduentus sui, vt fratres absentes cómode conuocari possint. Non debet autem ad conuocandos fratres inferre necessitatem, si sine magno damno domus, aut salutis animarum conuenire non possint, nisi magna, & rationabilis causa, & necessitas hoc requirat.

¶ *De officio Commendatoris circa seipsum.*

OFficium Cómendatoris est, diligenter notare, ea quæ de supradictis officijs Magistri, & Prouincialis sibi competunt, secundum suum statum, & ea adimplere. Item, pro religione primo, & pro studio secundo, & vehementer pro ijs quæ pertinent ad redemptionem captiuorum plusquam pro alijs quibuscumque celare. Item non tantum extra domum morari, quod ea, quæ sunt intus agenda negligat, nec tantum intus residere, quod fructus, quos potest extra facere, minus & damnose pereant. Item amore quietis, fratrum & ordinis negocia non negligere, & rursus propter nimiam occupationem circa curam ad alios, nimis à se exire. Itē, circa occupationes odiosas, & deuotionem hominum ad ordinem, suffocantes, vt sunt visitationes, & correctiones potestatiuę monasteriorū, receptiones arbitriorum, & similia, sede facili non implicare. Circa fructum vero animarū, qui fit per prædicationes, per charitatiuas admonitiones, per cósilia, per confessiones, per paces, & huiusmodi, quæ magis decent ordinem, & spiritum magis sapiunt, libenter intendere debet. Spiritualibus quoque exercitijs intra claustrum, vt sunt scholæ, collationes, sermones, officium diuinum, & huiusmodi libēter interesse. Circa coquinam vero vestiariā, vel hortum, & huiusmodi quotidianas angustias, & minoris valoris, quæ per alios officiales exerceri solent, occupari raro. Item, ipsius interest in absentia magistri, vel prouincialis, vel de eorum mādato, si prę sentes existunt, recipere nouicios. In magnis solennitatibus facere officium, sepelire fratres, in-

firmis ministrare sacramenta, & alia similia, quæ supra dicta sunt in officio Magistri. Non debet autem de facili vnquam deesse à Completorio. Cum autem est in choro stare in dextera parte.

¶ Circa maiores

ITem ad ipsum pertinet, Magistrum, vel Prouincialem, Visitatorem, & omnes maiores suos cum debita reuerentia suscipere, & tractare, statum sui conuentus cum quæsierint, vel expetierint fideliter eis exponere, eorum mandata, & ordinationes, & capitulorum generalium, & Prouincialium deuote suscipere, memoriæ Commendare, fratribus frequenter exponere, & vt plenarie obseruétur operam dare. Vtilitatem quoque domus & fratrum suorum solicite procurare, grauia, si qua sibi imponuntur ab eis sine murmure portare, eos pro sua absolutione, vel alijs negotijs non grauiter molestare, repulsam petitionum suarum patienter sustinere, & causam quare hoc fiat ab eis aliquam causam rationabilem esse (licet nesciat) supponere, & in suis angustijs de multitudine negotiorum, & impotentia satisfaciendi omnibus eis potius compati, quam de repulsa huiusmodi indignari. Pro eis quoque orare, & alios frequenter inducere ad hoc ipsum. Si qua in eis corrigenda viderit, vel de aliquo quocunque tractare cum eis habuerit, cum digna humilitate loqui debet eisdem. Item debet à Prouinciali, vel verbo, vel per literas petere licẽtiam confitendi, & quod committat secundum quod ei videbitur fratri, vel fratribus in foro pœnitentiali super eum potestatem, & quod ipse ordinauerit in scripto, retinere.

¶ Circa conuentum.

ITem ipsius interest conuentui in victu, in vestitu, & infirmitatibus, & alijs necessitatibus pro vt potest commode procurare. In refectorio, in communi minutione, in rasura, & vbiq;

vbiq; libenter esse in conuentu. Singularitates in cibo, vel extraordinarijs comestionibus, & huiusmodi cauere. In vestium pretio sequi communitatem, tam in se quam in alijs. Singulares prouisiones in necessarijs nulli concedere, sed de communi omnia prouidere, nunquam apud se, vel alium, nisi communẽ custodem, & non nisi pro libris pecuniam habere. Superfluitates in hospitio, & infirmitorio, & horum frequentationes, præter necessarias restringere, & in dispensationibus circa corporalia se non facilem exhibere. Ipsos quoque fratres in spiritualibus debet in capitulo informare, ad omne bonum sanctis exhortatibus animare, magis in dulcedine spiritus quam per potentiam pertractare. Curandum est ei multum de pace conuentus conseruanda, prout fieri potest. Nec facile deuiandum est ei à concordia ipsius, vel voluntate, vel consilio, vel petitione. Debet quoque ab ipso assignatos habere fratres, qui audiant computationem, & statum domus sciant, & de quorum consilio in ædificijs procedant. Dispensationes vero in ieiunijs, in abstinentijs cũ toto conuẽtu nunquam sunt faciendę, & si personis aliquibus, sit interdum merito indulgendum. Debita magna contrahere, vel emptiones, vel venditiones magnas, vel alia magna, facere non debet sine consensu conuentus, vel consiliariorum, qui ex parte conuentus ad hoc fuerint assignati, & quibus super his fuerit commissa potestas. Cum autem accesserit ad capitulum, vel alias lõge, debet semper vicarium relinquere, siue alium vtilem, & idoneum pro religione, & pro vt fieri potest acceptum communitati fratrum. Debet autẽ ei potestatem taxare, & in ijs, quæ videntur vtilia instruere diligenter. Item cum egreditur ciuitatẽ semper vicario, vel pluribus causam viæ, quo vadat significare, & interdum ipsi conuentui, si maior ratio hoc requirit.

¶ *Circa fructum animarum.*

ITem ad officium eius pertinet, scire clarè, & plene, & cum nescit, diligenter certificari ab alijs, cuiusmodi potestatem habeat

habeat ordo in confessionibus audiendis, in predicationibus, in dispensationibus,& in absolutionibus circa fratres, & alijs multis, scire etiam cuiusmodi potestatem habeat ipse ab episcopo suo,vel episcopis vicinis,circa confessiones, & absolutiones tam pro se,quam pro alijs fratribus, & quid in huiusmodi potest committere fratribus,& quid non. Et cauere debet,ne vltra potestatem,quæ habetur fiat aliquid à quocumque. Procurandum etiam est ipsi quid,& quantum, & quibus expediat in huiusmodi committere fratribus. Ipsos vero,qui noui sunt sacerdotes, vel etiam antiqui minus instructi circa ista instrui diligenter, ne circa salutem animarum oberrent. Et licet quantum rationabiliter fieri potest, sit ei zelandum pro animarum salute,tamen magis expedit pro ordine,& fratribus, quod minor potius fiat fructus, quam cum fructu multo, fiant fratres occasio periculi,vel scandali: dum minus idonei laxantur indiscretè ad predicandum, ad consilia danda, & ad confessiones audiendas,& similia.

¶ *Circa temporalia.*

IN procurandis quoque temporalibus,siue per se,siue per fratres cauendum est ei quantum fieri potest, ne grauentur homines notabiliter,& ne fiant quæstus inhonesti. Cogitandum quoque est ei,quod huiusmodi sic acquisita, cum timore Dei, & parcitate congrua, expendantur,ne propter negligentiam custodiendi depereant, vel prodigè consummantur. In ædificijs vero nulla curiositas,sed sola fratrum commoditas est attendenda qualiscumque, & religionis opportunitas est ei quærenda. Et noui fratres laici propter fratrum, & religionis seruitia corporalia,concessi sunt in ordine,non sunt recipiendi, nec procurandi,nisi illi quibus necessario indigent fratres. Et attendendum est ei, quod qui fuerint in domo, omnes vtiliter occupentur.

Item

¶ Circa officiales.

ITem ad officium eius pertinet,officiales idoneos cum consilio fratrum discretorũ,vel constituere,vel absoluere,ipsos verò constitutos in suis officijs diligenter informare: & potestatem,quam eos habere voluerit,taxare, & si expediens viderit,in scriptis eis tradere. Licentias quoq; aliquas generales dare,de loquendo,vel de remanendo ab horis aliquibus, vel alijs quibusdam,quæ ad exequendum officia sua necessaria putantur. Non licet autem ei aliqua officia ad manum suam tenere, nec de ipsis se multum intromittere,sed potius officialium negligentias corrigere,& in eis, quæ facienda fuerint, ipsos frequenter sollicitare,& instruere. Fratres verò ipsos perturbantes corripere,reprimere,& pacem eis fratrum procurare.Cauere etiam ne ratione officiorum, ea, quæ sunt ordinis negligant officiales,aut omittant, nisi quantum propter officium compelluntur, vel de licẽtia rationabiliter eis permissum fuerit, aut concessum.

¶ De officio vicarij conuentus.

OFficium Vicarij est, cum institutus fuerit quærere diligenter à Commendatore,& retinere memoriter, cuiusmodi potestatem vult eum habere,siue in præsentia, siue in absentia sua,& non vltra se extendere. Aliquando etiam eadem, quæ dicta sunt de officio Commendatoris inspicere,& notare quid sibi conuenire possit ratione vicariæ,& illa cum illis,quę constitutiones sibi concedunt facere solicite. Item ipsius est conseruare memoriter mandata,& ordinationes Commendatoris,Visitatoris,Prouincialis,capitulorum generalium, prouincialium,& dare operam, quod à fratribus plenarie compleantur. Item ipsius est Commendatorem fideliter adiuuare, queruloſorum, & turbantium alios,non se receptorem exhibere,& de his, quorum curam ei iniunxit Commendator

vt hospitium, vel infirmorum, & huiusmodi solicite seruare, vel curare. Ad ipsum etiam pertinet, pacem Commendatoris erga conuentum quantum potest, procurare, & in factis suis quæ turbant aliquos, quantum coscientia permittit, ipsum erga alios excusare. Pro his quoque quæ vtilia sunt conuentui, siue corporalia, siue spiritualia apud ipsum intercedere. Et grauamina, siqua facit, eidem ipsi charitatiue ostendere: Et quomodocunque occurrerit occasio inter Commendatorem, & conuentum, fidelis mediator esse. Ideo enim vicarius est, & super alios, vt sit mediator eorum. Ipsi etiam Commendatori, debet maiora quando emergunt, reseruare, & quæ corrigere non valet ei denuntiare, & de his, quæ agenda sunt, vel corrigenda, frequenter cum eo tractare. Item notabilia, quæ emerserint in absentia Commẽdatoris debet eidem, cum venerit referre, licet fuerint correcta, & circa ea, quæ fuerint facienda ab ipso, cum fuerit oblitus, vel negligens, aut occupatus alijs, ipsum debet solicitare. Item ipsius interest specialiter, visitatori, & prouinciali, statum domus, & fratrum, & commẽdatoris enarrare fideliter, & insuperscribere Commendatori, vel capitulo prouinciali, vel generali interdum, cum maior necessitas hoc requirit.

¶ *De officio consiliariorum.*

QVædam modica frequenter oriuntur in religione, quæ prælatus potest sine consensu aliorum expedire. Quædam vero sunt adeo magna, quod nullo modo debent sine consilio conuentus expediri, quędam vero media, ad quæ expedienda, solent assignari fratres aliqui à conuentu, de quorum consilio, quæ huiusmodi sunt expediantur, ne vel conuentus in huiusmodi nimis fatigetur, vel prælatus pro suo libito faciens ista, minus sapienter procedat. Debent ergo ad hoc assignari, si possibile sit, fratres, qui bonæ sint discretionis, exercitati in agendis, amatores boni, in sensu suo

non

non nimis abundantes, authoritatis competentis, & qui Dei spiritum habere credantur. Porrò ad horum officium pertinet, audire cum Commendatore, & procuratore computationem, & scire statum domus, in his, quæ habentur, quæ debentur, & quæ debet domus. Item dare consilium circa ædificia, circa officiales creandos, vel absoluendos, & mutandos, circa fratres ad ordines, vel prædicationes, vel audientiam confessionum promouendos, circa missionem fratrum causa prædicationis, vel quæstus, vel eleemosynæ pro redemptione captiuorum captandæ: circa familiam recipiendam, vel abijciendam, vel sustinendam, circa prouisiones in necessarijs emendis, vel procurandis, circa distributionem librorum fratrum defunctorum, & similia, in quibus necessario non requiritur de iure consensus conuentus. Porrò in apponendo sigillum conuentus in aliqua litera, vel charta, in alienatione, vel emptione rerum immobilium, & mobilium in magna summa. In receptione fratrum & similium, in quibus requiritur de iure consensus capituli, cauere debent, ne dent consilium sine licentia, & cum scientia conuentus, nisi forte super his commissionem habeant à conuentu, sed referre debent talia ad conuentum.

¶ De officio examinatorum.

OFficium examinatorum est reddere cautos fratres, qui aliquem volunt examinari, quod non præsentent aliquem, de quo certum sit quod non sit sufficiens, ne fiat ei, qui talis est confusio pro nihilo. Illos etiam, de quibus veraciter constat per certos testes, vel facti euidentiam, vel famam publicam, quod sunt bene sufficientes, non oportet examinare, sed referre Commendatori huiusmodi certitudinem. Cum autem de aliquo propter dubium fuerit examinatio facienda, non expedit quod fiat cum aliqua solenni-

tate, vel acerbe, sed ita vrbanè, quod ipse, qui examinatur, quod examinatus sit plenariè non aduertat, quod fiet quando diuisim, vel etiam simul examinatores eundo per hortum, vel alibi loquuntur latine cum eo, modo de rumoribus mundi, modo de rebus impertinentibus ad scientias, modo de scientia aliqua inquirendo, in qua studuit, & quantum & vbi & sub quibus magistris, & sic intrando quasi insensibiliter, ad inquirendum aliquid de scientia, in qua studuit, & modo transferendo se ad alios rumores, modo reuertẽdo ad propositum. Magis autem attendendũ est ad ingenium, ad facundiã, ad aptitudinem ad addiscendum, & ad bonam dispositionem natutalem, quam ad hoc quod multa audierit, & diu. Possunt etiam examinare illos, qui sciunt scribere, imponendo eis, quod faciant aliquam literam de aliqua materia, quam dent eis, quasi ad videndum, quo modo sciunt scribere, & tunc possunt ex modo dictandi aliquid perpendere de sufficientia sua. Possunt etiam inquirere, si sciunt cantare, & legere, vt si in huiusmodi sunt excellentes, possint facilius cum eis in alia insufficientia dispensare. Potest autem sufficiens quo ad scientiam reputari, quicunque talis est, quod ex bono ingenio, & alijs bonis naturalibus: et scientia iam acquisita, vel ex alijs, quæ apparent in eo potest extimari, quod possit Theologiam addiscere, & apud fratres proficere, ad hoc vt possit tantum intelligere de scripturis, quod possit fieri prædicator, vel confessor securus. Veruntamen secundum statum, & indigentiam prouinciarũ, vel conuentuũ, & abundantiam, vel penuriã literatorũ in natione, facilius sunt aliqui recipiendi in vno loco, quã in alio, & possunt secundũ modũ patriæ alicubi aliqui sufficientes iudicari, qui alibi in sufficiẽtes reputãtur. Porrò inquisitio de moribus, sic caute est faciẽda, vel à socijs, vel à notis, quod ipsi non aduertãt propter quid fiat. Huiusmodi autẽ inquisitio fieri debet maxime circa vitia, quæ sunt quasi naturalia, & inseparabilia, vt innata iracũdia, ebrietas, vel à debilitate naturæ proueniens, vel à vitiosa consuetudine, dispositio ad furiositatem, vel malitiam, vel percussionis, vel huiusmodi.

Et

Et de receptione talium,& ſimilium, de quorum correctione vix ſpes habetur,ſummopere eſt cauendum. Si vero poſt examinationem de ſcientia, & moribus huiuſmodi, videatur examinatoribus,quod indubitanter recipi debeat examinatus à conuentu, poſſunt antequam procedatur, inquirere leuiter de illis impedimentis recipiendorum,quæ in conſtitutionibus ſunt expreſſa,ne forte in vanum vlterius procedatur,ſi tale aliquod habeat propter quod nullo modo ſit recipiẽdus.De omnibus autem,quæ inuenerint debent Commẽdatori & conuentui relationem facere fideliter,nec zelo receptionis, & repulſionis in partem aliquam declinare.

¶ *De officio Depoſitariorum.*

CVſtodia depoſitorũ, ſolet imponi duobus, vel tribus fratribus diſcretis,& ſecuris:Quorũ quilibet, debet habere clauẽ vnam de loco depoſiti,nec alij committere, ſe apud ſe diligenter cuſtodire.Iſti autem debent habere curam,quod locus depoſitorum ſit ita firmus, & ſecurus in omnem euentum, quod nec ab interioribus, nec ab exterioribus, poſsit aliquatenus temeraria manus ad depoſitum aliquod,vnquam extendi. Porrò in recipiendo depoſita cauere debent, ne vnquam recipiant aliquod depoſitum, ſine licentia ſpeciali, vel generali:Nec depoſita recipiant,quæ ſecundum conſtitutiones,recipi non debent, niſi fortè ex diſpenſatione prælati expreſſe facta ſuper hoc,iterdum ex cauſa.Item circa deponentem, ſi ſit ignota perſona, & poſsit haberi ſuſpicio probabiliter, ne forte aliquid fraudis ſit in eo,procedendum eſt caute, vt ante receptionem depoſiti inquiratur,ſicut fieri poterit de perſona, & quod videatur quid deponere vellit. Rurſus depoſitarij,computum, & veram rationem ſunt reddituri omnium, quæ in depoſito eis ſunt tardita, tam à procuratore, quam à commendatore & fratribus, & librum habere debent, in quo omnia ſigillatim ſcribantur &fideliſsime. Item cauendum eſt depoſitarijs,

ne vnquam aliquid accipiant de depoſito, nec etiam pro mutuo, ſine voluntate deponentis. Nec depoſitarius tenetur ſuper hoc incontrarium obedire prælato. Item, depoſitum, ſemper reddi debet ſecundum formam traditam à deponente, niſi in caſibus quatuor exceptis à iure. Primus eſt cum quis gladium deponit, & furens repetit. Secundus cum deponens fuerit deportatus. Nam bona eius tunc in publicum deferuntur. Tertius eſt cum fur deponit, & repetit, ſed repetitio domini cum fure concurrit. Quartus cum fur rem furtiuam deponit apud illum, à quo ſurripuit. Et ſciendum quia ſi res deponitur præſente prælato, & capitulo, tenetur eccleſia illa de depoſito, aliter non niſi ſolus ille, vel illi, apud quos deponitur, vt Sacriſta, theſaurarius, & huiuſmodi. Cum autem redditur depoſitum ſemper ſub bono teſtimonio reddi debet, propter calumnias euitandas, quæ naſci poſſent ſi aliter fieret.

¶ *De officio Procuratoris.*

PRocurator licet verſetur circa temporalia, tamen quantæ virtutis debeat eſſe, debet conſiderari, ex verbis Beati Benedicti, deſtatu cellerarij (qui apud nos procurator vocatur) ſic loquentis. Cellerarius monaſterij eligatur de congregatione, ſapiens, maturus moribus, ſobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniurioſus, non tardus, non prodigus, ſed timens Deum. Qui in congregatione ſicut pater curam gerat de omnibus, ſine iuſſione patris nihil faciat, quæ iubentur cuſtodiat, fratres non contriſtet. Siquis frater, ab eo, forte rationabiliter, aliqua poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed cum humilitate male petenti deneget. Animam ſuam cuſtodiat, memor ſemper illius Apoſtolici præcepti. Qui bené miniſtrat, gradum bonum ſibi acquirit. Infirmorum, infantum, hoſpitum, pauperumque, cum omni ſolicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quod pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus eſt. Omnia

Apoſtolici præcepti.

vaſa

vasa monasterij, cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendũ, nec auaritiæ studeat, nec prodigus sit, aut extirpator substãtiæ ipsius monasterij: sed omnia mensurate faciat, secundum iussionem Abbatis sui. Humilitatem autem super omnia habeat, & cum ex substantia non est quod tribuatur, sermo bonus responsionis porrigatur vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Omnia, quæ ei iniunxerit Abbas, ipsa habeat sub cura sua, à quibus eum prohibuerit non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho, vel mora offerat, vt non scandalizentur, memor eloquij diuini: quid mereatur: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Si congregatio fuerit magna, dentur ei solatia, à quibus adiutus, & ipse æquo animo adimpleat officium suum. Horis competentibus dentur, quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt, vt nemo perturbetur, nec contristetur in domo Domini.

Verba Christi expendenda.

¶ De officio Magisti nouitiorum.

OFficium magistri nouitiorum est, in primis inquirere à Commendatore, quam potestatem velit eum habere super nouicios, in confessione & dandis licentijs de loquendo, & huiusmodi, & in prouidendo eis in necessitatibus quo ad vestes, quo ad ieiunia, & alijs huiusmodi. Itẽ quas licentias generales vult ei dare, ratione officij quo ad persõam suã, siue de loquendo cum omnibus, siue cum solis nouitijs, vel in tractando officinas, vel de remanendo ab horis interdum, & cauere ne licentias petat, vel recipiat, nisi, quas rationabiliter reputat sibi necessarias, propter officium suum, & quod ipsis ad aliud non abutatur. Item diligentiam magnam debet apponere circa nouitios, sciẽs quod tota spes eorum, & religionis, dependet ex informatione eorum primitiua. Se quoq;

eis

Amabiles debēt esse prælati, & officiales omnes erga nouitios, vt perseuerent.

eis tam amabilem debet reddere, quod sit eis ex hoc occasio libentius in ordine remanendi. Item, respicienda sunt ab eo diligenter ea, quæ habentur in constitutionibus, ad eum spectantia, & complenda sunt discrete, & prudenter valde,

¶ *Circa ingressum nouitiorum.*

Item, cum aliquis debet religionem ingredi, ducendus est à magistro in aliquem locum extra capitulum idoneū, & ante quam intret capitulum, ibidem debet dicere aliqua verba cō solatoria, & interrogare de his, quæ in capitulo publice sunt inquirenda. Et si inuenerit in eo aliquod impedimentum debet hoc notificare illi, qui habet eum recipere, antequam vlterius procedatur, & fiat tunc quod ei videbitur faciendū. Si vero nihil talium inuenerit, nihilominus debet ei dicere, quod hæc inquirentur ab eo in capitulo, & quomodo debeat respondere. Item, ibidem debet eum instruere, quo modo sit venia facienda in capitulo. Deinde in choro, & si viderit expedire ei, ipse magister faciat, vel ab alio fratre fieri faciat coram illo, vt melius sic addiscat. Item debet eū instruere, quid debeat facere, vel respō dere in capitulo, ad ea, quæ dicentur ei, secundum quod scriptū est in constitutionibus, & quid post modum sit ei faciendum in choro cū illuc ducitur. Item debet prouidere, quod omnia pertinentia ad vestes sint parata in capitulo antequam eum inducat. Postea debet eū introducere, & vsque ad locū veniæ ducere, & ibidem propè eum stare, & dirigere si necesse fuerit in agē dis, & iuuare ad ipsum vestiendum. Et egrediente conuentu, ipsum ducere in fine, vsque ad locum veniæ ante altare, & ibidem interim propè eum stare, quo vsque finitis orationibus fuerit erigendus ab ipso. Quo erecto ducendus est ab ipso, extracto aliquantulum caputio, ad receptorem, & aqua benedicta aspersus, ad osculum est recipiēdus, & ab omnibus fratribus per choros discurrendo, & primo per dextrum, deinde per sinistrum ipso magistro semper eum sociante, & in omnibus eum dirigē te. Deinde ad locum tonsionum immediate est ducendus ab ipso,

so, prouiso primo quod in hoc nullus sit defectus. Facta autem tonsura & rasura, postmodum cito hora competenti, ducendus est ad locum, vbi deponat omnes vestes sæculares, & sotulares & solum ea, quæ sunt religionis deinde habeat. In remotione sæcularium vestium, & indutione regularium curialiter est instruendus.

¶ Circa professionem.

PORRÒ vt sciatur quando sit completus annus probationis, scribenda est ab ipso dies receptionis; & appropinquante termino anni, animandus est ab ipso ad profitendum, si viderit eum vtilem pro ordine & religione, aliter nó. Et cum petierit recipi ad professionem, ante diem professionis petitionem eius in capitulo proponere debet, & de eo cum requisitus fuerit, siue pro eo, siue contra eum, fidele testimonium perhibere. Ita tamen, quod per testimonium, vel consilium suum, nulla mala suspicio possit in cordibus fratrum de ipso generari, de aliquibus illorum malorum, (siquę sunt,) quę ipse per confessionem nouit, & alias ab alijs nesciuntur. Sanè quando recipiendus fuerit nouitius ad professionem, assignanda est dies professionis: & ante illam instruere eum debet in omnibus, quæ ei tunc fuerint agenda, videlicet qualiter sit venia facienda, & ad verbum dicentis: Quid petis, respondendum esse misericordiam Dei, & vestram. Et cum erectus fuerit, & propositum ei fuerit de voluntate profitendi, quid respondendum, & quo modo verba professionis sunt ei corde tenus retinenda, & quo modo flexis genibus, inter manus recipientis sunt dicenda, & quo modo ante quam dicat illa si vult petat, quod mutet ei in professione alia vota, si quæ alia habeat. Deinde quomodo solus ille, qui recipit ad professionem, post illum receptum, recipit eum ad osculum pacis. Ad ipsum etiam pertinet prouidere, quod aqua benedicta, & liber, in quo est oratio benedictionis vestiũ, sint in promptu, & benedicendam vestem offerre benedicenti, & deinde professo tradere: post modum autem, debet mitte-

Per professionẽ possunt commutari alia vota.

re professum ad locum suum. Si autem viderit expedire, debet suggerere Commendatori, quod adhuc ad maiorem humilitatem, & informationem, sit cum alijs nouitijs in capitulo corũ, & sub cura sua ad tempus, secundum quod vtilitas illius, & ordinis requirit.

¶ Circa repulsam.

ITem ipsius interest, cũ aliquis minus bene se habet in probatione, circa tẽpus professionis, consulere quod adhuc stet in probatione, nisi omnino sit certum, quod nullatenus expediat, quod recipiatur, & hoc ad videndum si melius se habebit, cum protestatione tamen quod adhuc tanquam nouitius, & solum ad probationem retinetur. Si ergo, bene se postea habuerit debet ipsi postmodum adiutorium præstare, quod ad professionem recipiatur. Si autem non fuerit spes in processu temporis quod bene se habeat, procurandum est ei, tam apud nouitium, quam apud fratres quod recedat, & dandum est ei consilium, & auxilium quod in aliqua religione sibi magis competenti ponatur. Non autem debet esse facilis ad repellendum, nisi magnæ causæ concurrant, Et fratribus minus rationabiliter motis ad repellendum eum, prout melius potest bono modo contrarium persuadendo; pro nouitio stare. Nunquam autem repellendus videtur inuitus nouitius pro illiteratura, vel impotentia aliqua, vel deformitate corporali, & huiusmodi defectibus, qui ab initio noti fuerũt fratribus, nec propter infirmitatem superuenientẽ, nisi à principio receptionis facta fuisset protestatio expressa quod pro huiusmodi casibus, vel pro sola voluntate possunt eum fratres repellere, si vellent. Cum autem recedere debebit, prouidendum est solicite ipsi à magistro, quod tam vrbane, & caute, & occulte, & cum omnibus bonis suis, quæ portare voluerit recedat, quod alijs non sit scandalum, nec ipse scandalizatus recedat, sed potius quantum fieri poterit ædificatus, & cum amore ordinis, & fratrum.

Circa

¶ Circa ſcholam, & capitulum.

ITem ad eum pertinet laborare, quod aliquis locus ſequeſter, & remotus ab acceſſu ſæcularium, & idoneus habeatur, qui ſit quaſi ſchola nouitiorum, ad quam ducendi ſunt, cũ ipſe, vel alius frater, habuerit loqui cum eis de eorum neceſſitatibus, & de quocunque alio. In hoc loco inſtruendi ſunt in cantu, & in legendo, quæ neſciunt, & addiſcere poſſunt. In hoc repetendum eſt ab eis quicquid habent legere, vel cantare in conuentu, & auſcultandum, & reddendum corde tenus illud quod de pſalterio, & diuino officio corde tenus ſcire oportet, videlicet officium mortuorum, & de Beata Virgine, pſalmi de horis diurnis, & veſperarum per ferias. In hoc faciendæ ſunt eis admonitiones interdum, vel collationes, vel colloquutiones ædificatoriæ, ab ipſo, vel fratribus ad hæc gratioſis, ipſo procurante, & familiares colloquutiones, & conſolationes. Cauendum tamen eſt ei, ne fratres quicunque adiungant ſe eis ſua voluntate, niſi de ſua licentia, & quibus viderit expedire. In hoc etiam loco docendi ſunt de regula, de conſtitutionibus, de officio, & alijs, quæ in docendo loquutionem requirunt. In hoc etiam loco (ſi alius aptior non habetur) tenendum eſt eis capitulum, in quo cauendum eſt, quod nouitius per multos dies non accuſet ſe nec accuſetur, quouſque ſæpe viderit quomodo alij ſe accuſant, vel accuſantur. Nec moleſtandi ſunt in aliquo pro culpis, quas in primis incurrunt. Si vero non fuerit niſi vnus nouitius, vel duo, mittendi ſunt aliqui de iuuenibus profeſsis ad capitulum eorum, qui coram ſe accuſando multis diebus, exemplo eorum eos doceant, quo modo ſunt huiuſmodi facienda. Cauendum eſt autem ipſi magiſtro ne in capitulo eorum aliquid fiat, quod alicui verecundiam inducat, & quod modus capituli ſcriptus in conſtitutionibus bene ſeruetur, & quod magis informationi eorum intendat, quam punitioni culparum. Sunt etiam inſtruendi quod ad locum capituli ſui cõueniant. Cũ in capitulo

fratrum dicitur exeant nouitij: Si tunc debet eis capitulum teneri, vel alio tempore cum teneri debet, quomodo finito capitulo recipiant disciplinas, qui recipere debet. Et postea, vel alio certo tempore, & loco assignato, ab eo loqui de confessione. Cum autem tanta fuerit multitudo nouitiorum, quod magister non potest plene sufficere omnibus, potest aliquibus magis nouis, aliquos magis instructos assignare, qui circa eos curam habeant de aliquibus, prout eis videbitur expedire. Non tamen debet ita alijs imponere onus, quin ipse nihilominus sit frequenter cum eis, & eis quantum poterit intendat.

¶ *Circa necessitates.*

ITem ipsis nouitijs semper piè compatiens, debet cogitare, quod competenter secundum quod ordo, & facultates permittunt, habeant necessaria in victu, inuestitu, in lecto in infirmitatibus, & huiusmodi, dispensare quandoque cum necessitas fuerit in vigilijs, & facile in ieiunijs ordinis. Cauere etiam debet, ne singularitatibus aliquibus, in abstinentijs, vel vigilijs, vel alijs afflictionibus indiscretis, cóterant corpus suum. Porrò circa paupertatem, & necessitates, quas interdum secundum ordinem oportet sustinere, sic debet eos animare, & ab omni superflua recreatione retrahere, vt à principio quantum fieri potest asperis assueti, semper ordinem tolerabilius ferant: Et declinare prout commode potest, vt causa recreationis ad commune hospitium, vel minutionem, vel infirmitorium (vbi interdum fiunt dissolutiones maiores) non ferantur, sed alibi ducantur. Et cũ oportebit ducere illuc, Habeatur cura ab ipso, vel ab alio qđ tarde veniãt, & cito recedãt, & fratres cauti reddãtur, quod corã eis dissolutiones nó fiãt. Ipsos quoq; debet nouitios cófortare, quod in quibuscunq; aliquo indiguerint ad eũ sicut ad patrem recurrant, & sciant vbi poterunt eum inuenire. Debet etiam & docere eos, quomodo in necessitate, in loco silentij, per vnam dictionem, vel imperfecte, loqui possint, & quomodo

modo in huiusmodi locis, digito ori superpositio, sciant petere licentiam loquendi.

¶ Quo ad membra sua.

ITem ipsius officium est informare diligenter, & solicite nouitios circa hominem exteriorem, & interiorem. Circa exteriorem quo ad membra sua, vt manibus caueant ab omni tactu indecenti, & ab iniurioso, pedibus à vagis & incertis discursibus, & ne intrent loca prohibita. Cum sederint, ne coxas nimis disiunctas teneant, vel vnam tibiam super aliam ponant, cum maturitate incedant, neque se moueant de facili ad eundū sine causa præmeditata. Cum autem steterint, non sicut arundo mobilis, sed potius appareāt sicut fixi super gradum suum. Oculis quoque caueant ab intuitu rei, quam non licet concupiscere, à vagatione, ab hausti vanitatis, & aspectu turpi, & curioso. Linguam assuescant refrenare licet inuitam, & libentius audiant, quam loquantur. Cum autem loquendum fuerit pauca sint verba, & prius ad limam, quam ad linguam veniāt. Omnibus autem cum reuerentia loquantur per pluralem, dicendo potius, vos, quam per singularem, tu. Nunquam de fratre, vel fratribus loquendo, vocent eū sine additionibus huius nominis, frater, nec nomen nouum imponant fratri, vel impositum recitent vllo modo, nec aliquid cū iuramento quantumcunq; leui more sæcularium proferant. Cum autem maioribus loquuntur, semper, caputium extrahant. Vultum non tristem habeant sed iocundum moderate. Os ad cachinnos, vel ad risus dissolutos pronum non habeāt, licet ad risus mediocres ipsum interdum aperiri sit tolerabile. Ceruicem, & collum erectum non habeant, sed potius mediocriter inclinatum. Iram, vel impatientiam in vultu, vel actu aliquo non ostendant. Supercilia non erecta, sed potius depressa habeant. Aures, non ad rumores sæculares, & ociosa, sed ea, quæ Dei sunt, & salutaria, faciles, & veloces habeant. Nares ad fœtores aliquos, si occurrant, non sicut delicati cum scandalo intuentium nimis notabiliter ob-

turent, sed pro odoribus, in quibus male delectati fuerant in sæculo, in præsentia ista patienter ferant. Quod in faciendo venias non posternant se super ventrem, sed super latus,, & in longum tibiam vnam super aliam tibiam tenendo. In inclinationibus vero vsque circa genua caput deponant. In genu flexionibus, stent super genua, capite eleuato.

De officio Zelatoris, vel circatoris.

CVm in ordine nostro silentium certis temporibus obseruare præceptum sit, in quolibet conuentu ordinis nostri frater specialis assignetur, cui ex officio incumbat circuire per totã domum, & per omnes officinas, & per omnia alia loca infra ambitum clausuræ exterioris semel vel pluries in die, vel in nocte, cũ viderit expedire, & si alicubi, fratrẽ, vel fratres, inuenerit, qui contra religionẽ, vel debitã honestatẽ regulæ aliquid loquuti, vel facti fuerint, authoritatem habeat illos verbo tantũ reprehendendi, & corrigendi. Quod si in trãsitu apud aliquos, dissolutiones aliquas viderit, Prælato suo, vt illas corrigat, & emendet tempore suo manifestabit, ita tamen quod tota domus, & conuentus in maxima tranquillitate, & quiete, temporibus silentij permaneat. Si autem circator, vel zelator à conuẽtu recesserit, vel aliqua infirmitatis causa impeditus fuerit, Cõmendator, seu prælatus vices suas alteri fratri committat. Notandum tamen est quod propter huiusmodi officij circatoris nominationem, non intendimus Commendatores, & Prælatos nostros ab huiusmodi exercitio exonerare, & excusare, imo de nouo eis præcipitur, vt tam circa custodiam domus, & claues ostiorum, quam circa quietem, & tranquillitatem domus, tanquam veri pastores diligenter vigilent, & curent.

¶ *De officio sacristæ.*

SAcrista debet esse diligens circa ista. Primo in ecclesia, de qua debet habere curã, vt semper mũda, & purgata ab araneis,

neis & alijs ſordibus ſit, ita tamẽ (vt ſi fieri poteſt) in maioribus feſtiuitatibus in eſtate, herbas virentes, vel ramunculos aliquarum arborum, & in hieme paleas in choro, & preſbyterio, & per totam eccleſiam ſternere: Maxima etiam habenda eſt cura de coopertorijs eccleſiæ, ne vnquam pluat in eccleſia, de clauibus oſtiorum omniũ, ſub quibus vaſa aurea, indumenta, calices, & cætera omnia continentur. Debet etiam curare de habẽdis lampadibus, & oleo, cera, candelis cereis, & candelabris cõpetentibus, tã circa altare maius, quã circa miniſteria, quę fiunt in eccleſia. Notabiliter tamen debet eſſe diligens circa ſacramenta & ſacramentalia, ſcilicet quod ſacramentũ euchariſtiæ poſitum, & reconditum ſit in vaſe apto, & ad hoc bene diſpoſito. Item oleum infirmorum ad faciendum extremã vnctionem ſemper habeatur in domo, & in honeſta ampula, quæ omnia ſub tuta cuſtodia ſeruẽtur. Semper in vaſe in quo ſacramentum euchariſtiæ ſeruatur, præter formã, & hoſtiam maiuſculam, ſint etiam hoſtiæ quædam paruulæ, ad communicandũ infirmos fratres, & familiares noſtros, ſi opus fuerit, iſtæ tamẽ hoſtiæ ſic reſeruentur, vt in æſtate de octauo in octauum diẽ, & in hieme de quindena in quindenam renouentur, & aliæ huiuſmodi à ſacriſta conſecrentur, & reſeruentur. Caueat autem ſacriſta ne huiuſmodi hoſtiæ propter loci humectationem, vel aliquam aliam indecentiam corrumpantur. Item ad officium eius pertinet apponere curam, quam poteſt, quod calices, libros, indumenta pro miniſtris, & ornamenta pro altaribus honeſta, pulchra, & diuerſa ſecundum diuerſitatem temporum, & feſtorũ, ita quod in diebus feſtiuis meliora producantur. Debet etiã curare de reliquijs quod in vaſis pulchris, & decentibus conſeruẽtur, & in diebus, & feſtis maioribus debet aliquas reliquias, cruces, & imagines, ſuper altare, ad ornatũ, & decorem ponere. Vltimo curet diligenter ſacriſta quod altaria omnia, corporalia, & cętera omnia, quæ in vſus altarium, & miniſtrorum neceſſaria ſunt, quod ſic lauentur, vt ſemper munda, & nitida inueniantur: corporalia vero, & panniculi pro abſterſione calicum, & manuum, poſt vtimã ablutionem,

lauanda

lauãda sunt seperatim ab alijs,& lotio in piscina sacra mittẽda est. Cum autem consummata fuerint vetustate, comburenda sunt,& cineres in piscinam mittantur.

¶ De officio Magistri studentium.

Circa studium in genere.

SAne studium est religionis splendor, & maiestas quędam, & quo religiones magni ęstimantur apud reges & rempublicam,& quo cernitur & dignoscitur via,melius cognoscendi Deum. Officium magistri studentium est habere zelum,& curam specialem de studio promouendo,modis omnibus, quibus potest.Et ideo debet habere in memoria ea, quæ scripta sunt in constitutionibus,& ordinationibus, quæ emanauerint vel emanãt quotidie à capitulis vel generalibus,vel prouinciali bus à prouinciali,vel visitatoribus,circa studiũ,&dare operã vt diligẽter seruẽtur. Ipsius etiã est notare diligẽter, & suggerere ad monitiones, quas reputat expedire fieri fratribus pro studij promotione in domo.Debet quoq; solicitare commendatorẽ & maiores vt procurentur libri,&scripta vtilia pro conuentu. Negligentias vero commendatoris, & fratrum circa studium prouinciali,& visitatoribus referre fideliter, & super his accusare eosdem,vel in domibus proprijs, vel mittere accusationẽ ad capitulum prouinciale.Interdum procurare etiam pro posse suo,laborare quod necessaria ad studium scilicet cellæ aptæ, atramentum,pœnæ, & pumices, sepum pro tempore ad lumen & similia sine defectu habeantur in domo, & fratribus, cum his indiguerint,ministrẽtur. Ipsius etiam est habere solicitudinem,quod habeantur scholę cõpetentes,& aptę in fenestris,& sedibus,& contra pluuiam bene munitæ. Et vbi veniunt sæculares debet prouidere quod recipiantur,& collocentur honorifice iuxta exigentiam sui status:Debet etiam procurare,vt disputationes scholasticę crebro fiãt & q̃ singulares opiniones nõ habeãt,& quod omnes in timore Domini dẽt operã literis.

De offi-

¶ De officio lectoris circa doctrinam.

OFficium boni lectoris est, conformare se capacitati auditorum, & vtilia, & expedientia, eis vtiliter, & intelligibiliter legere: Opiniones nouas refugere, & antiquas, & securiores tenere: ea quæ non bene intelligit, nunquam docere, à fastidiosa prolixitate quę accidere solet ex nimia repetitione eiusdem rei, aut ex inuolutione verborum, vel ex alijs causis, cauere semper. Dare operam, vt ex lectionibus suis proficiant auditores, aut circa veritatem librorum, aut circa quæstionum vtilium intelligentiam, aut circa aliqua quæ possunt ad morum ædificationem esse: Literam tantu legere relicta multitudine eorum, quæ dici possunt ad singula: Quod auditores sub eo proficiant ad sciendam Bibliam, & historias, & sententias, maxime lectiones, aut omnes, aut saltem vnam continuare libenter. Cũ vero vacationes fecerit, eligat illas illo tempore facere, quo solent fratres minus simul in domo manere. Tempore vero vacationum, & alio tempore libenter legere debet aliquid fratribus aliquibus in camera, qui habiles ad proficiendum in studio reputantur. Dubitantibus vero, & interrogantibus de aliquo debet benigne, & charitatiue satisfacere, prout potest, & scit. Cum vero exigente intelligentia & vtilitate auditorum interdum expedit disputare, eligenda est ab eo materia vtilis, & intelligibilis: maxime si sit disputatio inter minus peritos. Vt autem melius, & fructuosius officium exequatur debet studere diligenter, & præcipue in scriptis, quæ communi iudicio meliora reputantur, si illa potest habere. Et vt melius possit vacari studio, ab alijs occupationibus debet, siue in domo, siue extra, cum potest (salua obedientia) subtrahere se libenter. Cauẽdum est etiam ei à nimijs diuisionibus, & rationibus reddendis de sufficientia, & numero, & à friuolis expositionibus, & similibus, quæ certam veritatem non habent, & cogunt sæpe dicere alia, quam sanctorum, vel glosarum expositiones contineant, quæ maxime sunt sectandæ.

¶ De officio librarij.

Circa armarium.

OFficium librarij est habere curam vt potest, quod habeatur bonus locus, & securus, & bene aptus cõtra pluuiam, & intemperiem, & copiam habens boni aëris, pro libris custodiendis. Reponantur autem libri separatim, & non confusè: cum signationibus debitis factis per scripturam, quæ applicanda est vnicuique interstitio: vt sciatur vbi inueniatur quod quæritur. Debet autem ipse custodire clauem huius bibliothecę seu librariæ, & aperire, & claudere tempore suo: & habere cellam pro studio si locus est aptus in ipsa, vel prope eandem, vt citius inueniatur cum quæritur pro aliquo negocio ad suum officium pertinente.

¶ Circa libros.

ITem ad ipsum pertinet habere chartam, in qua sint scripti omnes libri conuentus, & cum augmentantur, vel minuuntur, scribere, vel abradere in charta illa, sicut fuerit faciendum Huiusmodi aũt chartã debet tradere successori suo cũ dimittit officiũ, & accipere à prædecessore cũ assumit officiũ de nouo, vt sicsemper possit reddi ratio de libris cũ exigitur à prælato, ne per obliuionem eos deperire contingat. Ipsius etiã interest habere curam quod per se, vel per alium, secundum ordinationem Commendatoris corrigantur, reparẽtur, cooperiantur, & bene ligentur, & signentur in vnoquoque volumine in tergo, cuiusmodi libri, vel liber sit, vel cuius scriptum, vel scripta contineantur in illo. Et si fuerit dignum quod donator libri in memoria habeatur, addatur, & dicatur, quem dedit talis pro anima sua. Debet etiam dare operam quod libri communes sub eo augmententur, acquirendo eleemosynas ad hoc

aliquas

aliquas cum poteſt, vel à nouitijs cum intrant, libros aliquos acquirendo, vel procurando erga maiores. Item debet apponere curã quod libri, qui nõ habentur in omni genere facultatũ habeantur. Cũ habẽtur aliqui duplices, vel triplices, de quibus fratres nõ multũ indigẽt retẽtis melioribus alij cũ licẽtia vendãtur, & pretiũ in alios vſus librorũ, qui nõ habẽtur cõuertatur, & idem fiat de veteribus, vel male legibilibus, vel alias parum valentibus. Item ſemel in anno, vel bis, debet omnes recolligere, & ad locum idoneum reportare, cum ſocijs ad hoc ſibi deputatis, ad vertendum & ad videndum, ne aliquis perierit, vel ne aliquis à vermibus deſtruatur. Quod ſi aliquem inuenerit deeſſe, debet diligenter laborare, quod reinueniatur. Si autem aliquis læſus fuerit in aliquo debet apponere curam quod reparetur, & cauere deinceps ab his, quæ libris inuenerit nocuiſſe. Et cum viderit aliquos libros de armario ociоſos, debet illos ad armarium reportare. Item ad ipſum pertinet prouidere, quod in aliquo loco ſilentij, & apto, ſit aliquis pulpitus magnus, vel plures, in quibus ligentur aliqui libri bene legibiles, quibus frequentius fratres indigent cũ habentur, vt eſt Biblia gloſſata in totũ, vel in parte, biblia ſine gloſa, ſummæ de caſibus, & de vitijs, & virtutibus, & de quæſtionibus, cõcordantiæ, interpretationes, decreta, decretales, diſputationes morales, ſermones varij de feſtis, de dominicis per totũ annũ, hiſtoriæ, ſententiæ, choronica, paſsiones, & legendæ ſanctorũ, hiſtoria eccleſiaſtica, & ſimilia multa, vt communitas fratrũ in promptu poſsit illa habere. Armariũ vero, ſic debet apertũ tenere certo tempore, vel eſſe iuxta eum, vel in ipſo, vt qui volunt aliquid in tranſitu videre in alijs libris, qui ſunt in eo, vel aliquem habere ad horam breuem, poſsint copiam eorum de facili habere. Porrò cum aliqui fratres volunt habere aliquem librũ, vel ſcriptũ aliquod nõ ad horã, ſed ad tenẽdũ din in cella, debet ſecundũ conſiliũ magiſtri ſtudẽtiũ id facere, & de licẽtia cõmẽdatoris, & facere memoriale in ſcripto, & ſumere cautionẽ. Fratres verò qui libros deturpauerint, vel in eis aliquid ꝓpria authoritate ſcripſerint, vel deleuerint, vel in quo negligẽ

ter, seu male tractauerint, aut in aliquo offenderint, circa pertinentia ad suũ officium, debet suo tẽpore proclamare, & admonitiones facere fratribus, & id suggerere prælato tẽpore opportuno. Item cum aliqui libri, vel scripta petuntur mutuo, debet super hoc memoriale fieri: vel pignus interdum accipi, ne contingat libros huiusmodi deperire. Qui vero mutuo accipiuntur ab alijs, debent per manus eius accipi, & ipse debet memoriale super hoc facere, & habere curam, quod bene custodiantur, & suo tempore sine mora traddantur, & pignus si datũ fuerit rehabeatur.

¶ *Forma instituendi visitatorem.*

IN Dei filio, &c. Cum vultum pecoris nostri iuxta Sapiẽtis præceptum cognoscere teneamur ex officio, diuersæ tamen, & graues occupationes, quibus nunc detinemur obsistunt, ne id per nos ipsos agere valeamus. Verũtamen tua nobis explorata, & comperta prudentia, & fides tanti apud nos valet, vt quod per tegerimus nos ipsos gessisse putemus. Ea propter cum conuentus noster. N. & N. hoc anno visitati non fuerint, & nos de ipsorum dispositione certiores fieri cupiamus, eorundem visitationem tibi committimus, Ideoq; authoritate officij nostri, & præsentium tenore te venerandum patrem fratrem. N. instituimus, & facimus visitatorem præfatorum conuentuum damusque tibi in, & super eis, & omnibus, & singulis personis ad eos pertinentibus, tam capitibus, quam membris omnem in spiritualibus, & tẽporalibus authoritatem, & potestatem, quã cæteri visitatores, ex cõstitutionibus nostris, vel approbata cõsuetudine habere solent. Mandantes tam tibi, &c.

¶ *Altera forma instituendi visitatorem.*

EGo F. N. Humilis magister generalis totius ordinis redẽptorum Beatæ Mariæ de Mercede: Seu prouincialis, &c. Cũ ex debito ministerij nostri officio, præpediti fuerimus, ita

vt

vt non fuerit nobis commodus, neque debitus transitus, & accessus ad visitanda omnia, & singula nostri ordinis, seu prouinciæ monasteria: ob graues occupationes, & ingentia alia negotia, quibus detinemur: idcirco, cum per nos ipsos, & propriam personam non omnia agere valeamus: tibi dilecto filio, & reuerendo patri. N. vices nostras in hac parte cõmittimus: vt cõuentus nostros, vel conuentum nostrum ciuitatis. N. visites tã in spiritualibus, quam in temporalibus: & tam in capite, quam in membris. Concedimusque tibi circa prædictam visitationẽ peragendam, iurisdictionem, & authoritatem plenariam in omnibus, & per omnia, ita vt quod per te gestum fuerit, robur habeat firmitatis, seruatis tamẽ nostri ordinis cõstitutionibus, ac ordinationibus, & his, ad quæ de iure teneris: liberaq; sit tibi potestas puniendi, emendandi, corrigendi, incarcerandi, & deponendi ab officio quemlibet fratrem prædicti conuẽtus, iuxta demerita, & culpas eius prout constitutiones nostræ disponunt, & de iure permittitur. Præcipimus autem in virtute spiritus sancti & sanctæ obedientiæ, & sub pœna excõmunionis maioris, cõmendatori, & fratribus dicti conuentus, vt te recipiant in visitatorem præfatum, cui debitam præstent obedientiam, & obseruantiam, in omnibus, ad prædictam visitationem pertinentibus. Alias nouerint Dei omnipotentis indignationem incursuros. In cuius rei testimonium hoc loco subscripsimus, & has literas sigillo nostri officij signauimus. Datis Salmanticæ, &c,

¶ *Forma dandi facultatem alienandi.*

IN Dei filio sibi Dilectis, venerãdis patribus cõmẽdatori, & fratribus nostri conuentus. N. ordinis, &c. Exposuistis nobis, quod pro victu, sustentatione, & nesitatibus fratrum vestri conuẽtus, coacti fuistis multa exponere, propter quod ære alieno, ac debitis obnoxij remansistis & remanetis, ad quorũ solutionem cum redditus annui, ac eleemosynę quotidianæ minimé sufficiant, necesse est vendere aliquid immobile, vt

creditoribus pro iustitia satisfiat. Ideoq; rogastis nos vt agrũ, seu fundum terræ, quam conuentus noster habet in loco. N. inter alia bona ad ipsum spectantia, minus vtilem, vendendi licentiam vobis concedere vellemus. Nos igitur qui iustitiam per debitorum solutionem seruari cupimus, & agrũ seu fundũ illum in loco. N. cuius valor annuus, centum aureos non excedere, & vobis minus vtilem esse credimus, authoritate Apostolica, vobis dictum agrum, seu fundum sub suis finibus, & terminis latius in contractu exprimendis, vendendi seu alias iusto contractu alienandi, licentiam & facultatem concedimus. Etiã alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunq; dummodo ad hoc accedat assensus duorum tertiorũ vestri capituli, & precium indictorum debitorum solutionem realiter, & cum effectu conuertatur. In quorum fidem, &c.

¶ *Forma recipiendi ad beneficia ordinis.*

IN Dei filio, &c. Deuotus vestræ charitatis affectus, quem ad nostrorũ ordinem vos habere multiplici grata fratrum nostrorũ relatione cognouimus, merito requirit, vt beneficia ordini nostro, Dei benignitate collata, vobis gratius impertiamur. Quare de omnipotentis Dei gratia, misericordia & liberalitate atque intemeratæ & sanctissimę Virginis, Matris Dei Marię patronæ ac dominæ nostræ, glorioſis meritis cõfisi, omnium missarum, orationum, prædicationum, studiorum, vigiliarum, ieiuniorum, abstinentiarũ, laborum, cæterorumque bonorum operum, ac meritorum, quæ per fratres & sorores nostras diuina bonitas (in nostra prouincia, vel in orbe fieri dederit) vniuerso, communionem & participationem concedimus, & elargimur. Vosq; ad ipsius ordinis, vel prouinciæ beneficia, & suffragia recipimus, & admittimus, in vita pariter & in morte, vt multiplici Sanctorum suffragiorum præsidio adiuti, sic augmẽtum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam. In quorum fidem, &c.

Alia

¶ *Alia forma recipiendi ad beneficia ordinis.*

FRater. N. Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, totius ordinis Beatiſsimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Humilis magiſter generalis: In Chriſto ſibi dilectis N. Salutem & Spiritus ſancti conſolationem precamur. Veſtræ deuotionis affectus, quem ad noſtrum ordinem vos habere percepimus, merito requirit, vt ſpiritualia beneficia noſtro ordini à Deo collata, vobis gratioſius impertiamur. Quare de omnipotentis Dei gratia, miſericordia, & liberalitate, atque intemeratæ, & ſanctiſsimæ Virginis matris Dei Mariæ patronæ, ac Dominæ noſtræ, glorioſis meritis, ac interceſsione confiſi, omnium miſſarum, ac ſacrificiorum, prædicationum, orationum, ieiuniorum, abſtinentiarū, vigiliarum, peregrinationum, & maxime laborum qui pro redimendis captiuis à poteſtate Sarracenorum ſuſcipiuntur, cæterorumq; bonorum, quæ per fratres, & ſorores noſtri ordinis, diuina bonitas in mundo fieri dederit vniuerſo, participationem & communicationem vobis concedimus: Voſq; ad eiuſmodi ordinis, vniuerſa & ſingula beneficia & ſuffragia recipimus, & admittimus in vita pariter & in morte, vt multiplici Sanctorum ſuffragiorum præſidio adiuti, hic remiſsionem pœnæ, augmẽtum gratiæ, & in futuro vitæ æternæ gaudia conſequamini. In nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Amen. In cuius teſtimonium manu propria ſubſcripſimus, & ſigillo mediocri noſtri ordinis ſignauimus. Datis, &c.

¶ *De iudicijs in ordine faciendis.*

AD iudicium procedit prælatus & iudex per inquiſitionẽ, & demum per ſententiã. In inquiſitione quidẽ, vtitur aliquãdo tormẽtis corporalibus (quanquã parce propter pietatẽ) vt eliciat à denuntiato confeſsionem, vel à teſte veritatem: Hoc enim in aliquibus obſeruatur, quòd precedente vehemẽti ſuſpi-

suspicione, vel habitis aliquibus particularibus testimonijs, mittitur quis in arrestū, & ibi atteritur abstinetijs, & disciplinis donec confiteatur, sed post confessionem in carcere, vel extra secundum demerita dignis pœnis subijciatur. Pro inquisitione, Notādum quod quædam peccata sunt occulta, vel omnino, ita quod ea nouit solus ille, qui fecit, vel quasi omnino, quia videlicet sciuntur tantum ab illo, qui fecit, & ab vno alio solo & de his si veniunt ad aures prælati, non potest fieri inquisitio, quia non potest quis conuinci nisi per duos testes, & si prælatus præcipiat vt se prodat, peccat, & delatus non tenetur respondere, non tamen licet mentiri. Quædam vero sunt occulta, quæ iam habent aliquos consortes, de quibus Ephes. 5. Quæ in occulto fiunt ab ipsis turpe est dicere: Ab ipsis (inquit) in plurali. Pluralis autem locutio, duorū numero contenta est. ff. de verborum signifi. l. Pluralis, & hæc si veniant ad aures prælati etiam per modum probabilis relationis, non debet illa quamuis semel audita relinquere indiscussa, extra de collusione detegenda. c. Crimina, sed debet illa memoriæ commendare in scripto, vt si notatus fuerit de eodem facto, vel simili, magis eius opinio aggrauetur, & ad examen, ac vindictam magis dispositus habeatur. Debet tamen delatum monere seorsum, & si sub protestatione non publicandi fatetur, puniat eum per orationes, per abstinentias, & disciplinas secretas, & per aliquam, prohibitionē ad cautelam de futuro. Si autem negauerit, vel non confitetur, durioribus verbis, secreto tamen increpetur, & diligentius obseruetur. Potest etiam aliquando dissimulare, vel vt deferat per scenæ, quæ hactenus fuit claræ opinionis, vel quia magnitudo facti scandalum, vel schisma faceret propter eum, qui fauorem habet potentum, vel sociam multitudinem, & sic veritas iustitiæ propter scandalum quandoque relinquitur, & aptius tempus expectatur. Quædam itē sunt quasi occulta, quæ ab aliquibus dicuntur, & à plerisque nesciuntur, & ab aliquibus reputatur innocens, à quibusdam, è contrario noxius, in huiusmodi debet Prælatus considerare, & scrutari mores denuntiati, qualiter se habuerit in alijs locis, cuius meriti, zeli, & numeri sint,

qui

qui ipſum deliquiſſe putant, aut qui pro eius innocentia dicũt, & tunc coram ſenioribus, & pluribus ad placitum eſt examinandus, ſecundum formam infra ſcriptam, & iuxta conſilium ſeniorum reſtringendus, & in caſibus grauioribus claudendus, & commendandus diligentiori cuſtodiæ, ac per pœnas abſtinentiæ, &c. inducendus eſt ad confeſsionẽ.

Quędam demum peccata ſunt reuelata, vel manifeſtata, quę videlicet per infamiam ad aures multorum deferuntur: in his prælatus deſcendere debet ad inquiſitionem. 2. q. 1. Deus omnipotens, Et videre vtrum clamor, qui venit ad eum opere ſit completus, ita quod non poteſt ſine ſcandalo præterire, Hic ſi probationes deficiunt, & infamia perſeuerat, indicenda eſt infamato purgatio canonica, quæ non ſolum pro clericis, ſed etiã pro religioſis introducta reperitur. 4. q. 3. Item ſæpe, & extra de purgatione canonica, Moniales, & in quibuſdã prouincijs recepta: in prouincijs vero, in quibus non eſt recepta, poteſt prę latus reum purgare quando poſt arreſtum, & præceptum, & pœnas diſciplinarum, & ieiuniorum ſibi illatas non confitetur, dũmodo nó ſint accuſatores, aut teſtes facti, & declarare eũ liberum ab infamia. Porrò numerus purgatorum, ſeu compurgantium, arbitrarius eſt, & poteſt diſsimulari iuramentum, ſi ſunt maturi & probi. Quia ſub teſtimonio conſcientiarũ ſuarum poſſunt dicere quod credũt de Reo, hoc modo, Propoſitis articulis interrogetur reus per præceptum, vel per excommunicationis ſententiam, ſi negat, ſurgens compurgator dicat per conſcientiam ſuam quod credit ipſum verum dixiſſe, & quod credit ipſum de depoſitis innocẽtẽ eſſe. Si autẽ præſtare noluerit prugationẽ, vel in pręſtãdo defecerit, canonica eſt animaduerſione puniẽdus. Si crimẽ ſit notoriũ, vel accuſator offerat ſe ad probationẽ, nõ debet prælatus recipere purgationem, etiã ſi infamatus offerat ſe daturũ. Notãdũ ꝙ ſiue ex relatu, ſiue ex ſuſpitione, ſiue exfama agatur, multũ refert, vtrum is, cõtra quẽ agitur ſit prælatus, ſeu perſona publica, an ſubditus, vel priuata, nam prælati, quos oportet alios arguere, & caſtigare, multorum captionibus obiiciuntur, ideo, &c.

Testes si deponunt de auditu probant infamiam, & sequitur inquisitio, si deponunt de facto sequitur pœna, vtrobique recipiuntur testes singulares super factis iterabilibus, vt sunt carnis peccata, & detractiones famosæ, vel blasphemiæ, furta, &c. Vbique super infamia recipi debent testes, vt procedatur ad inquisitionem, & contra personam regularem non est expectandus clamor, sed sufficit delatio, quæ fit à pluribus ordinem diligentibus, beneuolis, & zelantibus honorem ordinis, alias testimonium de auditu debile est, & aliquãdo etiam si multiplicetur vix vnius testis authoritatem habet, Nam centum possunt audiuisse ab vno, & quantum valet illius testimonium, tantum valet omnium. Rursus vnus potest audiuisse à centum, & illis abeuntibus, aut absentibus, solus ipse relinquitur. Quando ergo testibus est agendum, idonei reputari possunt socij, siue sint eiusdem ordinis, siue non. Contubernales, vbi factum esse dicitur. Item qui passi sunt, &c.

In iudicijs caueat summopere prælatus, à verbis contumelioſis contra inquisitum, siue Reum.

¶ *Forma inquisitionis contra denunciatum, aut infamatum.*

NOs frater. N. accepta à pluribus fidedignis denunciatione, vel clamosa insinuatione, & fama pulsati contra te fratrem. N. quod contra votum paupertatis per occultam rerum, vel pecuniarum detentionem, aut acceptionem feceris, vel quod contra votum castitatis per actus carnales in secundam personam deliqueris, vel quod per linguæ lubricitatem grauiter nonnullis detraxeris, eosque infamaueris, & volentes ex officio prouidere, vt cum emendatione personæ delicta vindicentur, ad iudicium descendentes te primo, secundo, & tertio monemus, & hortamur ad veritatem dicendam, & tibi in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna conuicti, vel excommunicationis, præcipimus, vt ad interrogata, & quæsita

sine

ſine tergiuerſatione meram,ſimplicem,& nudam veritatem re ſpondeas.Dat.Romæ.die.6.Maij.1588.

¶ *Forma examinis.*

COram reuerendo patre fratre.N.die. 6.Maij.1588. perſonaliter conſtitutus. F. N. præcepto ſupra ſcripto ſibi facto,& intelligibiliter lecto,& ab eo audito de veritate dicenda reſpondit vt ſequitur. Interrogatus an pecunias habuerit,habeat, aut expenderit ſine licentia ſuperiorum ſuorum reſpondit.Ego habeo pecunias,quæ miſſæ mihi fuerunt à Magnifico. D. A. pro quibuſdam negotijs ipſum tangentibus. In fine vero: acta ſunt hæc die ſupradicta, & fideliter ſcripta per me fratrem.N.ad hæc ſpecialiter notarium, & ſcribam vocatum & eidem inquiſito de verbo ad verbum lecta, & repetita: qui faſſus eſt ſe ita reſpondiſſe prout iacent, & in fidem propria manu ſubſcripſit, Die qua ſupra(vel ſi ipſe neſcit ſcribere) teſtibus fratre.N.& fratre.N.ad hęc vocatis, qui propria manu ſubſcripſerunt, &c.

¶ *De modo procedendi per accuſationem.*

SEcundo procedit Prælatus contra reum per accuſationem & tunc oportet vtrumque ſcilicet accuſantem, & accuſatum eſſe præſentem, & fit ſcriptio.i. quod accuſans obligat ſe ad pœnam talionis,hoc eſt ad ſubeundum pœnam illam ſi ſuccubuerit,quam ferre debuiſſet accuſatus,ſi conuictus fuiſſet:debet autem accuſandus citari ſic.

¶ *Forma citationis ad eum,qui accuſari debet.*

NOs frater.N.non valentes,nec volentes cuiquã petenti negare iuſtitiam,neq; in abſentem aut inauditũ proferre ſententiam tibi venerando. P. F. N. notum facimus, quod contra te obijciuntur quædam, quæ formam ſequuntur accuſationis. Propterea ad requiſitionem eius, qui

te accuſare intendit,primo,ſecundo, & tertio peremptorie te monemus,ac in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna conuicti,vel carceris tibi præcipimus, vt intra ſex dies, vel horas, quarum duas primas pro primo,duas alias pro ſecũdo, & duas vltimas pro tertio,& peremptorio termino aſsignamus, corã nobis in conuentu.N.perſonaliter comparuiſſe,& te præſentaſſe debeas,reſponſurus his,quorum accuſatus fueris: alias ſi contumax fueris,ad ſententiam procedemus,& ad alia, quæ contumacibus inferri ſolent.De harum autem tibi facta præſentatione,latori præſentium fidem dabimus.Dat.&c.

¶ *Forma accuſationis.*

CORam vobis reuerẽdo patre.F.N.Ego frater.N.propono accuſando,& in his ſcriptis proponẽdo accuſo F.N.quod cõmiſit furtum in eccleſia.N. vel peccatũ tale fecit, & quia hoc eſt grauiſsimum ſcelus,& enormis iniquitas, ideo peto iuſtitiã deſuper fieri,& offero me per præſentes ad probandum,faciens prædictam accuſationem,& proponens tam verbo,quam ſcripto.Die.6.Maij. 1588. Conteſtata cauſa,dãtur probationes,& inducũtur teſtes, qui ſub præcepto examinantur,Deinde datis articulis,& probationibus citatur,& per præceptum examinatur accuſatus,& ſi confitetur,aut conuincitur, procedit iudex ad ſententiam,& pœnas peccato condignas,ſi accuſans in probatione defecerit,ſubit pœnam talionis, ſi teſtes inueniuntur falſi grauiter,& ſeuere puniuntur.

¶ *Forma condemnandi conuictum, per accuſatorem.*

NOs F. N. &c.In cauſa, & cauſis contra te. F. B. coram nobis pendente,& per proceſſus in ſcripto formatos deducta. Cum per accuſationem a. F.N. coram nobis cum inſcriptione propoſitam accuſatus fuiſſes, quod furtum tale

tale commiseras, & per productos idoneos testes, sub præcepto examinatos, datis tibi defensionibus idem furtum feciſſe conuictus fueris. Nos vero vt ad finem cauſæ per diffinitiuam ſententiam procedere vellemus, inſtanter fuerimus requiſiti, vt iuſtitiæ deferamus, ad ſententiam hoc modo deuenimus: Videlicet. Quia ſedentes in camera noſtra in ſella, quam pro tribunali, & loco iudicij elegimus, Deum, & iuſtitiam præ oculis habentes, Accuſatione, atteſtationibus, defenſionibus, & dictis vtriuſque partis auditis, & viſis, & omnibus diligenter inſpectis, peritorum etiam conſilio deſuper habito, Chriſti nomine inuocato, dicimus, pronunciamus & ſententiamus te. F. B. quamuis non confeſſum, conuictum tamen eſſe criminis furti talis, & tanquam conuictum, & reum damnamus, cumque aliter non ſit ſoluendo, decernimus vt per pœnas culpæ ſatisfacias, & miſericorditer tecum agendo arcto carceri per tres annos addicimus ibidem tribus diebus qualibet hebdomada per annum integrum, pannis & aquæ ieiunio, ac ſingulis menſibus vna feria ſexta diſciplina circulari in capitulo, & proſtrationibus ad ianuam refectorij tranſeuntibus ante, & poſt prandium fratribus, flagellandum, affligendum, & humiliandum. Reſeruantes tamen nobis facultatem remittendi, & moderandi pœnas prædictas, vel totaliter relaxandi ſi confeſſus culpam humiliter petieris veniam, & emendationem promiſeris. Acta, lata & lecta fuit hæc ſententia in camera tali per me fratrem. N. præſente, & audiente præfato. F. N. & teſtibus infraſcriptis, qui propria manu ſubſcripſerunt. Die. 6. Maij 1588.

¶ *Forma ſententiæ contra denuntiatum confeſſum.*

NOs. F. N. &c. in cauſa, & cauſis contra te. F. B. coram nobis pendente, & per proceſſus in ſcripto formatos deducta, & deductis, ad vltimatam concluſionem per diffinitiuam ſententiam pro iuſtitia, & ex officio procedere

volentes. Cum per publicam famam, vel potius infamiam, vel(cum per plurium religiosorum, & discretorum fatrum denuntiationem) ad nostram notitiam perlatum fuisset te, F. N.præfatum,in prælatum tuum, clam tamen,& non publice manus iniecisse temere violentas,certius informandi vtrum clamorem opere compleueris, ad examen descendimus. Adhibitis ergo, & sub præcepto examinatis testibus idoneis, in certam, & probatam facti cognitionem venimus, quam euestigio confirmauit confessio tua, primum in arresto excussa, & demum extra illud repetita, ideoque sedentes in camera nostra in sella, quam pro tribunali, & loco iudicij elegimus, Deum, & iustitiam præ oculis habentes,Christi nomine inuocato pronuntiamus, & sententiamus contra te. Videlicet quia manus in prælatum iniecisti temere violentas, te in pœnas in constitutionibus nostris huiusmodi culpæ appositas incurrisse, & propterea carceri addicimus, & addictum esse declaramus per tres annos ibidem disciplinis, & ieiunijs panis, & aquæ macerandum, & flagellandum semel, qualibet hebdomada, per tres menses, reseruantes nobis, & prudentiæ, & discretioni præsidentis facultatem moderandi prædicta ieiunia,& disciplinas.Acta,lata,&c.

¶ *Forma sententiæ contra accusatorem, qui deficit.*

NOs Frater. N. &c. Recolentes nos ex iustitia debitores esse æqualitatem constituendi, & attendentes te fratrem, N. magna vsum iniquitate, cum per accusationem in scriptione apposita, venerandum religiosum, B.nefarij criminis concubitus contra naturam accusasti, nec tamen intra tempus constitutum testes legitimos, & sufficientes (prout te obligaueras) produxisse, vel nec tamen productis testibus, & sub præcepto examinatis sufficienter proba-

probaſſe, quod propoſueras contra eum, propter quod ſi conuictus fuiſſet, pœnam perpetui carceris pati debuiſſet, ac propterea incidiſſe te in talionem, idcirco, vt in caput auctoris recidat malitia eius: & cæteris exemplo ſis non perpetrandi ſimilia, ſedentes in cella noſtra in ſella, quam pro tribunali, & loco iudicij elegimus, Deum, & iuſtitiam præ oculis habentes, dicimus, & pronuntiamus, & ſententiamus te Fratrem, N. præfatum, fuiſſe & eſſe iniquum accuſatorem, & malitioſum infamatorem, ac ſubinde pœna talionis damnamus ad perpetuum carcerem, ad quem quantocius induci debeas, ibique, &c. Reſeruantes &c. non tamen contra tenorem conſtitutionum. Acta, lata. &c.

¶ *Forma indicendi purgationem infamato.*

NOs frater. N. &c. Pulſati ſceleroſa, quę contra te frater B. ſurrexit & peruagatur infamia, quod homicidium perpetraueris, à quo tamen conſtanter aſſeris te immunem, Cunque nullus apud nos contra te ſpecialiter inſtet, aut agat in hac cauſa, nec factum ſufficienter probetur, noſque deceat ne dum à crimine, ſed à ſuſpicione criminis eſſe liberos, propterea vt infamia tollatur abs te, & ſcandalum ab alijs, purgationem canonicam indicere tibi decreuimus: Ideoque in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna conuicti tibi præcipimus per præſentes, vt intra decem dies à præſentium notitia, feciſſe debeas canonicam purgationem cum quatuor compurgatoribus, quos tibi per hæc ſcripta deputamus, quam ſi facere recuſaueris, aut non perfeceris, vel præſtiteris, ſceleris contra te obiecti conuictum te habebimus. Dat.
&c.

Forma

¶ Forma liberandi, vel releuandi ab infamia eum qui se purgauit.

NOs. F. N. &c. Sacris eloquijs admoniti, vt bonum nomen curemus, famamque non negligamus, non potuimus æquo animo ferre te venerandum patrem. F. B. infamiæ peruagantis labe manere pollutum. Sapiens namque, Curam, inquit, habe de bono nomine, & Salomon præ diuitijs illud asserit eligibilius, & iterum melius illud esse, quam vnguenta preciosa. Cum ergo contra te curreret infamia, quod homicidium opere perpetrasses, nos ad illam diluendam, tibi purgationem canonicam cum quatuor compurgatoribus indiximus, Quos abs te prolatos probauimus tanquã religiosos, integræ, ac rectæ conscientiæ, & probos viros, nobis optime notos, qui tibi sub præcepto sanctæ obedientiæ, & excommunicationis latæ sententiæ pœna ad veritatem dicendam requisito, & astricto, & constanter factum neganti, quin etiam innocentiam in hac parte asserenti, adhæserunt, & in conscientia sua asseruerunt se credere, quod veraciter innocentiam tuam assereres, & quod factum in tanto præcepto non negares, si illud commisisses; id circo ad releuationem tuæ famæ, & dilutionem infamiæ descendentes. Visis negatione, & assertione tua, & compurgatorum adhæsione, & contestatione, sedentes in camera nostra in sella, quam pro tribunali, & loco iudicij elegimus, Deum, & iustitiam præ oculis habentes, Christi nomine inuocato, Dicimus, pronunciamus, & sententiamus, te venerandum patrem fratrem. B. ab infamia supradicta illæsum, & liberum, & in facto innocentem, & iniuste affectum nomine, & infamia prædictis, & tanquam innocentem, liberum declaramus. In nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti Amen. Acta lata, & lecta, &c.

Forma

¶ *Forma restituendi ad gratias ordinis, quibus propter delicta quis erat priuatus.*

NOs F.N.&c. Scientes peccati veniã non debere dari niſi correcto, correcto vero indulgẽtiæ veniã dari, iura quo que ad parcendum magis, quam vlciſcendum, aut puniendum eſſe propenſa, Te venerandum. P. F. B. miſerationis, & benignitatis oculo reſpeximus, & quia correctum, & emendatum credimus, veniæ, & indulgentiæ brachijs ſuſcipimus, & amplectimur, Ac authoritate reuerendiſsimi Magiſtri generalis ordinis, vel capituli generalis, aut capituli prouincialis, nobis commiſſa, & præſentium tenore te. F. B. præfatum ab apoſtaſia redeuntem ad habitum ordinis recipimus, ac reſtituimus ad omnes, & ſingulas gratias, beneficia, & ſuffragia, & vtranque vocem, & locum, & omnia, & quęcunque alia, à quorum adeptione, vel exequutione propter tale crimen, iuxta conſtitutiones, vel ſententiam per. F.N. contra te alias latam, vel quomodo libet aliter eſſes impeditus, aut prohibitus. In quorum fidem his officij noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus, &c.

Dat.

❧ *Explicit Inſtructio officiorum fratrum ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum*

DE VITIS PATRVM, ET MAGISTRORVM GENE-ralium, Ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede, Breuis historia.

VIGILANTISSIMO PAstori Magistro Generali. F. Francisco à Salazar in sacra Theologia Doctori: suus F. Franciscus Cumel Prouincialis Castellæ & Lusitaniæ: Hæc dicit & consecrat.



Væ mercatoribus, mundi pelagus & longinqua maria, maioris lucri gratia peragrantibus, & traijcientibus, solét accidere, dum cum inuictis fluctibus atque vndis, quę tum inter se, tum cum furentibus ventis decertant, ipsi luctantur: & tenebris obruti, ac procella iactati, propè desperata salute Naufragium expectant: Si paruus stellæ salutaris splédor periclitantibus ipsis affulserit, eius luce perspecta respirant, animumque attollunt, & rectorem nauis ad gubernacula sedentem hortantur, vt alacrius munere fungatur suo. Ille vero subleuatis oculis splendorem intuetur, eoque tanquam duce procellæ impetum vitat & arcet, & ad rectum cursum nauem

dirigit. Eadem fere in hoc vitæ pelago nauigantibus, & ad tutum futuri sæculi portum studiose tendentibus euenire consueuerunt. Incredebili namque tentationum æstu laborantibus, & dæmonum impetu, atque insidijs, veluti densissimis tenebris circunfusis, res ab egregijs ac sanctis viris gestæ, oculis eorum propositæ, splendore suo tenebras discutiunt, diuinaque doctrina perturbationem impetum prosternentes, iucundissimam afferunt tranquillitatem, & pretiosis mercibus onustos, atque lætantes ad optatam facillime prouehunt hæreditatem. Alios igitur alijs ornatos virtutibus reperies. Hic abstinentiæ præstat integritate. Ille misericordia, pietate, defensione fidei & interdum temperantia splendet: & quo pacto intẽperantiæ supercilium superetur ostendit. Alius vitam hanc docet esse calcandam. Alius mundi gloriam negligendam declarat. Quòd si patrum & maiorum nostrorum, qui antiquo sæculo nos præcesserunt, & pijssimi etiam ac sanctissimi Petri à Nolasco Generalis Magistri, res gestas consideraueris, tanquã in florentissimo horto, virtutũ omniũ flores & semina, ac exẽpla videbis.

Has ego, vt historia, & laudatione debita prosequerer, multorum precibus adductus, & Dei auxilio fretus, alacri animo prouinciam suscepi: non vt viro pene diuino & admirando Petro Nolasco, & antiquioribus nostri ordinis patribus gloriam conciliarem: (Quæ enim illis gloria ex oratione mea, quę eorum virtutibus longe est inferior, acquiri potest?) Sed è contra potius, vt rebus à nonnullis eorum gestis commemorandis, & historiam meam exornarem, & eas imitari studentibus adiumentum afferrem. Quanquam in ipso statim principio, antequam in ipsum laudationis, & historiæ stadium ingrediar, tanto me oneri imparem sentio. Quocirca ego inter hos vortices iudex constitutus, quid faciam? Tantisper igitur in virtutibus quorundam fratrum maiorum immorabor, vt ostẽdam, quidnã potissime sanctissimus vir Petrus Nolasco, & maiores nostri Patres creatoris amore inflãmati contẽpserint, & pro nihilo duxerint. Deinde verò me totũ ad eorũ vitas, & præcipue Magistrorũ Generalium successionẽ perpendendã conuertar.

De

¶ De sanctissimo viro Fratre Petro Nolasco, primo nostri ordinis fratre Magistro Generali.

TVlit virum hunc admirabilem, primum ordinis redemptorum Beatæ Mariæ de mercede vigilantissimum Magistrum, illa patria, quæ quasi imperij, & nobilitatis dignitate decorata, pleriſque alijs tantum antecellit quantum Reginam ſubditis præſtare par eſt. De qua me multa dicere volentem impedit: tum quod nulla poſſunt facili & breui oratione explicari: tum quod omnibus, quaſcunque ſol irradiat, terræ partibus habitantibus ſunt cognita. Petrus ergo à Nolaſco vir ſanctiſsimus, ex prouincia Galliæ originem duxit, ſed non longe ab vrbe Barchinonę, vbi fere ab infantia vixit. Et ob id Barchinonēſis ciuitas ſuæ habitationis domicilium & educationis, potius eum tulit: Quibus parentibus aperte nō produnt ſcriptores, ſed fama tulit à viro honeſtiſsimo Nolaſco pariter vocato, ipſiuſque vxore eum fuiſſe genitum: & ob id Petrum pariter à Nolaſco fuiſſe appellatum, ita vt à patre ſibi cognomētum adſcripſerit, vocarique voluerit. Parentibus quidem ortus eſt tali patria dignis, qui & diuitiarum copijs, & militari gloria, & virtutibus omnibus affluebant. Et his, ampliſsimæ hæreditatis natus eſt hęres Petrus Nolaſco vir egregius & præclarus, cuius vita nobis in præſentia laudāda eſt. Qui cum ex vtero matris in lucem editus eſſet, prodigioſe quidem infantulus exiſtens, quæ habebat pauperibus facile condonabat: quod à pueritiæ ſtatu, & conditione alienum eſſe ſolet. Eximia corporis pulchritudine, ſimilem animi candorem, atq; præſtantiam indicabat. Neq; enim mortalis hominis, ſed magis Dei filius eſſe videbatur, totum prorſus ab infantia ſe Deo tradēs, & iam inde ab ipſo ortu, ad extremum vſq; vitæ finem virtutibus omnibus illuſtris, & excellens. Conſtat namq; ipſius vitam in pueritię prędudijs, antequam religionis togam indueret, mitē, ſanctiſsimam atque

iustissimam eum egisse & in liberalibus disciplinis cõsumpsisse,& huiusmodi consuetudinis fuisse in pueritia, vt egeno primo occurrenti cum illucesceret largissime donaret,etiam non petenti. Consueuerat rursus, etiam in medio noctis silentio in ecclesiam conuenire,atque ibidem sacra Dei eloquia, & matutinas audire.

At pater ipsius cum exiguo temporis spatio, post hæc, in hoc mundo vixisset, puerum & iuuenem filium charissimum Petrũ Nolasco reliquit:cum tantum decimum quintum annũ ageret ætatis suæ.Qui sanè cum sub maternæ benedictionis regimine permaneret,matri subditus & obediens, vt par est,supra modum erat.Diuitiarum copia affluens,& paternæ hæreditatis diuitijs ditatus satis, non perturbabatur vt à mũdi illecebris raperetur,aut à sancto proposito desisteret. Quocirca cœlibẽ vitã apud se agere statuit.Iam enim eo suæ ætatis tempore à plerisque inuitabatur ciuibus, vt sponsam deligeret,cum qua quietã vitam consummaret,& inde sobolem desiderabilem expectaret.Ipse autem hæc secum perpendens,illius mens diuinis rebus intenta,& altiori loco reposita vacans: animi propositũ, & cœlibatum cupiens explere, minime his suasionibus obtundebatur.

Nocte aũt quadam,cum expergefactus vt oraret, in lectulo cõsideret,& toto animo res diuinas agitaret, cũ Matris & suorum,crebras,euolueret persuasiones,de ineundis nuptijs:sic secum solus alloqui aggressus est. Vitæ curriculum vt liquet exiguum est & incertum. Nemo enim mortalium nouit quando mors sit accessura, nosque hinc ad futurum illud iudicium, quod omnibus est cõmune dimissura : in quo rerum gestarum ratio seueris quæstionibus reddenda erit,vbi non respondebit vnum pro mille vt Iob sanctissimus dixit.Cum imparati non nunquam,& magis peccatorũ cumulis onerati, illuc homines rapiantur:& rerum procreatarum pulchritudine spoliati, omnium cruciatuum acerbitate, atq; igne conficientur sempiterno:& cũ bona quædam exigua,si tamen dicẽda sunt bona,quæ specie tantum& opinione sunt eiusmodi,possederint, innume-

rabilibus

rabilibus torqueantur calamitatibus, quæ morte sunt ipsa longe graviores. Omitto quam breuia hęc sint quę possidẽtur, atque instabilia. Diuitię nisi recte illis vtaris, vitiorũ magis quã virtutum ministrę sunt, & multorum insidijs obnoxiæ, & ante quam partę sint, dilabuntur. Quid ipsa vxoris aut sponsæ pulchritudo que cõstat ex quadam coloris suauitate atque apta figura membrorum, non ne vel tempore extinguitur vel morbo defloresćit? Iam humana gloria quid inanius? præsertim si cum eterna illa, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, comparetur. Quam ob rem nihil est cur numeretur in bonis. Et cum hæc ita sint, carnis & naturæ legibus renuntio, cæleſtia spectare volo, & solus vt angeli Dei permanere, & quæ perpetuo non permanent prompto animo reijcere & spernere.

¶ Hęc atque alia multa ille religiosissimus Petrus à Nolasco corpore iuuenis, sed prudentia senex, apud se loquebatur, & veluti Christi columba, & turtur solitudinis, castitatis ardens amator, Christi amore succensus, & muliebrẽ superans infirmitatem, ac se se in omnibus quę honesta essent Deo castitatem vouẽs, vitã se promisit cælibẽ acturum in perpetuum. Sic enim aiebat. Multo præstantius est castitatis pulchritudinem semper integrã conseruare, & virginitatis coronam, quam eã ex parte corrumpere. Non ne satius est, vt inani spe, etiam liberorum repudiata, quæ certa sunt complectar. Longe laudabilius est, vt suaue & leue Christi iugũ, ab adolescentia suscipiam quam vt rebus istis, inanibus & caducis, omni studio incũbens in amore Dei tepidus euadam. Hæc animo reuoluens & similia, è lectulo vbi consedebat surrexit, & cum se ipsum diuina vulneratũ motione sensisset, humi prostratus gratias egit creatori. Et cum pernoctaret in oratione Dei, & noctem sic transegisset totum ipsius sacellum boni odoris fragrantia repletum est, & id quidem diuinę prędentię signum fuit.

Tanto igitur diuini amoris æstu flagrans, cum concionatorem egregium verbi diuini sermocinantẽ audiret verba Christi Saluatoris nostri recitantem. Quia diues difficile intraret

in reg-

in regnum cœlorum, ad integrum mundi fallentis spreuit diuitias, considerans prima illa mundi lumina, videlicet Apostolos, omnia reliquisse, cum sequuti sunt Christum. Solerter intuens, nó solum Christi discipulos, & amicos omnia reliquisse, sed etiam Dominum sequutos fuisse. Quia stultum profecto est, iuxta Platonem & Diogenem, & quosdam alios Philosophos, vitæ quidé huius diuitias calcare, & hęc nó pro æterna adipiscenda vita, sed pro inani agere mortalium laude captanda, absque spe futuræ quietis & pacis. Et Christus pariter adolescenti perfectionem postulanti Matthæi. 19. dixit. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Hæc Petrus Nolasco mente contemplans, sibi Adolescenti dicta esse videbantur à Christo. Quocirca parentis diuitias quas possidebat, pauperibus erogare, animo decreuit, ne earum sarcina onustus, à sancto desisteret proposito.

Matth. 19.

¶ Et eo tempore Mauri, & Sarraceni impio dominio, maiorem & fælciorem Hispaniæ partę possidebant. Vndique namque nos septi eramus, & à Barbaris & Mauris oppressi, plerique captiui Christiani apud eos misere vitam transigebant. Plerisque eorum vinculis crudeliter ligatis. Alijs vero, eorundem captiuorum Christianorum, trucidatis, veluti moribus Maurorum ac paganorum contrarijs, & inimicis. Sæuiebant tunc vehementer in Christianos Turcæ, & Sarraceni, & fidem Christi exterminare studebant. Interim etiam nó solum in Hispaniæ vrbibus Christiani captiui, ligati detinebantur, verum captiuitatis ingens multitudo Africanum attingebat littus. Mos rursus Mauris est, & Barbaris plerunque inter captiuos, maritos ab vxoribus, liberos à parentibus separare. Et summa paupertas captiuorum profecto est. Captiuus enim est obnoxius, & subiectus omni contumeliæ, pœnisque ac supplicijs, vel inuitus submittitur, vtpote quod sit in eius domini potestate, quam velit ferre sententiam. Idcirco cum lamentabilem, & summam paupertatem sanctissimus iuuenis, Petrus Nalasco, hanc esse cerneret, atque videret, captiuis pauperibus, eas quas adhuc retinebat diuitias tribuere decreuit vt à captiuate liberarentur

rentur immanissima,& donare illis promisit.Sicque Deo opitulante ab eo factum est,nam ex Valentię vrbe,à Mauris possessa cunctis quę habebat expensis, plusquam trecentos captiuos christianos eripuit, ac redemit, datis pecunijs, & pignoribus. Quocirca in regno Aragoniæ magnam sibi conciliauit authoritatem,& valde ab omnibus diligebatur,quod inuentus fuerit homo qui captiuos christianos à potestate barbarorum eriperet.Et in ea re animum pulsat meum dulcis recordatio sanctissimi Laurentij Martyris, qui ex beatissimi Sixti Pontificis ecclesiæ imperio thesauros pauperibus distribuit & donauit. Qui cum à Valeriano præfecto comprehenderetur, in carcerē missus,non solum vt Dijs sacrificaret, spreto Christo, verum vt ostenderet thesauros Ecclesiæ, vinculis ligatus detinebatur. Et mirabile fuit, quod cum thesauros iterum repeteret ab eo, impius & scelestissimus Valerianus,sanctissimus leuita Christi Laurentius,vt eos ostenderet,inducias petens, deinceps pauperes colegit, & ad Valerianū adduxit dicens. Ecce hi sunt thesauri æterni,qui nunquam deficiunt.Dulcis inquam hæc recordatio est. Nam & pijssimus Petrus Nolasco in infantia positus, paternam hæreditatem,& ingentes diuitias,quæ iuuenes eo tēpore demulcere solent, pauperibus & captiuis impertitus est. Hos censebat æternos esse thesauros, nunquam perituros. Sic enim aiebat cum diuo Laurentio,cū miseros cerneret captiuos Christi Redemptoris nostri filios.Ecce thesauri æterni qui nū quam deficiunt.Cum ergo multorum adhuc apud in fideles detentorum,& captiuornm calamitatem cernere cogeretur, miseratione commotus,cum lachrimis rogabat Deum, vt illi opitularetur.Vnde nocte quadam,sicut de more consueuerat, post primam noctis quietem,in templum se conferens, in oratione attento animo pernoctabat, & post nocturnas absolutas preces,inde aurora emergēte,in domum suam, se paululū dormitans recepit,ibique scamno iacens, eiusmodi somno fuit commotus. Oliua speciosæ magnitudinis fixa cernebatur, in ingenti atrio,seque ipse putabat sub ea arbore versari, & interdum sedere. Quosdam vero graues,honestosque homines, ad

De Diuo Laurentio dulcis recordatio. qui Thesauros ecclesiæ pauperibus erogabit.

Thesauros pauperibus captiuis sanctissimus Petrus Nolasco impartitur.

ipsum accessisse,qui se diceret à rege magno missos,vt illi opitularentur,ne arbor,sub qua requiescebat, à quoquam effoderetur. Alios rursus occurrisse viros, qui securibus, & fodiendi instrumentis allatis, arborem speciosam, summa cũ festinatione euellendam, & effodiendam contendebant. Sed interim, dum id ab eis peragebatur,quo amplius conabantur speciosam oliuam eradicare,eo densiores, tenacioresque radices defigebantur. Imo vero mox,ex relictis illis radicibus, innumera eaque speciosa emergere virgulta,totumque implere atrium. Profecto sapiens quisque,id perspicue præcipere poterit, si accurate rem hanc animaduertat. Oliuam speciosam, Christi significare fideles,baptismi pulchritudine,& fide decoratos: sanctissimumque Petrum Nolasco,in ea arbore, & sub ea requiescere,missosque fuisse quosdam ad ipsum, grauissimos, & honestos viros,ab inclyto Iacobo Maurorum debellatore, Aragonum Rege,qui ei opitularentur,ne in defensionem speciosissimæ arboris aduersarij sæuirent. In qua re si accurate (vt dixi) rem hanc quis animaduertat, inteliget facile visionem hanc indicasse, nouæ religionis instituendæ principium. Etenim cum nequissimi Mauri, Christi fideles funditus perire contenderent, & quasi securi omnes excidere. Deus misericordia commotus, potentissimum Iacobum ex altera parte mittere decreuit, vt Christi fidem, ipsiusque filios,ab aduersariorũ sęuitia,& gladio vindicaret. Et quo magis crucis Christi inimici, & perfidi sarraceni, Christianam religionem amputare conabantur, eo firmioribus oliuæ radicibus noue natis, noua emergebant virgulta. Quotidie è bello triumphator, & victor,potentissimus debellator Iacobus euadens, & Maurorum acies profligans, vrbes, & Maurorum mænia deturbans, Christique vexilla in altum defigens. Ex altera vero sanctissimum virum Petrum à Nolasco, qui in eruendis miseris, & Christianis captiuis, fæliciter esset intentus, & in ingenti religionis atrio, diu perseuerans solatium esset, non solum ipse, verum & ipsius fratres & filij charissimi, captiuis Christianis: dum cernerent, & audirent nouum

Quo dnouæ religionis instituẽdæ ad redimendos Christi fideles,prius à Deo fuerit datũ signum, & indicium.

ordinem

ordinem, nouosq; viros surrexisse, datosque esse à Deo, qui ministerio redemptionis assisterent, vt eos à durissima Maurorũ seruitute eruerent, ac liberare contenderent. Iam eo tempore insignis vir Petrus Nolasco, socios fidelissimos quosdam sibi copulauit, vt ministerij huius forent participes: eos sane qui cũ sanctissimo Petro Nolasco, primum in oratione Dei perseuerantes, deinde vero in prouincia Cathaloniæ, & in regno Aragoniæ, in colligẽdis piorum fidelium eleemosynis, pro sanctissimo redemptionis opere explendo, quotidie instanter versarentur. Et ita sane id factum est vt singulis annis, à sanctissimo viro eiusq; socijs, non paruæ fierent deinceps fidelium, & Christianorum liberationes, & redemptiones.

Iugiter cum charissimis sibi socijs, in exercitio sanctæ Redemptionis præocupatus versabatur, & assidue valde, in ministerio grauissimi operis, sic proficiebat in fauorem fidei, vt ne forte ex Christianis fidelibus captiuis quisquam succumberet eorum, & Christiana religio apud Barbaros Sarracenos noue contemneretur: omnibus quidem fuerit in admiratione. Captiuos fideles viriliter confortabat, & ad fidei confessionem, & firmam perseuerantiam, cohortabatur: eo quòd cerneret, periculosam cum Paganis conuersationem. Hæc anno tertio post Millesimum ducentesimum ita euenerunt. Quocirca ordo Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum quantum ad sui exordium cepit ab eo tempore quo sanctissimus vir Petrus Nolasco cum socijs suis. Redemptionem fidelium Christi ardenter peragebat. Et cum cerneret summam captiuorum calamitatem: indefessum laborem, ingentia pericula, grauissimaque incommoda fidelium, vitam apud Mauros agentium: crebro lachrymas effundebat, & orationibus solicite Deum exorabat, Sancte Redemptionis exercitium confirmari in regno Aragonum & in toto orbe: foreque deinceps in perpetuum viros eidem Muneri consecratos.

Quocirca in ea re exauditus à Deo fuit. Nam Anno Domi-

ni. 1218. Regnante Iacobo Aragonum Rege eoque orãte & petente affectu ardentiſsimo Chriſtianorum libertatẽ, & ab Hiſpanię finibus Maurorum expulſionem: ſplendore, & lumine diuino circunſeptus, diuam Virginem eidem Regi Iacobo apparuiſſe teſtantur hiſtoriæ: Ex cuius ore diuinum ſuſcepit oraculum de fundatione noui ordinis, pro redemptione Chriſtianorum captiuorum peragenda in perpetuum: vt fuſius de fundatione ordinis noſtri ſcribentes diximus. Et quidem poſt ſolitas noctis vigilias, & preces, ſanctiſsimus vir Petrus Nolaſco, videre ſibi viſus fuit, in atrio quodam ingentiſsimo miram hominum multitudinem ad ſe confluentem, & in medijs turbis acceſsiſſe ad illum, Matronam quandam eximiam, atque venerabilem, vultu & habitu admirandam, cui adiunctus erat pulcherrimus virginum cœtus, quam planè nouit, eſſe Beatiſsimã Virginem Mariam. Quæ cum ad pijſsimum virum Petrum Nolaſco, ſermonem dirigeret & inſtitueret, lumine cœleſti interius permotum: hæc fuiſſe loquutam legimus: Nẽpe, Quòd nouus ordo ſtabiliendus eſſet, ex cuius ſocietate & familia, profeſsi fratres exemplo filij ſui, ipſiuſque Chriſti Ieſu veſtigijs, ſic inhærerent: vt captiuos fideles Chriſti, in poteſtate Maurorum, & Turcarum detentos redimerent, & liberarent: ſic adeò, vt ſi ad præclariſsimum redemptionis opus explendum expediret, ſeipſos in excambium, & pignus donarent, pro captiuorum libertate. Quocirca ſanctiſsimus vir circunfuſus ſplendore cœli, à Virgine Deipara planè audiuit, redemptionis opus quod ipſe pertractabat filio ſuo Saluatori noſtro, chariſsimũ & gratiſsimum eſſe. Indicauitque ſe velle religionem inſtitui ſub titulo Redemptionis Captiuorum Beatæ Mariæ de Mercede eũque debere eſſe primum noſtri ordinis fratrem, cui in vetuſtioribus codicibus legimus Diuã Virginem præcepiſſe, vt primus eſſet frater ordinis noui inſtituẽdi, Et quod primus togam ordinis Redemptorum indueret, Et hanc Dei omnipotentis & filij ſui voluntatem eſſe aperuit. Et idcirco Virgo ſanctiſsima, non ſolum apparuit eidem Petro Nolaſco ſed etiam

Quod apparuit ſanctiſsimo viro Petro Nolaſco Beatiſsima Virgo Maria.

ſereniſ-

sereniſsimo Regi Iacobo, & Beato Raymundo de Pennaforti confeſſario ſuo.

Fundatus ergo fuit ex diuina reuelatione ordo Redemptorũ Diuę Mariæ de Mercede, die decima mensis Auguſti in feſto ſanctiſsimi Laurentij martyris. Anno. 1218. in ciuitate Barchinonæ maxima totius Populi, & prouinciæ illius acclamatione, & primum ordinis habitum prædictus ſanctiſsimus vir Petrus Nolaſco ſuſcepit coram sereniſsimo Rege Iacobo, (vt in fundatione ordinis luculenter eſt dictum.) Vt ergo inſignis Petrus Nolaſco in præludijs futuræ militiæ Chriſti ſe exerceret cum ſibi ſocijs, cœpit feruentiſsime agere, pijſsimaſque Chriſtianorum eleemoſynas colligere, vt grauius, & excellentius Deo in opere redemptionis inſeruiret: ita ſane, vt crebro ad Infideles, & Mauros accederet, & captiuos Chriſti fideles ſæpius redimeret, & à Barbarorum poteſtate liberaret. Et profecto magnã, nõ ſolum in regno Aragonię, apud Chriſti fideles, verum apud paganos, & Barbaros, ſibi conciliauit authoritatem: Ridebant genę eius, etiam cum animis mæſtitudine calamitatis captiuorum torpuiſſet: nitida ſimul labia illius, commendabãt dupliciter, mella ſermonum eius, cum captiuos confortaret in fide, ſpemque ipſorum erigebat ad facilem, & breuem futurã omnium redemptionem, & liberationem à Mauris, & Barbaris, inter quos verſabantur ſperandam. Quocunque ille vertiſſet oculos, ſerenitatem mentis nuntiabat ad aſpectus eius, & in eo erat ſermo ad doctrinam, & ſolamẽ captiuorum fabricatus, & congruus. Sępe rurſus ſeſe obtulit martyrio apud Infideles, & Barbaros cum adeo ſolicite, & ardenter Chriſti fidem extolleret, & captiuorum Chriſtianorum redemptionem curaret.

Genas rurſus lachrimis plenas, plerunque oſtendebat cum turbam in gentem Chriſtianorum cerneret ſeuiſsima ſeruitute inter Barbaros infideles detineri: ſicque defluebant lachrimę currentes. Et cum iterum tot filijs, Dei populum carere conſpiceret, vrbeſq; Chriſtianorum ab inimicis fidei poſſeſſas contemplaretur, & quo pacto altaria, & ſacrificia in Maurorum vr bibus conculcabantur, veluti alter Hieremias propheta, deſo-

lationem religionis cernens, & Christianorum vrbem diruptam, aiebat. Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? Quomodo facta est sub tributo? Populus Dei in Babyloniam captiuus ducebatur, sed & Hieremias propheta deplorabat: Sic ergo, primus ordinis Magister Petrus Nolasco, cum oculos leuans, captiuum Dei Populum aspiceret, lachrymis offundebatur: dicens sepius. Quomodo facta est sub tributo princeps prouinciarum domina gentium?

1. Reg. 30. habetur historia hæc.

Amalech, duces atque milites ipsius, percusserũt gladio Siceleg ciuitatem: & succenderunt eam igne. Captiuasque duxerunt mulieres & infantes à minimo vsque ad magnum. Verum cum venisset Dauid & viri eius, in ciuitatem, & vidissent vrbem igne succẽsam, & vxores filiosque, & filias suas, ductas fuisse captiuas: Contristatus est Dauid valde: Et cum plangeret populus, cõfortatus est Dauid in Domino Deo suo: consuluitque Dominum. Et abijt Dauid & persecutus est Amalech cum sexcentis viris, & cum peruenisset ad locum quo Amalech & sui discumbebant comedentes & bibentes & quasi festum celebrantes propræda & spolijs quæ ceperant de terra Iuda percussit eos Dauid, à vespere vsque ad vesperam alterius Diei. Et eruit Dauid omnia quæ tulerant Amalechitæ, vxores, & filios, cunctosque liberauit captiuos & in suam patriam reduxit. Nonne recordamur quid simile peregisse virum clarissimum Petrum Nolasco? Qui cum plerosque viros, filios infantes & vxores cerneret captiuos quotidie, ab Amalechitis, à Mauris & infidelibus rapi, & à Dei populo vi & armis educi. Contristatus valde consuluit Dominum, preces effundebat iugiter, & cum clamore valido lachrymabatur. Petebat à Deo Maurorum expulsionem, & potissime vrbem Valentiæ fidelibus restitui, & ab Agarenorum manibus liberari: vt eo loci Ecclesiæ sanctæ vexilla leuarentur: & populus Dei qui magna ex parte ibi captiuus detinebatur: è durissima seruitute educeretur. Sane exauditus est à Deo vir sanctissimus. Nam eo tempore à sereniſsimo Rege Iacobo capta fuit Valentia anno regni sui. 25. & à fundatione ordi-

nis 20. Quo etiam tempore prædictus Petrus Nolasco ordinem fœliciter regebat. Imo vero præsens ille ad fuit cum Rege Iacobo, die illo quo debellata fuit ipsa ciuitas & à Christianis militibus iure occupata. Fuit enim obsessa Valentia à Rege Iacobo debellatore potentissimo: qui exercitum & militum turbas castrorumque acies omnes, ordinauit, atque tentoria fixit, in oppido del Puch, prope ciuitatem Valentiæ: Quo in loco, statim fundauit Rex Iacobus monasterium ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ, in honorem Virginis sanctissimæ & in victoriæ signum eumque donauit viro religiosissimo, & sibi charo, Petro Nolasco. Et in ipso vrbis ingressu, pariter AEdiculam Mahumeticam: quæ communi vocabulo, vocatur, *La mezquita de los Moros.* Ordini & prædicto Magistro Generali clarissimo Petro Nolasco, dedit & concessit. Eo die inter Christianos captiuos hilaritate perfusos, inuentus est in medio eorum sępe sanctissimus Magister generalis, eosdem ad Dei laudes exhortans & ad debitas persoluẽdas gatias pro singulari beneficio quod acceperãt monens. Incredibile est quantũ vir Petrus Nolasco sanctissimus, à captiuis illis diligebatur, & quo pacto ab eis comitatus incedebat: omnes eum patrem vocabant, & eorum liberatorem dicebant. Vnde fundatum & erectum fuit Valentiæ monasterium ordinis Beatæ Mariæ de Mercede illi consecratum, in eadem ædicula Mahumetica, vbi hodierna die deus ipse religionis cultu honoratur. Et in cœnobio illo oppidi del Puch quod D. Virgo inhabitat extant & fiunt hodierna die pene infinita miracula: quibus glorioſè coruscat.

Ingens, profecto, & incredibilis est amor diuinus, summaque illius cura, & prouidentia erga nos. Eo nanque sæculo, eoque tempore, quo inuictissimus Iacobus Rex, vi & armis, auxilioque diuino Valentiæ vrbem expugnauit, eius victoriæ, vaticinium à Deo suscepit. Et cum sanctissimi Petri à Nolasco lachrymę, & suspiria clamarent de terra, Deum per mouerunt. Quocirca cum militum turbæ, exercitusque belli, castrorum acies, atque tentoria, debito ordine composita, & fixa, à

potentis-

potentissimo Iacobo Debellatore forent, iuxta arcem oppidi del Puche, à quo loco obsidionem, parabat agarenis & barbaris Valentiæ consistentibus, visæ sunt septem stellæ micantes, plerisque diebus à cœlo, ad terram descẽdere. Quæ res exercitum omnem, & milites belli, populumque Christianum, potissimeque sanctissimum Petrum à Nolasco, & D. Guillermum Dentença ducem exercitus Christianorum, rapuit in admirationem: Et ad inuicem conferebant diuinum portentum: & scisitabantur, quid in ea re Deus ostendere voluisset. Res enim erat omnibus mirabilis, sed non intellecta. Quapropter ex consilio clarissimi viri Petri à Nolasco, & de imperio excellẽtissimi ducis Guillermi Dentẽça, is locus inquẽ septem illæ, stellę & micantia lumina descendebãt, inquisitus est. Quodque cum in superiori parte, ac superficie terrę, nihil prorsus esset repertũ, occultum aliquid mirabilius & maius excogitantes, terram, effodere, & aperire fecerunt, statimque in ipso primo effossionis initio, diuinum nectaris, & ambrosiæ odorem terra spirabat, & ingenti fragrãtia odoris, totius agri campus fæcundabatur. Nã eo loci inuenta fuit subtus terram, sanctissimę virginis Mariæ, mirabilis, & deuotissima imago, quæ hodierna die, fœliciter colitur, in Monasterio celeberrimo, eiusdem Virginis Mariæ, oppidi del Puche, prope valentiæ vrbem. Quæ sane subtus terram, sub ingẽti tintinabulo, seu æneo cimbalo erat inclusa. Et hoc profecto, non paruum fuit militibus cunctis solatium, & quasi initium futuræ victoriæ. Nam id vniuersorum animos recreabat, & spem alacriter promittebat: Quod gladio, armis & precibus ad Deum fusis pellendi essent à ciuitate Valentię, Christi Domini, & suæ Matris, perfidi inimici Mauri, & Sarraceni. Equidem huius clarissimæ imaginis extant hisce diebus, pleraque diuina miracula, & glorioſissimo cultu, religiose valde, à cunctis illius prouinciæ habitatoribus colitur, & adoratur. Eodem loco prorsus reposita à fratribus, quo inuenta fuit ab exercitu Christianorum, in prædicto cœnobio, cuius etiam titulus est Sanctæ Mariæ de Mercede del Puche. Imo vero cum à deuotissimis fratribus, ab eo loco, atque situ in quo modo cernitur

nitur,& apparet,dimoueretur,vt in maiori altari ipsius ecclesię sanctę constitueretur & reponeretur,non semel, sed bis, atque iterum,Deipara ipsa se se contulit, in eum locum, in quo & inuenta fuit,& à nobis cernitur hodierna die.

Catholicus Rex Iacobus ab ipso primo fundationis exordio,fratrem Petrum Nolasco vt inhabitaret aulam regiam, domiciliumque regale secum duxit.Et ibi grauissimo sanctitatis exemplo,aliquandiu habitauit.Sed cum creuisset Religiosorũ & sociorum eius numerus in nouo ordine sic instituto, voluit a regio palatio,& domicilio diuertere. Quocirca eleemosynis cuiusdam ciuis Barchinonẽsis, Raimundi à Plicamanibus, qui notus erat,& amicus deuotione insignis,eiusdem Petri a Nolasco,emit agrum iuxta littora maris Barchinonensis, & ibi primum cœnobium, seu monasterium ordinis fundatum ab eo fuit,& erectum,& in ipsum se se contulit,& recepit cum socijs suis charissimis prædictus Petrus Nolasco, vt monasticam & religiosam vitam, fælicius ageret. Fundauit rursus Monasteriũ Valentiæ, simulque & alterum cænobiũ in oppido del Puche, & pleraque alia in regno Cathaloniæ, & Valentiæ: de quibus suis locis dicemus.Rexit & gubernauit ordinem ab anno Domini millesimo ducentesimo decimo octáuo, vsque ad annũ millesimum ducentesimum quadragesimũm nonum, per triginta & vnum annos,& quidem fæliciter & sancte, magna cũ charitate & pace. Et suo tempore prædictus ordo redemptorũ Beatæ Mariæ de mercede,ipsoque viuente & gubernante ordinem,fuit confirmatus & approbatus à sancta sede Apostolica per Gregorium nonum summum Pontificẽ, in die sancti Antonij, mensis Ianuarij, anno domini Millesimo ducentesimo trigesimo. Et in confirmatione ordinis, postquam eius institutum approbauit,plerisque gratijs,indulgentijs, & priuilegijs, ordinem insigniuit,ad petitionem inuictissimi & potẽtissimi Regis Iacobi,qui primus fundator & institutor fuit sacri ordinis Beatæ Mariæ de mercede,redemptionis captiuorum.Qui quidem orationibus & precibus fratrum sui ordinis, & zelo Christianæ religionis,quo erat armatus, Regnum Maioricarũ debella-

Monasteriũ Barchinonẽ se fundatũ fuit post religionis exordiũ: Sed in die sancti Laurentij, quoniã in simili pariter die fundatus fuit ordo Redẽptorum. B. Mariæ de mercede.

debellauit,& ad Christianũ imperium perduxit. Anno Domini.1229. Et pariter cæpit Vrbem Valentiæ,cum regno Murtiæ, Christianoq, imperio reduxit, & subiecit,die sancti Dionysij anno Domini.1238. A creatione autem ordinis redemptorum Beatæ Mariæ anno.20. Equidem in ipso exordio religionis,antequam confirmaretur à Gregorio nono, prædictus Petrus Nolasco appellabatur generalis procurator redemptionis captiuorum. Cœterũ à die quo confirmatus fuit ordo noster, & tanquam religiosus & canonicus in ecclesia Dei factus, vocatus est Generalis Magister ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede.

Hoc institutum sanctæ Redemptionis, quod in fauorem fidei, à cœlo datum extitisse credimus,plerique laudabiliter sunt sequuti: Præsertim Beatus Leonardus, qui in Gallia natus, parentes habuit claros, & magnæ apud Clodoueum Regem dignitatis, & authoritatis. Cum tamen Clodoueus primò Paganus fuerit, de quo Leonardo beatissimo legimus, cum ipse spetiali Dei munere Captiuorum Redemptione consecratus esset, quod cum illustres atque nobiles quidam viri, regionis suæ inter se contenderent: quidam eorum, è pago Nobiliaco, sanctissimo Leonardo deuotus, à quodam nequissimo tyranno captus est. Is veritus ac timens, vt postea ille recensuit, ne Beatus Leonardus opitularetur homini illi captiuo, ita apud se loquebatur: Si hunc hominem ferro cõstrinxero, prorsus timeo, ne illum amittam: vt enim apud ignem cera, sic ad Beati Leonardi nutum colliquescit ferrum. Si cippo pedes eius includero, aut in custodiam eum detrusero,nihilo certior ero: Eadem enim illic quoque Leonardus vis est. Planè anxius sum, quid agam hoc homine ita capto, à quo ego mille solidos, si redimi vult, extorquere constitui. Sed iam scio quid faciam. Iubebo foueam profundissimam in intima turri mea fieri, in eamque illum compedibus, manicisque ferreis colligatum demergam: necdum enim Sanctus Leonardus sub terram sede-

sedemisit: Et quamuis fortasis, cathenas ferreas dissoluet, hominem tamen, è specu subterraneo educere nequibit. Porrò etiam ad os speluncæ arcam ligneam admouebo, & in ea milites iubebo excubare noctes atque dies, qui eum custodiant. Fecit igitur hæc omnia crudelis homo: sed tamen efficere non potuit, vt licet in tenebris, & magnis cathenarum angustijs esset, spem & fiduciam vinctus abijceret, seque à Beatissimo Leonardo ereptum iri dubitaret, quem etiam custodibus audientibus crebro inuocabat, simul orans Dominum, vt per clarissimum, & deuotissimum Leonardum se liberaret. Ecce autem quadam nocte, præ lassitudine illo obdormiente, Beatus Leonardus cum magno splendore ac luce adfuit, euertit arcam, in qua milites iacebant, descenditque in foueam, & alta voce vocat hominem captiuum, & vinculis ligatum: Et ait, Dormis ne, an vigilias? En ad sum ego Leonardus quem expetijsti. Expergefactus homo ille captiuus, visaque luce immensa ait ad eum: Domine, adiuua me. Confestim diruptis atque solutis cathenis, & instar luti dissipatis, proprijs manibus, & vlnis è turri eum extraxit, & secum asportauit, & cum eo proficiscens, & ambulans familiaria miscebat colloquia, vt solent amici inter se facere. Tandem in patriam suam perduxit, & ad Nobiliacum pagum trasmittit, in quo extra periculum positus fuit. Sole orto, vicinis, & amicis, quæ passus fuerit à tyranno, & crudelissimo illius hoste sub captiuitate detentus exposuit, & quid rursus beneficij à Sanctissimo Leonardo accepisset. De qua re omnes mirantur, & incredibili gaudio atque lætitia afficiuntur.

Quod Petrus Nolasco fuit prior Barchinonensis habuitque iurisdictionē temporalē & spiritualem.

Post hũc sanctissimũ virũ, idem institutũ redẽptionis Diuæ Mariæ de Mercede, & redẽptionis captiuorũ mirabile opus sequutus est B. Raymũdus Nonnat, ex prouincia Cathaloniæ: oriũdus & ibi ortus. Hic antequam religionis B. Marię de Mercede togâ indueret, infans in pręludijs bonorũ operum seipsum strenue exercẽs, epulis carnis explosis, & deiectis appetitionibus,

bus quę infantes solēt à primis incunabulis incitare, nō semel, aut bis sed plures in hebdomada ieiunabat, & noctu atq; diu cū Deo loquebatur, precibus, & orationibus ad eum fusis. Hic antequam nasceretur, ex communi naturæ lege, vt solent alij, ex materno vtero & muliebri procedere & nasci, emortua ipsius matre, cū ipse adhuc in vtero matris iā mortuę permaneret, & latitaret incluſus: dissecto matris vētre, atq; vtero, foras egressus est, & in hāc lucem prodijt. Quocirca Nonnatus vocatus fuit, & appellatus, cum vere non eo naturę partu prodierit ex vtero, sicut alij: Naturæ inquā legibus solitus. Et idcirco semper à pueritia id cognomen accepit vt vocaretur Raymundus Nonnatus. Claruit sanctissimus hic Raymundus Nonnatus, vita & gestis, ita vt in admiratione fuerit in prouincia Cathaloniæ, cuius rei testimonium extat hodierna die: Nam, & ipsius corpus & sepulchrum magna veneratione colitur, & ad eum confluit ingens hominum turba & fidelium, & miraculis coruscat. Et hunc habuit alumnum vigilantissimus ille primus ordinis frater & magister Petrus Nolasco. Cuius etiam in loquendo sermones, præsertim cum Barbaris, & infidelibus, adeo efficaces erant, & ex Dei beneficio diuini, vt plerosque interdum eorum ad fidem pertraxerit. Et idcirco legimus Mauros, & Sarracenos sæpius voluisse eum morti tradere, Vnde incastratura linguæ ligatus fuit ab impijs fidei Christi inimicis, ne ipsius sermonibus ex eisdem infidelibus plures alios ad fidem Christi inuitaret. Et hic sane beatus Raymundus Nonnatus socius fuit sanctissimi Serapionis Martyris.

Fuit ergo Beatus Serapio, inclytus & religiosissimus frater nostri ordinis, eximiæque sanctitatis, & virtutis exemplum, qui parcissimo vtebatur cibo, & vehementissimus erat in oratione Dei, & redemptioni captiuorum incumbebat ardentissime; Et tandem crudeliter & acriter flagellatus fuit à Rege Angliæ.

Sanctus etiam Raymūdus, qui inter initia ordinis strenuus erat in colligendis piorum fidelium eleemosynis: Cum apud hæreticos de quorundam fidelium oppressione indebita tracta

ret

ret, alloquens eos, & deprecãs, ne id agere contenderent, crudelius in eos animaduertere decreuerunt. Quocirca acriter rursus vir Dei, & lamentabiliter agens, sæpius ad immanissimos illos hęreticos & Barbaros se conuertebat, & constanti animo, ac intrepide aiebat: Quod & si seruitute illa detinerẽtur ab eis, sed nihilosecius tamen, esse ad Dei similitudinem & imaginem creatos, illorumque in natura socios, & hãc vitam cito esse finiendam. Lamẽtabatur igitur vir Dei captiuorum seruitutem acerbam, & dicebat vocem in aëra tollens. O insepultam & miserabilem sepulturam. Sed quando non fuit manus Barbarica inseruiens iræ, quæ semper humanum sitit sanguinem? Quando non fuit prompta ad occidendum? Quæ verba cum à crudelissimis hæreticis & Barbaris audirentur, ipse pariter ab eis crudeliter occisus est. Vnde in antiquis codicibus legi, eum sanctissimum Raymundum Martyrem fuisse pro redemptione captiuorum. Hic socium habuit vigilantissimũ, qui sui Raymundi vestigia sequẽs, omnibus in admiratione fuit, quãta animi puritate & quãto vitę cãdore, diu vixerit, post patris sanctissimi Raymũdi martyriũ mirabile sane est: Qui pariter socius illius fuit & in vita, & in morte, & inter sanctissimos nostri ordinis viros enumeratur, & proprio nomine fuit vocatus, frater Iacobus à Soto: Et in quibusdam codicibus eum reperi nomine sancti Iacobi à Soto inscriptum. Cæterum prædictus Beatus Raymundus qui modo à me fuit recensitus, non ille est Raymundus Nonnatus de quo paulo antea superius nonnulla scripsimus.

Socius iste fuit B. P. Iacob' à Soto.

Sequutus est rursus institutum redemptionis Beatæ Mariæ, Beatus & insignis ille frater Petrus Armẽgol: qui pro redemptione tuenda gloriose occubuit: cum enim è potestate Mauro rum ille plerosque fideles liberasset & redimeret, quosdam videns pueros & iuuenes, ob tormentorum sæuitiam & crudelitatem periclitari in fide, eosque cum ipse commoneret, ne fidẽ desererent, aut conculcarẽt, se se ipsum in excambium dedit, & in Sarracenorum potestate in pignus eorum vt liberarentur manere voluit, donec etiam ipse datis pecunijs, & precio pariter

riter ab eis euasisset. Cum ergo redimeret certum quendam fidelium numerum, ob præfatam causam in fauorem fidei, & ob mille aureos, pro quibus persoluendis, seipsum obsidem, & quasi pacis pignus, tradit eisdē infidelibus, & barbaris: Cum deputato singraphæ tempore & die, numi non adfuissent, quibus persoluere debuerat, statutum præcium cum Sarracenis initum, od liberationem, & redemptionem quam fecerat pro captiuis prædictis: eundem Beatum Petrum Armengol, tanquam irrisorem suæ sectæ, & infidelem: crucis patibulo, eum interficere voluerunt. Quocirca ingens Barbarorum turba simul coadunata, cum pecuniæ rursus non comparuissent, eum exploratorem fuisse & vehementem Mahumetici instituti inimicum & hostem proclamabat: Et idcirco communi consensu, causantes pecuniam non comparuisse, destinato chirographi tempore, suspensus est patibulo, & in furca pendens fuit: Cuius morte videbantur illi placati fuisse. At hoc fuit diuinum consilium: Nam paucis ab hinc diebus, cum religio nostra pecunias transmisisset, vt fratrē Petrum Armengol liberaret, & à Barbaris illi eriperet, ne pro pignore detentus male tractaretur: cum litus applicuissent pecuniarum delatores, rem crudelissimam, paucis antea diebus factam erga seruum Dei fratrem Petrum Armengol audiuerunt. Quo stupendo facto, & scelere, cōturbati sunt, & commoti omnes inter se, & ad locum vbi laqueo suspensus à Sareacenis fuerat, eorum socius & frater, peruenire voluerunt. Quem cum vidissent sancto habitu religionis suspensum, lachrymabantur acriter, neque poterant se continere: Et cum lamentabiliter eiularentur gementes, commotum est corpus Beati Petri Armégol: Quod cum cernerent redemptores fratres, statim aliquid maius excogitantes, vociferabantur ad inuicem: Quibus alta voce loquutus est in patibulo suspensus B. frater Petrus Armengol, dicens: Fratres charissimi non cōtristemini, lachrymas deponite, non enim mortuus sum: Nam tres adhuc dies sunt, quod Matrona quædam, virginum choris circūdata, quæ procul dubio est Beatissima Virgo Maria semper mihi adfuit, meq; à morte liberauit

uit,vt in eo facto Barbari & Sarraceni, potius confusione pereant,quã quod glorioſum putẽt,de Chriſtiano nomine reportare triumphum:cognoſcent enim inimici Chriſti Crucis,quã parum proſunt illis technæ, eorumq; ſæuitia & malitia aduerſus Chriſti aſſeclas. Stupefacti autem erant omnes, & præ gaudio fere loqui non poterant,accurruntque ſtatim,& eum è patibulo ſuſpenſum depoſuerunt,quo ſtupendo facto vniuerſi etiã Mauri conturbati ſunt:verum, Quò ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu:Et idcirco inter impios infideles,alij dicebant id arte dæmonis factum fuiſſe, alij non credebant eum eſſe hominem illum quem ſuſpenderant. Nam deinceps, B. frater Petrus Armengol, ſemper inclinato capite inceſsit,omnibus diebus vitæ ſuæ, & quaſi faciei colore mutato.Hic tãdem omnibus diebus eius vitæ religioſiſsimam vitam duxit, & herbis & leguminibus contentus ſpiritum ab oratione & ieiunio minime relaxabat, donec in cœleſtem illã beatitudinem à ſanctis Angelis deportatus eſt.

Alter etiam reperio virum noſtri ordinis fratrem,& generalem magiſtrum, qui pleroſque ſuſtinuit labores pro redẽptione Chriſtianorũ,& pro defenſione fidei catholicę, qui vocatur B. Frater Laurentius Company vigeſimus magiſter generalis ordinis,de quo ſuo loco dicemus

Fuit etiam eiuſdem inſtituti feruẽtiſsimus Zelator B.Petrus Malaſang.Et ſanctiſsimus Gillelmus,& pijſsimus Petrus comẽdator domus de Perpiñan.Et clariſsimus F. Ioãnes Granatẽſis ProuincialisCaſtellæ, qui à Mauris martyriũ ſuſtinuerũt. Rurſus plures alij redẽptores noſtri ordinis à piratis Sarracenis & Turcis capti ſunt in medio mari, & interdũ ſpoliati ſunt à bonis,interdũ vero in captiuitatẽ deducti.Quoniã Barbari,& infideles ſæpius fidẽ nõ ſeruãt, neq; ſaluũ cõductũ ſuorũ principũ, ſeu fidẽ publicã Regũ ſuorũ.Et idcirco cõtumelias, & opprobria,& inſignes iniurias a Mauris & Sarracenis, quotidie patiũtur.Interdũ autẽ ab ipſis vorticib⁹ maris deglutiũtur,vel ingentiſsimè periclitantur.

Sane in ſanctiſsimo hoc noſtri ordinis inſtituto ſemper

per

perseuerat ordo noster,& perseuerauit vsque in hodiernũ diẽ. ¶Extãt enim hodie plerique ex redemptoribus nostri ordinis qui infinitos penè labores pertulerunt, pro Christo & religione in redimendis captiuis. Nam inter alios honoris causa recẽseo,optimum & prudentissimum virum redemptorem,Magistrum fratrem Rodericum de Arce, prouincialem Castellæ, qui tres integras redemptiones peregit & compleuit, Et postquam innumeras calamitates perpessus est,tandem explorator iudicabatur à truculentissimis tyrannis,& eo colore, eum, sociumque illius interficere voluerunt, causantes limina Affricana egressos fuisse, eò quòd extra portam Vrbis de Argel ad litora Affricani maris,vt spectaculum quoddam cernerent gressum direxissent. Et sane nisi à Christianis captiuis ibi fuissent commoniti,proculdubio occubuissent. Sed glorioſe quidem. Cum autẽ secunda vice,is, redemptionem captiuorum perficeret,cumque esset inter Affricanos Barbaros, Præsertim ex ciuitate Tunicensi,& ex Fessa regali ingentem captiuorum multitudinem,ab impijs Sarracenis liberauit. Et incredibile est, quã fedifragi, & violatores rerum,verborum, & cõtractuum fuerunt impij Sarraceni & Barbari. Et cum tanta esset captiuorum fidelium turba apud eosdem crucis Christi inimicos,periclitabantur enim plerique in fide:idcirco necesse fuit socium eius fratrem Ludouicum Matiẽço,in excambium, & in pignus tradi,ad multorum fidelium redemptionem, & liberationem, ne fides contemneretur à Barbaris,& cõculcaretur crucis Christi vexillum. Qua propter apud eosdem Sarracenos, & Barbaros, quasi in signum,& pignus pacis relictus est tribus annis,prædictus frater Ludouicus Matiençó,iam senex, qui ob duodecim millia scutorum aureorum,apud eosdem detentus mansit, quasi in excambium traditus. Et cum tam ingens pecuniarum copia,& aureorum numerus,non comparuisset, male tractabatur à perfidis Sarracenis, interdum sputo in faciem eius conspuebant,interdum alapis ipsum cędebant, interdum falsa crimina imponentes in ergastulum eum detrudebant, donec datis precio & pecunijs euasit.

Idest mazmorra.

Recolo

Recolo etiam insignem, & clarissimum virum fratrem Georgium del Oliuar, nostri instituti fratrem & alumnum Cæsarauguſtanum, qui cum Africanum Maurorum litus applicuisset, post ingentem sui iacturam, ex vrbe à Mauris impijs possessa de Argel, ingentem etiam captiuorũ numerum redemit & à potestate Barbarorum liberauit. Quorum numerus, & virorum & mulierum, & infantium, alibi recensendus est. Hic flagrans charitatis fidelium ardore, succensusque beneuolentia erga Christi fideles, miserosque captiuos, cum ipsius compar & socius, Magister frater Georgius Ongay, in Hispaniam, cum ingenti illa captiuorum multitudine redijsset, tamen insignis frater Georgius del Oliuar, in pignus pacis se ipsum Mauris & Sarracenis dedit apud quos manens sanguinis, & vitæ pericula sustinuit. Nam apud quosdam infideles, eo quod Mahumeticam Sectam, sectam appellabat, carpebatur & tanquam irrisor suę religionis, & Mahumetici instituti eum accusabant. Propter quam causam coram rege, & iudicibus vocatus est, vt recantaret palinodiam, & iterum honorificis verbis Mahumeticam institutionem decoraret. Quod sanè ille audiens, constanter renuit. Et ob id dignus morte iudicatus est: & statuerunt suis decretis eũ interficere, vt sibi ipsis satisfacerẽt. Quod cum ipse frater Georgius del Oliuar persensisset, alacri animo statuit, se se ipsum morti offerre, pro Christi fide tuenda. Vnde omnia bona quæ apud se habebat, statim diuisit inter pauperes captiuos. Et cum hæc ita facta fuissent, nescio quo spiritu Maurorum rex actus fuit. Nam vocatis consiliarijs dixit. Si rem hanc perpetrauerimus, nulla nobis securitas superest cum nobis ad Christianos aditus patet si apud eos versemur. Nam si fide effracta hunc occidimus, cur non eadem fide effracta occidemur ab eis. Igitur non occidatur, parum enim nobis proderit mors illius, & magna incómoda afferre poterit: vnde ipse illæsus euasit, & modo viuit optima religione institutus, & præditus.

Reperio tandem nostri instituti, sanctissimas mulieres, quæ sanctę religionis habitum induerũt, potissime. S. Mariam Soc-

cos purissimam,& innocentiæ vitæ mirabilem, cuius corpus integrum post ducentos & eo plures annos, hodierna die perfe uerat in Barchinonensi nostri ordinis Cœnobio,simul cum illæso & incorrupto vestimentorum nostri ordinis habitu.

Reperio etiam eiusdem instituti insignem Virginem S. Col lagiam: de quibus omnibus,suis locis fusius pleraq; dicturi sumus si Deus dederit.

Hos igitur omnes,& plerosque alios filios & alumnos habet,sanctissimus ille frater Petrus Nolasco,primus frater,& primus ordinis magister,rector & gubernator: qui postquam vitam sanctitate clarissimã peregisset,videns sui corporis dissolutionẽ imminere, persentiẽsque se morti proximũ, socios suos, & charissimos sodales & fratres vocauit: Vt religionem eis cõmendaret,& sanctissimum redemptionis exercitium, vt in eo firmarentur. Quocirca circundatus fratribus suis,antequã spiritũ exhalaret,præsentibus ibi,fratre Guillermo Basensi,eius successore in magisterio ordinis,& fratre Berẽgario Cassano,& fratre Dominico Doso,& fratre Raymũdo de Vlstreto,fratre Bernardo Corbariensi,cui ipse primitus habitum imposuerat ordinis,& fratre Guillermo de sancto Iuliano,fratre Ioanne de Lercio,& fratre Bernardo de Cassolis,& fratre Raymundo Cassano,& fratre Petro de Solanes,fratre Arnaldo de patris, F. Petro de Calidis,& F. Pócio de Solanes,F. Bernardo Shona, & fratre Ferrario Gerundensi, fratre Raymundo de Monteoliuo,fratre Petro de Castelliolo,& fratre Petro de Osca: Sermonem dulcissimum habuit ad eos,& veluti Cygnus postremo,suo cantu,mirifice ordinis institutionem exposuit, & ad præclarissimum redemptionis opus inuitauit,ordinemque commendauit, manibusque in cœlum leuatis,& animam Deo commendans & tradens,cõtemplabatur redemptionem Christi seruatoris nostri, & animo perpendebat Christum è cœlo ad terram descendisse,vt liberaret nos à captiuitate dæmonis, dolebat vehementer de peccatis suis, & profusis lachrymis: Quasi torrens lachrymarum profluebat ex oculis eius, & cum protulisset illa verba: Redemptionem misit Dominus populo suo: mandauit in

æter-

æternum teſtamentum ſuum: à calamitoſo hoc ſæculo migrauit ad Dominum, in conuentu Barchinonenſi quem ipſe primo fundauerat Anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono. Poſtquam per triginta & vnum annos, ordinem gubernauerat.

DE SECVNDO MAGISTRO Generali Clariſsimo Guillermo de Baſſo.



Lariſsimus Guillermus Baſſenſis primus fuit ſocius ſanctiſsimi Petri à Nolaſco, & in omnibus eius laboribus germanus compar & particeps, illique aſsiſtens, & ex eorum numero, qui in primitiuo religionis exordio Captiuorum redemptioni deditus feruentiſsime Deo inſeruiebat. Hic ſucceſſor fuit in magiſterio ordinis, poſt mortẽ Beati Petri à Nolaſco, & ipſius veſtigia ſequens non ſolum in officio ſanctæ religionis ſolicitabatur: verum in opere redemptionis explendo vehementer, & ardenter ſe geſsit. Hic non ſolũ fuit ſecundus magiſter generalis, ſed ſecundus Prior ſiue Commendator domus Barchinonenſis, habuitque ſimul iuriſdictionem temporalem, & ſpiritualem & regimen vniuerſale totius ordinis, ipſoque gubernante plurimum dilatatus fuit ordo noſter, quia plura ille erexit, & fundauit cœnobia, & monaſteria; non ſolum in Prouincia Cataloniæ, verum etiam in regno Valentiæ, præſertim ſuo tempore fundauit domum Vici ſeu de Viche, cui acceſsit Manſus maior prædictæ domus. Hic ordinauit habito mandato, & conſilio ab illuſtriſsimo Rege Iacobo fundatore, & patrono ſpeciali noſtri ordinis, vt datum ſignũ, & ſcutũ, quod modo deferimus, ſemper cum foras egredimur deferretur, veluti regale pignus inſtitutionis ordinis B. Mariæ de Mercede. Et per eundem illuſtriſsimum Regem Iacobum, confirmata fuerunt,

donationes omnes factę fratri Petro Nolasco primo magistro, & pariter bona omnia data ordini, & concessa ab eodem Rege Iacobo. Hic dexteritate pollebat ingenij, & prouide ordinem gubernauit, & pleraque alia gesit, quibus incrementum incredibile ordini accessit, quæ enarrare longissimum foret, fuit electus post mortem primi magistri sanctissimi, Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, & durauit eius regimen per decem, & nouem annos, nempe vsque ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum nonum, quo anno migrauit ab hac luce, & beato fine quieuit. Hic non solum fuit magister generalis totius ordinis sed etiam fuit simul prior seu commendator Barchinonensis, & sic habuit circa totum ordinem, regimen, & iurisdictionem spiritualem & temporalem: sicut eam habuerat sanctissimus Petrus Nolasco primus magister ordinis, & primus frater.

TErtius Magister Generalis ordinis, fuit frater Bernardus de sancto Romano, qui cum ascendit ad magisterium ordinis, erat commendator monasterij sancti Michaelis ciuitatis Cetabis, seu de Xatiua. Et ob incredibilem eius modestiam ascendit ad prædictum ordinis Magisterium. Hic etiã ordinem amplificauit & dilatauit. Suo tempore fuit prior Barchinonẽsis, frater Bernardus de Corbaria, qui primus fuit Prior generalis vocatus, nempe post mortem secundi magistri generalis fratris Guillielmi de Basso, cum antea appellaretur commendator coniuentus Barchinonensis. Et hic prædictus frater Bernardus de Corbaria, non solum habuit in toto ordine, potestatem in spiritualibus, verum etiam visitauit totum prædictum ordinem in spiritualibus. Et quidem Reuerẽdissimus magister, frater Bernardus de sancto Romano, post confirmationem summi Pontificis, cũ cæpisset ordinem gubernare, ac in tẽporalibus visitare, non longo tempore deinceps mortuus est, Barchinonæ. Anno domini millesimo, ducentesimo septuagesimo secundo. Quocirca vixit in regimine religionis tribus annis. Ob cuius discessum religio mansit, quasi effracta spe multorum bonorum. Sperabat enim ex sanctitate, prędicti Bernardi

di de ſancto Romano, magnam religioſorum omnium frugẽ & coram regibus & principibus incredibilem authoritatem, conſequi debere, ob eximia illius merita.

QVartus Magiſter Generalis fuit frater Petrus de Amerio. Et hic fuit magiſter generalis laicus: Virtamen religioſiſsimus, & eximius in regimine religionis. Hic ſtatuta omnia, & cõſtitutiones vidit ſæpius, & ea conferẽs, cum viuente primo magiſtro generali ordinis, ſanctiſsimo Petro Nolaſco, fuiſſent edita, & conſtructa, illa omnia in vnum collegit, & ad debitum modum ordinauit, atque reduxit, & vt debite rem hanc peregiſſet, cælebrauit capitulum generale Barchinonæ, Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, prima die mẽſis Maij, à creatione ordinis quinquageſimo quarto anno. Fecitq; poſt prædictum capitulum generale, vt cõſtitutiones prædictæ obſeruarentur in toto ordine cũ perſonaliter ipſe ordinẽ, & monaſteria omnia viſitaret. Celebrauit rurſus alterum generaale capitulum Illerdæ, in quo, quæ ad Redemptionem captiuorum pertinebant exactè diſcuſsit, cum ſuo tempore plures redemptiones fidelium Chriſti compleuiſſet, Et cum totum ordinem viſitaſſet ſalutaria monita, & conſilia decreuit, vt ſic ordo totus, in fine ſanctæ inſtitutionis, & fundationis ſuæ, cãdide permaneret: ac incrementum ſuſciperet. Eo tamen tempore adhuc erat prior Barchinonẽſis cœnobij inſignis ille frater Bernardus de Corbaria, qui (vt diximus) habuit poteſtatem in toto ordine in ſpiritualibus, & fuit in huiuſmodi regimine conſtitutus pleriſque diebus, nempe vſque annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum quintum, cum fuerit antea electus in commendatorem domus Barchinonẽſis anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio. Vnde tempore tertij, & quarti magiſtri generalis, nominatus fuit, & electus diſtinctus Prior monaſterij Barchinonenſis ad regimen ſpirituale ordinis, qui eſſet alius à magiſtro generali, quia decretum fuit ne regimen ſpirituale, & temporale ad vnum tantum pertineret, ſed ad diuerſos, & cum generali magiſtro reſeruaretur regimen in temporalibus, cum

his, quæ pertinebant ad captiuorum redemptionem partitum est religionis regimen in duas distinctas personas, nempe & in Magistrum generalem equitem laicum, & in priorem generalem ordinis, qui cum prius esset commendator Barchinonensis cœnobij, deinceps postquam cæpit ordinem gubernare vocatus est prior generalis Barchinonensis. Prędictus tamē frater Petrus de Amerio, qui fuit quartus magister generalis mortuus fuit, ac in pace quieuit decima die mensis Iunij Anno Domini, 1301. à creatione autem, & fundatione ordinis octuagesimo secundo, vixit autem in magistratu, & in regimine ordinis per triginta & vnū annos.

A pleriſq; tamen vocatur ſanct⁹ & inſcribitur. B. frater Petrus Amerius & quod fuit mortuus anno Domini 1302. ſed ſa nemortuus eſt vt diximus anno, 1301

Quintus magister generalis electus, fuit frater Petrus Formica, qui post electionem antequā à summo Pontifice cōfirmaretur mortuus est anno Domini, 1302. Octauo Kalendas Aprilis in conuentu Barchinonensi in die Annunciationis Beatissimę Virginis Marię. Hunc refert quinto loco frater Natalis Gauer, & licet posset sexto loco constitui, cæterum cum breui tempore fuerit mortuus, ante magistrum fratrem Arnaldum Ameriū, idcirco quintus Magister ordinis appellatur, præsertim cum fuerit mortuus ante confirmationē. Ab aliquibus vero non cōputatur inter magistros, vel quia tantisper durauit, vel quia fuit presbyter. Et sane licet prædictus nouus magister electus, frater Petrus Formica reponatur inter laicos atq; equites, nihilominus ille fuit presbyter, Et idcirco sede vacāte, tunc primū fuit schisma in ordine inter clericos & laycos. Mortuo nanq; quarto magistro generali, scilicet fratre Petro de Amerio inter proceres religionis, præsertim inter priorē generalē Barchinonensem, & laicum magistrum equitē, & eos qui ad magisteriū ordinis aspirabant, cœpit dubitari ad quid se extenderet potestas Magistri generalis laici equitis, & pariter, ad quid rursus se extenderet potestas, & regimen, seu iurisdictio prioris generalis Barchinonensis, & de ea re decertabant inter se. Vnde laici equites nostri ordinis, simul cum plerisque religiosis sacerdotibus clericis, ex communi consensu conuenerunt, & congregati sunt in monasterio Diuæ

Mariæ

Mariæ de Mercede del Puche prope Valentiam, vt eligerent Magiſtrum Generalem laicum, atque equitem. Veruntamen frater Dominicus Sancti Petri, qui eo tempore erat prior Generalis Barchinonenſis, cum nouiſſet prædictos religioſos, & laicos equites, ſine ipſius ſpeciali conuocatione, & mandato, ſimul eſſe congregatos ad prædictã electionẽ faciendã. Et ad eũ pertineret præſidere in capitulo electionis magiſtri generalis, & eoſdem conuocare, dedit in ſcriptis mandatum cum cenſuris contra fratrem Petrum Alos vicariũ domus del Puche, ne permitteret, aut conſenſum præſtaret prędictæ electioni faciendæ, neque rurſus permitteret, aut conſentiret, quod in prædicto monaſterio domus del Puche fieret electio magiſtri, Atque idcirco omnes, & ſingulos fratres, qui conuenerant in prędictam domum del Puche conuocabat ad electionem magiſtri Generalis faciendam in domum Barchinonẽſem noſtri ordinis. Cæterum appellantes ab hoc mandato prioris Generalis, cum eſſent ſimul congregati in prædicto cœnobio del Puche, elegerunt de facto in Magiſtrum generalem fratrẽ Arnaldũ de Amerio ſextũ Magiſtrum generalem, Veruntamen prædictus prior Barchinonenſis frater Dominicus Sancti Petri, dedit iterum mandatum cum cenſuris, & declarauit prædictum vicarium del Puche cũ electoribus, eos omnes fuiſſe inobedientes, & excommunicatos, ob non paritionẽ, & ob inobedientiã. Et idcirco, nouum dedit ſuis litteris cõuocatorijs, mandatum, conuocauitque omnes, & ſingulos ordinis electores, ad electionẽ magiſtri faciendã Barchinonæ. Et omnes illi, qui ex prædicta conuocatione, & mandato Barchinonam conuenerunt, tam ſacerdotes, quam laici equites, elegerunt in Magiſtrum generalem fratrem Petrum Formica presbyterũ ſuperius nominatũ. Et quod nouus iſte electus Magiſter, fuerit presbyter, ea ſane cauſa fuit, q̃ in prædicta domo Barchinonẽſi, ex laicis vocẽ habẽtibus, in prædicta electione, pauci ſunt inuẽti. A qua electione procurator prouincię Caſtellę appellauit, tum quia fuit electus presbyter in magiſtrũ generalẽ, cõtra ordinis cõſuetudinẽ, tũ etiã, quia iã fuerat eo tẽpore electus magiſter generalis laicus

in

in monasterio domus del Puche. Cum igitur ob prædictas causas magnum fuisset in ordine schisma, inter fratres, laicos equites, & sacerdotes, & essent eo tempore duo Magistri generales, nempe frater Arnaldus de Amerio, qui in hoc primo ordinis schismate fuit electus à fratribus laicis, Et frater Petrus formica presbyter, qui fuerat electus Barchinonæ, & tot essent in ordine lites, & contentiones inter laicos, & sacerdotes, causam detulerunt ad summum Pontificem Bonifacium octauũ, Et cum processus, & acta omnia in prædictis electionibus, & vtriusque partis iura, & allegationes corã eodem summo Pontifice Bonifacio octauo tractarentur, & fierent, tunc antequam Pontifex rem atque litem definiret, mortuus est prædictus frater Petrus Formica, qui fuerat electus à laicis & clericis, in domo Barchinonensi, præsidente in electione eius fratre Dominico S. Petri priori generali dictæ domus Barchinonensis. Emortuo tamen prædicto fratre Petro Formica, prior prædictus Barchinonensis frater Dominicus Sancti Petri, iterum suis conuocatorijs literis vocales laicos, & sacerdotes Barchinonam conuocauit, pro electione magistri generalis facienda ob prædictam mortem fratris Petri Formica, & elegerunt in generalem magistrum fratrem Raymundum Albertum docto rem in decretis sacerdotem, (de quo infra suo loco dicemus) à qua electione elector, & procurator pro prouincia Castellæ, eisdem ex causis superius recitatis, appellauit summum Pontificem Bonifacium octauum. Verũ cũ causa hæc, & lis ageretur coram eodem Põtifice mortuus est Bonifacius octauus, & electus fuit in summum Põtificem Benedictus vndecimus, qui, cum in pontificali sede per octo menses solum vixisset, illi successit Clemens P P. V. qui partibus vtrisque litigantibus auditis, declarauit electionem factam in prædicta domo del Puche, in qua fuerat electus in magistrũ generalem frater Arnaldus de Amerio nullam fuisse, & nullius roboris, aut firmitatis. Eam verò, quæ facta est Barchinonæ, in qua fuerat electus postremo loco frater Raymundus Albertus decretorum doctor: Pariter non esse à patribus in ordine recipiendam verum

tamen

Verũtamẽ ſanctiſsimus clemẽs PP. V. de cõſilio cardinaliũ, vt omnibus prouideret fratribus, & ſatisfaceret, pro illa vice dun taxat prædictum fratrem Raymundum Albertum nominauit in priorem generalem totius ordinis in ſpiritualibus, & fratrem Ferdinandum, ſeu Arnaldum Roſinyol laicum equitem nominauit in Magiſtrum generalem ordinis in temporalibus, vt conſtat ex bulla eiuſdem Clementis Pontificis expedita anno 1308. In qua ſuis literis decreuit, quod mortuo prædicto magiſtro generali fratre Arnaldo Roſinyol, deinceps futuris perpetuo temporibus vnus ſolum eligeretur magiſter in toto ordine presbyter, qui non ſolum fungeretur poteſtate generalatus in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus.

Aduertere tamen oportet, quod in recitandis & enumerandis prædictis electionibus magiſtrorum generalium poſt mortem quarti magiſtri generalis fratris Petri de Amerio, qui mirifice ordinem gubernauit, cum eſſet primum ordinis ſchiſma inter fratres laicos, & ſacerdotes, ſequutus ſum ordinẽ electionum, & temporum, in quibus electi ſunt prædicti magiſtri, ſiue durante prædicto ſchiſmate electiones illæ fuerint validæ, & legitimæ, ſiue non. Nam eo tempore non ſolum fuit ſchiſma, verum lis agebatur coram prædictis ſummis Pontificibus & tempore litis durante prædicta omnia acta fuere.

Ad veritatem præfatæ hiſtoriæ & dictarũ electionũ Hæc ſunt aduertenda.

Non obſtat his, quæ diximus, neque ijs, quę facta ſunt à Clemente. V. vt patet per bullam eius, ſeu diploma expeditum anno. 1308. Quod Bonifacius octauus anno nono Pontificatus ſui declarauerit pro laico, quanuis iam frater Raymundus Albertus fuerit confirmatus. Quia hæc non fuit declaratio definitiua, ſed interloqutoria, vt interim durante lite, frater Arnaldus de Amerio exerceret officium magiſtri generalis in temporalibus, & frater Raymundus Albertus, qui erat prior generalis, pariter in toto ordine exerceret officium in ſpiritualibus, Et idcirco prædictus Bonifacius octauus conceſsit, propter prędictam litem, & ſchiſma, quod erat in ordine, ne ex appellationibus fratrum, & inobedientia, libere religioſi agerent & vi-

uerent, & perturbaretur ordo, quod Magister ordinis, non obstante appellatione quacunque libere posset semper corrige re fratres suos, vt patet ex eius concessione facta quinto Idus Aprilis anno octauo pontificatus sui.

A quibusdã dicitur fratrer Arnaldus de Amerio, & ideſt probabilius, àquibusdam vero vocatur frater Ferdinãdus de Amerio.

SExtus magister generalis laicus fuit frater Arnaldus Amerius, seu ab Amerio, qui à quibusdam computatur quintus magister generalis, quoniam frater Petrus Formica electus Barchinonæ tantisper durauit, cum ante eius confirmationem moreretur, & rursus ob id quod cum suo tẽpore esset alter magister generalis, nẽpe idem Frater Arnaldus de Amerio laicus, & ipse Frater Petrus Formica esset presbyter, & tunc esset schisma in toto ordine, idcirco hæc causa fuit, cur à quibusdam dicatur, quintus magister generalis frater Arnaldus Amerius, electus à fratribus laicis in primo ordinis schismate inter ipsos & sacerdotes, Sed parum interest, quod numeretur quintus, vel sextus, dummodo cognoscatur veritas rei, & historiæ, nam certissimum est, (vt etiam refert frater Natalis Gaber decimus nonus magister ordinis in sua historia) quod tempore quo fuit primum schisma in ordine, simul fuerunt electi duo generales magistri, nempe frater Arnaldus de Amerio, & frater Petrus Formica, & è mortuo prædicto fratre Petro Formica, fuisse electum similiter Barchinonæ in magistrum generalem fratrem Raymundum Albertum. Sed quoniam prædictus frater Petrus Formica fuit electus in magistrum ordinis, & mortuus ante determinationem Pontificis factam à Bonifacio octauo, & antequam prædictus frater Arnaldus de Amerio, fungeretur potestate sui magisterij, idcirco, vt series, & ordo magistrorum texeretur, & simul vt permaneret in memoria religionis, electio facta prædicti fratris Petri à formica, ob id numeratur quinto loco inter magistros, licet à nonnullis prætereatur, & eo sublato quintum magistrum generalem recenseant fratrem Arnaldum ab Amerio.

Tempore prædicti Fratris Arnaldi de Amerio fuit in ordi-

ne

ne magnum ſchiſma, vt ſuperius commemorauimus, & durauit per tres annos. Hic vixit per ſeptem annos in Magiſtratu nempe ab anno Domini. 1302. vſque ad annum. 1308. Et tempore iſtius fuerunt duo generales ſimul vnus Presbyter, & alter laicus, ambo electi: ſed Bonifacius octauus, interim durante lite, vt ordo gubernaretur, interlocutoria ſua ſentètia, ſeu declaratione, mandauit prædicto fratri Arnaldo de Amerio, vt ordinem gubernaret in temporalibus, & fratri Raymundo Alberto, q i iam fuerat confirmatus, quod gubernaret ordinem in ſpiritualibus.

SEptimus Magiſter Generalis, & vltimus laicus æques fuit Frater Arnaldus Roſyniol, qui fuit electus etiam durante ſchiſmate, à commendatoribus laicis. Hunc confirmauit Clemens. PP. V. Nam prædictus Pontifex definitiua ſua ſententia litem abſoluens coram eo & ſuis prędeceſſoribus agitatam ſuper dignitate Magiſtri generalis, an futurus eſſet clericus, vel laicus, decreuit, de conſilio Dominorum Cardinalium, pro illa vice duntaxat, quod eſſet Magiſter generalis prędictus frater Arnaldus Roſyniol, qui haberet poteſtatem in temporalibus, & quòd frater Raymundus Albertus, qui tunc erat prior domus Barchinonenſis, eſſet prior generalis ordinis in ſpiritualibus. Ita tamen, vt poſt mortem Magiſtri Arnaldi Roſyniol laici equitis, primus qui eligeretur in Magiſtrum ordinis eſſet clericus, & non laicus. Sane tempore huius Magiſtri fuit magnum ſchiſma inter ipſum, & fratrem Raymundum Albertum priorem generalem ordinis circa regimen, & poteſtatem Magiſtri, ad quid ſe extenderet, & circa poteſtatem eiuſdem prioris generalis. Quæ quidem controuerſia, ſeu lis deciſa fuit Tarraconæ per viam compromiſsi, per Reuerendum Dominum Guillermum, Archiepiſcopum Tarraconenſem, & reuerendũ fratrem Raymũdum, epiſcopum Valentiæ, in prouinciali cõcilio Tarraconę facto, quibus cauſa commiſſa fuit per totum concilium, decimo octauo Kalendas Martij, Anno Domini. 1311. vt patet per

instrumentũ in ibi confectum, Datis die, & anno, prout in eo cõtinetur. Et in eisdem litteris testimonialibus habentur pariter, quæ facienda erãt per eosdem Magistrum generalem, & Priorem, & quantã vniusquisque haberet potestatem, in regimine totius ordinis. Vixit prædictus magister frater Arnaldus Rosiniol laicus eques per tredecim annos in magistratu ordinis. Obijt Valentiæ quinto nonas Maij, Anno Domini. 1317. à creatione autem seu fundatione ordinis anno nonagesimo nono.

OCTAVVS MAGISTER Generalis, frater Raymundus Albertus.

EXtremis his diebus quibus defecerunt Priores illi Patres, & antiquiores nostri ordinis, clarissimi viri, & diminutæ sunt veritates à filijs hominum: Eorum qui nos anteceſſerunt, sanctitatem & res nonnullas præclare gestas literis mandare, tam ratio nos impellit, quam inuitat nos vtilitas. Cum enim Deus, à quo tanquam à fonte, in sanctos omnes promanat: quidquid in eis est virtutis & gratiç, in eorum puritate cognoscitur, & laudatur: Salutaremque sui sitim, & desiderium excitat in eis, qui ab eo deriuatam suauitatem, in sanctis eius & clarissimis viris, atque patribus, dum eorũ legunt historias, deguſtant, & experiuntur. Nos etiam qui hic manentem non habemus ciuitatem, sed futuram inquirimus, dum eorum & contemplamur, & sectamur vestigia, qui tam aduersantis mundi siniſtram, quàm male blandientis dexteram conténentes, via Regia ingressi sunt, non abducimur ad auia, & tortuosa multorum itinera, quæ perducant ad dolores sempiternos. Huc accedit quod grauissimorũ patrum, & studiosissimorum virorum cõmemorandis & conscribendis virtutibus,

tutibus,& geſtis,eorum nobis patrocinia concilianus, & lecto res,ad virtutis ſtudium eorum exemplis incitamus. Et his nos permoti animum adiungimus ad conſcribendam B. Raymun di Alberti, nonnulla ab ipſo præclare geſta,dum vixit,qui nos, vt Aries inſignis,& paſtor fideliſsimus religionis,ad caulas ſum mi paſtoris anteceſsit. Inuitat etiam, & animat nos, voluntas & iuſsio vigilantiſsimi patris & paſtoris, Fratris Franciſci à Salazar trigeſim Magiſtri generalis noſtri ordinis, qui tanti prædeceſſoris ſui gratulans virtutibus, imo vero eo ipſo, ſe declarans,haud qua quam virtutis inopem,anno ſalutis milleſimo quingēteſimo, octuageſimo octauo, ſui autem regiminis primo,hoc nobis onus impoſuit : Qui etiam authoritate ſua,aduerſus obtrectatores tueri nos poterit.

Iuſsio vigilantiſsimi Magiſtri F. Franciſci à Salazar Generalis.

Is autem B. vir Frater Raymundus Albertus in Cathalonia natus,hubuit parentes genere claros:Qui cum ex deſiderio prolis ſuſcipiendæ à parentibus eſſet exceptus, ipſique eum ſibi à Domino datum accepiſſent, eius gratiæ non ingrati in Barchinonenſe cœnobium noſtri ordinis, ſeruiturum adduxerunt:Sicut olim Anna ſuum Samuelem Heli ſacerdoti obtulit,Erat autem puer magno ingenio & optimæ indolis, quorum altero multam ſibi parauit eruditionem, altero virtutes eximias. Non deerant autem Chriſti tyroni malignorum dæmonum infeſtæ tentationes : ſed ipſe Chriſto capiti inhærens, & eius armis ſe communiens, vicit tentationes. Porrò Beati Patris noſtri Auguſtini regulam & conſtitutiones ordinis redemptorum,ceu regiam amplectens viam, tam exactè viuendo ſectari conatus eſt,vt ex diſcipulo Magiſter, & ex fratre monacho,Prior generalis ſeu commēdator, & Generalis Magiſter totius ordinis fieri promeruerit,vt inferius dicemus.

1. Reg. 1.

Poſtquam autem nonnihil creuit Albertus, liberalium artium ſtudijs eſt admotus, & iuri pontificio à Patre ſuo. Ille vero ſancti ſpiritus gratia ornatus, literis bene eruditus, & optimis moribus inſtructus, parentibus charus, ciuibus acceptus & amabilis fuit. Vnde cum vigeſimum primum annum

attigisset, doctoratus lauream in iure canonico est assequutus, quod mirabile fuit in regno Cathaloniæ. Iam cum fere vigesimum secundum annum attigisset: Quidam præcipue nobilitatis viri, cum poscebant sponsum addici puellæ cuidam, quæ illustri stemmate nata videbatur. Pater eius illorum precibus tantisper per motus & flexus rem vxori detulit. At illa postquam virum talia dicentem audiuit, valde obstupescens, ait ad eum: Miror prudentiam tuam, vel in animum inducere potuisse, vt ea proponeres quæ fieri nefas sit. An vero iam prorsus immemor es benignissimi Creatoris tui, qui nos tanto voluit afficere beneficio, vt prolem nobis dederit studiosissimam? Nunquid nobis non est danda opera vt Deo, & sanctissimæ eius Matri persoluamus id, quod polliciti sumus? Albertus Raymundus filius noster dilectus, non fœminæ, sed Deo coniungendus est, & sacræ Religioni Beatæ Mariæ copulandus. Nunquid à prima pueritia, in monasterium redemptorum seruiturus Domino non fuit adductus? sicut olim Samuel Heli sacerdoti fuit oblatus? Nonne eo loci, plerisque temporibus in religiosa vita fuit mediocriter instructus, & in præludijs sanctæ religionis imbutus? Cur ergo sponsam religionem non suscipiet? His auditis Pater illius quasi diuino permotus timore tacuit.

S. Thom. Aquinas priusquam togam D. P. Dominici indueret, inter Monachos Montis Casini educatus est à quibus fuit mediocriter instructus. Sic cõtigit B. Raymundo Alberto

Quocirca ne huius sæculi fallacibus bonis raperetur, non solum Raymundus Albertus, verum & parentes eius statuerunt eum togam religionis assumpturum fore in præclarissimo sanctæ Mariæ de Mercede cœnobio in eadem Barchinonensi vrbe. Statuto igitur die quo vestes erat religiosas, & monasticas accepturus clarissimus Raymundus Albertus: Nobiles omnes ad tam pium spectaculum confluunt. Sanctus puer Albertus ex more sanctum religionis habitum induit. Vestesque suas, quibus hactenus vsus fuerat, proprijs manibus pauperibus elargitur, vitam mox viuere cœpit sanctissimam. Id vero cernens antiquus hostis à sancto proposito ipsum resilire nititur, in ipsis primis religionis ex ordijs. Quocirca eum pœni-

pœnitentiæ ſtudijs & precibus inhærentem: ſub elegantiſsimæ mulieris forma aggreditur, & quandam vultu mentis pietatem, non ſine gemitu ita eum alloquitur: Me miſeram, Quidnã factura ſum, tui amore vſque adeo flagrans occupata, ſed tuo cõſortio deſtituta, cum nihil optarem ego magis, aut fœlicius, quàm te habere maritum? Sed quæſo te, atque obteſtor, ne me tam illuſtrem & pulcherrimam deſeras puellam: Nec tibi fas eſt tam vili, & abiecto vti habitu, cum ſis nobilis: Planè redeundum eſt ad ſæculum. Ego tam decora & amabilis, præcipue nobilitatis ſtirpe progenita, opibus & copijs huius mũdi, in quibus eſt magna vitæ fœlicitas, egregie abundo & affluo. Quid igitur in his ſordibus perpetuo decreuiſti permanere, cum certum ſit, non poſſe te hoc aſperum & acerbum vitæ genus, tantumq; pondus ſuſtinere? Oro igitur & obſecro iuuenis ſpecioſsime, quem ego præ omnibus vnice diligo, te redire ad paternos lares, iungereque te mihi matrimonij legibus. Et omnibus bonis mecum perfruere. Sentiens autẽ Raymundus, Chriſti ſeruus à Dæmone perſuaſiones has, è ſuggeſtione proficiſci, ſigno ſanctæ crucis ſe communiens, diuinumq; petens auxiliũ, ita ait: Abi, fuge, tortuoſe ſerpens in flãmas tuas, meq; miſſum facito. Non enim vera hæc eſt, quam præ te fers, hominis effigies, ſed maledicta eſt, conficta, & commentitia ſpecies tua. Ad has Raymundi Alberti voces ille Sathan euanuit, nec quicquam mali ex ea viſione Raymundus Albertus perpeſſus eſt. Inde verò cautior euaſit, & prudentior. Quocirca decurrentibus lachrymis, & continuis precibus & orationibus iugiter orabat petens à Deo, in ſancto propoſito debitam perſeuerantiam, & obſeruationem. Vnde anno probationis abſoluto, palam ſe monaſtica profeſsione obligauit, quam animo iam ille fecerat, cum religioſum habitum ſuſcepit. Fuit porrò vita eius mirabilis, aſpera, & riguroſa, inſignis tamen patientia, multaque de ſe virtutis exempla præbebat, feriis ſecundis, quartis & ſextis, plerunque egregio cilicio carnem domabat ſuam, eam aſsiduis ieiunijs macerabat, & crebro

bro etiam humi cubabat, rudi panno tegebat corpus, & ob id vestes viles ferre non erubescebat. A vino abstinens, aquæ potum illi præferebat, ne vinum blande ingrediens, luxuriæ fomenta suppeditaret. Sextis ferijs pane & aqua solum vtebatur pro cibo. & his solum contentus erat, & vestibus asperis vexabat carnem, ne quas illi aduersus spiritum delectationes parturiret. Otium semper fugit, & bonis operibus perpetuo intentus erat, vt eum malignus hostis semper bonis, & studiosis rebus occupatum inueniret. Quocirca reperi apud antiquos, sic sacræ scripturæ fuisse deditum, vt licet doctor fuerit in decretis, eam videretur memoriter retinere. Castitatis fuit per quam studiosus, obedientiæ sanctæ, constanter, & integrè addictus, Paupertate, & humilitate facile omnes sui temporis fratres & sotios superabat: Et cum vt diximus sacræ lectioni deditus esset (nã mirifice delectabatur in recitatione carminum, & sententiarum sapientissimi Salomonis, & in sanctorum Prophetarum vaticinijs recensendis, & enarrandis) Doctrinam hanc supercælestem, & ecclesiasticam moribus ornatissimis illustrabat. Omne patrimonium suum in pauperes fratres captiuos distribuit, vt nonnulos eorum à captiuitate liberaret. Diuina quoque sapientia perfusus, intrinsecus semper cælestibus fruebatur delectationibus. Quodque cum apud infideles, præsertim Iudęos, qui apud Mauros degebant, sermonem & oratione habuisset, mirifice suorum eloquiorum radijs eos illustrabat neque raro ex illis ad Christi religionem quosdam perduxit. Quocirca cum tantus esset, & tanti æstimaretur in religione, obseruantiæ & vitæ sanctitas, quæ in eo splendebant, mortuo Dominico Sancti Petri Barchinonensi commendatore, & Priori generali ordinis, electus fuit, sanctissimus Frater Raymundus Albertus, in priorem generalem ordinis, seu in priorem Barchinonæ, & idcirco fuit septimus commendator, & quintus prior, à cuius tempore Commendator cœnobij Barchinonensis, semper Prior est appellatus. Vixit autẽ in prædicto prioratu decem annis, nempe ab anno milleſimo trecentisimo

septi-

ſeptimo,vſque ad annum milleſimum tricenteſimumdecimū ſeptimum,in quo electus fuit in Magiſtrum ordinis , & tunc ceſſauit nomen prioris generalis ordinis.

Acclamante igitur omni populo, octauus magiſter generalis,& primus clericus fuit venerabilis,& prudentiſsimus vir, & ſeruus Dei,ſanctitate,& religione plenus, frater Raymūdus Albertus,Decretorum Doctor, qui prior erat Barchinonenſis cœnobij,& vocabatur prior generalis ordinis , & viſitabat vt Magiſter generalis in toto ordine,Qui ſane cum eſſent lites adhuc,& contētiones in ordine,ne quiſquam ex presbyteris, aut clericis eligeretur in magiſtrum , nihilominus ſanctiſsimus Raymundus Albertus,vere fuit electus in Magiſtrum in conuentu Valentiæ,vbi obierat frater Arnaldus Roſyniol vltimus Magiſter laicus , qui eum præceſſerat.Et in capitulo electionis prædictę,conuenerunt centum nonaginta quinque fratres,vocem habentes in electione,& loco abſentium,eorum procuratores comparuerunt.Qui omnes congregati,demandato prædicti prioris generalis , ad electionem prefatam proceſſerunt, elegeruntque in magiſtrum generalem ordinis,in ſpiritualibus & temporalibus dictum fratrem Raymundum Albertum clericum:habuitque.114.ſuffragia.Frater autem Dominicus Othgerij Tarraconenſis Commendator presbyter,vnus de diffinitoribus & ſcrutatoribus , quinque habuit eligentium vota & ſuffragia,Frater vero Ioannes de Clarecato quatuor. Quocirca ſeptuaginta duo fratres laici, ſeparauerunt ab electione præfata ſeipſos , qui licet admoniti & requiſiti fuerint,noluerunt intereſſe dictę electioni , adhuc enim contendebāt laici Magiſtrum generalem ordinis debere eſſe equitem lauicum & non clericum. Vnde poſtquam illi ſeptuaginta duo laici ſeparauerunt ſe, à prædicta congregatione & capitulo,elegerunt in, Magiſtrum generalem,fratrem Berengarium de Hoſtaleſio laicum, verum hanc electionem poſt modum, Ioannes. PP. vigeſimus ſecundus caſſauit & nullam fuiſſe declarauit,vt liquet per publicum inſtrumentūm quod Barchinonæ extat. Qua propter ſanctiſſimus Pontifex , decreuit ac declarauit, quod in ordine Re-

demptorum B.Mariæ de Mercede, Magister generalis ordinis, semper esset clericus,& nõ laicus. Vnde ne essent schismata & lites in religione, authoritate pontificia & de consilio Cardinalium, dictus frater Raymundus Albertus præfectus est in Magistrum generalem totius ordinis prælibati, & nominatus specialiter, pro illa vice duntaxat à summo Pontifice Ioanne vigesimo secundo. Qui non solum gauderet regimine eiusdem ordinis in spiritualibus sed etiam in temporalibus. Quare in ordine nostro, iam secundo solum per sex menses & quatuordecim dies durauit schisma & contentio, quia Clemens Papa quintus confirmauit electionem fratris Arnaldi Rosinyol,& decreuit quod pro illa vice duntaxat esset Magister laicus, & post ipsius obitum semper esset clericus. Quocirca sicut ordinatum fuit à Clemente, sic deinceps fuit à successore eius Papa Ioanne vigesimo secũdo factum & definitum: Nam cassatis, irritatis, & annullatis vtrisque electionibus prædictis, per summum Pontificem de consilio Cardinalium absque tamen nota aliqua infamiæ personarum, pro illa vice duntaxat nominatus est in Magistrum generalem prædictus frater Raymundus Albertus, vt supra diximus.

Hic seruus Dei B.Raymundus Albertus, qui diuina prouidencia nostro ordini est concessus, vt huius gregis esset Pastor,& doctor,primo quidem, cum cœpit gubernare, totum ordinem reformauit,& ad præscriptum,debitumque ordinem constitutionum,reduxit. Et idcirco constitutiones ordinis debite compilauit in vnum, & eas tradidit religioni obseruandas: Et potissime præscripsit modum, & rationem quæ ab omnibus fratribus seruanda erant circa redemptionem captiuorum. Ordinauit rursus, quod Prior Barchinonensis, præficeretur prædicto cœnobio nostri ordinis, per viam electionis,cum antea à generali Magistro nominaretur solum,vel à Capitulo generali,& diffinitoribus. Hic primus fuit,qui cęlebrare cępit capitula generalia in festo sanctissimo Pentecostes,cum tamen Magistri laici celebrauerint sua capitula in festo inuentionis Sanctæ Crucis mensis Maij. Et quidem prædictus

dictus frater Raymundus, primum generale capitulum celebrauit Barchinonæ, Anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo octauo. In quo, ita mire ſe geſsit, vt ab omnibus merito iudicaretur dignus, & digniſsimus illo magiſterio. Patiens erat ad omnes, libenter audiebat quoſcunque etiam minimos, & ex ardentiſsimo charitatis amore quo flagrabat, debiles & minus perfectos ad ſanctam religionis obſeruationem inuitabat. Gaudebat rurſus omnis noſtra religio, atque lætabatur tali Paſtore, & Magiſtro generali, ſibi diuinitus dato, confidens omnem totius ordinis ſtatum per eum firmum, ſtabilemque futurum.

Qua propter cæpit ſeruus Dei ſanctiſsimus, Prælatos omnes, & antiſtites religionis, atque fratres admonere, vt quod ſemel in ſacro ordine profeſsi ſunt, moribus tenerent, & operibus exercent, viamque rectam ſequerentur, & vanam mundi gloriam paruipenderent, ſicut profeſsione vouerant, & decreuerant. Atque his cæleſtiũ factorum inſignibus illuſtratus, ab omnibus tanquam parẽs colebatur, eiuſque ſanctæ exhortationis dictis, cuncti æquali deuotione parebant. Erat vir ſanctiſsimus, profundus ingenio, diſertus eloquio, conſilio prudens, factis maturus, virtutum cultor, vitiorum extirpator, & religionis zelator: vnde vita eius ſermonibus illius erat conformis.

Vt verò ſentiebat ſe à negotijs expeditũ & liberũ, vt perfectius diuina opera exequeretur, diem naturalem, huncin modum diſtribuebat. A prima noctis hora vacabat precibus. Inde corpori nonnihil ſomni indulgens, poſt ſomnum reuertebatur ad exercitia, quibus caro caſtigaretur, & eo tempore, quæ neceſſaria erant ad religionis regimen, ſcripto mandabat & expediebat. Poſtea ad matutinas preces perſoluendas ſe conferebat, Deumque cum lachrymis orans, ad ortum aurorę, ſacrificium offerre pergebat. His abſolutis, ad regiminis exercitia & officia paratior, & aptior reddebatur. Vnde poſt prædictum tempus, omnia & ſingula ordinis

negotia libens audiebat, singulisque fratribus ordinis, circa necessaria hilari & grato animo prouidebat. Porrò cum esset iuuenis ad sacerdotium promouendus, testabatur se inuitum sacerdotium suscepisse, non enim dicebat fas est, vt indignus seruus tantum misterium, populo administret.

Quodam enim die coram altari in ecclesia media nocte seruo Dei Raymundo feruenter orante, illustrante que luce lampadis templum, Sathan illic adfuit, eum à sancto opere volens auocare, orabat enim tunc, & ad eum vsque psalmum peruenerat, cuius initim est. Diligam te domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Cernens autem impius Dæmon sancti viri perseuerantiam, conabatur lampadem coram illo extinguere, vt terrore effractus cœptis precibus, resiliret. Sed vbi eum vir Dei iuxta lampadé astare conspexit, mox ei adfuit virtus diuina neque passus est Deus, quicquam inde molestiæ ei accidere, lampademque ex Dæmonis impulsu cadentem ita seruauit illæsam, vt neque luminis, neque olei vlla fieret iactura. Et cum ordinem sanctissimè gubernasset, annis circiter 13. plenus diebus, & sanctitatis moribus decoratus, mortuus est Valentiæ Anno. 1330. Hic fuit primus magister sacerdotum, qui habuit potestatem in toto ordine, tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Et quidem cum mortuus fuerit Valentiæ Anno 1330. & natus adhuc regnante Iacobo Rege Aragonum fundatore, & inclyto ordinis patrono, translatum fuit corpus eius, & delatum in insigne cænobium B. Mariæ del Puche propè Valentiæ vrbem, vbi fratres ordinis nostri corpus illius, hodierna die retinent & venerantur. Et ab hoc tempore quo rexit & gubernauit ordinem, fratres laici amisso ordinis imperio, & Magisterio defecerunt, & paulatim extincti sunt. Tandem licet fuerit octauus magister generalis, à nonnullis recensetur fuisse septimus, sed huius causa fuit, Quia cum ante confirmationem vllam fuerit mortuus frater Petrus Formica, qui fuit quintus magister generalis electus, & iste non enumeretur inter magistros, eo sublato

Psalm. 17.

septi-

ſeptimus recenſetur fuiſſe Beatus Frater Raymundus Albertus, natione Cathalanus. De cuius etiam geſtis pleraque continentur in ſpeciali hiſtoria Magiſtrorum generalium quæ modo extat in Barchinonenſi ordinis cœnobio vbi ſemper vocatur Beatus frater Raymundus Albertus. Et hæc dicere modo ſufficiant, donec Deus dederit de vita huius ſanctiſsimi viri maiorem ſcribendi occaſionem.

NOnus Magiſter Generalis ordinis, & ſecundus clericus, fuit Frater Berengarius Cantul, Magiſter in ſacra Theologia, qui pleraque fecit optima, & bona in toto ordine, præſertim in Cœnobio Barchinonenſi. Aſſumptus autem eſt ad Magiſtratum, tempore quo erat prior eiuſdem Barchinonenſis Cœnobij. Hic tranſtulit corpus Beati Raymundi Alberti, à monaſterio Valétiæ, in Baſilicam Domus noſtræ del Puche prope Valentiam, octauo Idus Iunij Anno Domini 1334. Erat venuſta facie, modeſtus, grauis tamen in ſermone, & magni nominis in ſacroſancta Theologia. Vnde fuit electus in epiſcopum ciuitatis Barchinonæ, ſed cum eſſet plenus dierum, antequam eſſet confirmatus obijt, quarto nonas decembris Anno Domini. 1343. Quocirca vixit in Magiſtratu ferè per terdecim annos, & iacet in capella ſancti Elegij, eccleſiæ Barchinonenſis noſtri ordinis. Hic reformationem factam à ſuo prædeceſſore cõfirmauit, & præcepit ſeruare, omnibus fratribus & conuentibus, præſertim in primo ſuo capitulo generali celebrato Barchinonæ in feſto Pentecoſtes, anno Domini, milleſimo tricenteſimo trigeſimo primo. Celebrauit rurſus pleraque alia capitula in diſcurſu ſui regiminis, tam generalia, quam prouincialia, in quibus omnibus modeſte, & prudenter ſe geſsit.

DEcimus Magiſter Generalis, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, fuit frater Vincentius Riera, in Ciuitate Barchinonenſi natus: vixit quidem religioſe, & bene: gubernauitque ordinem pacifice, ſed vixit tantiſper, quia raptus eſt ſtatim ab oculis noſtris. Nondum enim duos integros cõpleuerat annos, & mortuus eſt, octauo kalendas Martij

in die Annuntiationis Sactissimæ virginis Mariæ, Anno Domini. 1345. Prius tamen celebrauit generale capitulum Barchinonæ in festo Pentecostes, nempe Anno Domini, millesimo, trecentesimo, quadragesimo quarto.

VNdecimus Magister generalis, fuit frater Dominicus Serrano natione Gallus, Doctor solemnis in decretis, & præstantissimus, qui Doctoratus gradum, priusquam togam religionis indueret, Parsijs susceptit: Fuit clarissimus & insignis, & magnæ authoritatis. Vnde ab Vrbano. PP. quinto, fuit nominatus & electus in cardinalem. Cæterum antequam Romanum litus attigisset, mortuus est. Hic examinauerat prædictum Pontificem, quando voluit doctorari Parisijs & noluit eum approbare, imo vero non admisso illius examine; fecit eum iterum reuerti. Et in hac re contemplor eximiam Sancti Pontificis beneuolentiam & modestiam, quòd cum fuerit à prædicto Doctore Dominico Serrano repulsus, nihilominus ad dignitatem Cardinalatus eum euexit, atque transmisit. Iudicauit enim maximus Pontifex, ob repulsam prædicti Doctoris, se plura deinceps, & maiora studia ardenter suscepisse, ac proinde eximium Doctorem euasisse, & magni nominis: Et ea via ad Pontificalem dignitatem ascendisse, ob splendorem literarum, quem nunquám forte obtinuisset, nisi repulsam illam passus foret. Obijt tamen prædictus generalis Magister plenus dierum, vixit solum tribus annis in Magistratu, iacetq; in ecclesia Montis Pesulani ordinis nostri.

DDuodecimus Magister generalis, in spiritualibus & tẽporalibus, fuit clarissimus, & Reuerẽdissimus, Pater frater Põtius de Barellis, Decretorũ Doctorum eximius, vir nobilis, & potens opere & sermone, & ex ciuitate Tolosæ oriundus, Et cum assumptus fuit ad magistratum obtinebat cõmendam domus de Perpiñan, quam commendam semper retinuit, etiam tempore sui Magistratus: Quoniam fundauerat ipse monasterium prædictum, eiusdem villæ de Perpiñan extramuros. AEdificauit rursus, & fundauit pleraque alia cœnobia, & monasteria ordinis, præsertim fundauit de nouo monaste-

rium

rium Toloſæ intra vrbem, cum antea eſſet extramuros eiuſdem ciuitatis,& vi armorum à militibus tempore belli fuiſſet diruptum. Celebrauitque plura capitula generalia, primum tamen celebrauit Barchinonæ in feſto Pentecoſtes, vt iam moris erat, & in eo ſalubrem conſtitutionem edidit de pecunijs captiuorum: Vt in loco tuto, & depoſito communi ſeruarentur, ad captiuorum redemptiones ſuo tempore peragendas, & celebrandas. Qui cũ mortuus fuerit Toloſæ, trãſlatum tamẽ fuit corpus eius in Monaſterium de Perpiñan, quod ipſe primo fundauerat. Hic pleraque bona fecit in ordine, cùm honorifice dilatando,& duas captiuorum redemptiones exercendo, cuius anima in pace quieſcat. Vixit, autem quindecim annis in Magiſtratu.

DEcimus tertius Magiſter Generalis fuit frater Nicolaus Perezius, Decretorum Doctor, natione Valentinus, qui licet fuerit nobilis, & maximæ literaturæ: Sed tamen fuit tepidus in regimine religionis, magis dilapidando ordinem, quam ædificando: Quoniam appetebat epiſcopatum, vel effici Cardinalis, ſed neutram dignitatem eſt conſequutus: Obijt vero in conuentu Valentiæ decimo quinto Kalendas Aprilis, Anno Domini milleſimo quadringẽteſimo primo, cum pleriſque annis, in prædicto Magiſtratu conſtitutus ordinem gubernaſſet. Hic pleraque celebrauit capitula generalia, & Prouincialia Barchinonæ, & Carcaſonæ, & ingentem copiam pecuniarũ ad redimendos Chriſti captiuos congeſsit. Fueruntque ſuo tempore redemptores ad liberandos à poteſtate Barbarorum captiuos, potiſsime frater Bernardus de Plano, Commendator domus Toloſæ, ac Vicarius prouincialis pro prouincia Galliæ; & frater Arnaldus de Arenchs Commendator Carcaſonæ.

OVartusdecimus Generalis Magiſter, fuit frater Iacobus Tauſt Valentinus, qui magna ex parte Valentinum cœnobiũ reędificauit, & ordinem dilatauit. Obijt tamen quinto kalẽdas Noubẽris, Anno Domini milleſimo quadrin-

dringentesimo quinto. Vixit in magistratu quatuor annis. Hic celebrauit primũ suum capitulum generale Ilerdæ, Anno Domini. 1402. decima octaua die mensis Augusti.

DECIMVS QVINTVS MAgister Generalis, Frater Antonius Taxal.



De vita & gestis clarissimi Antonij Taxal acturus, cum calamum admoueo hodie, videtur mihi serenior arrisisse dies, & sol solito lucidior esse illuxisseque in terris. Fuit nanque insignis hic Antonius Taxal sol fulgentissimus, & nostri ordinis iubar, & ornamentum. Quod si iuxta diuinæ veritatis sententiam lucerna in hoc accenditur, vt super candelabrum posita lumẽ domum intrantibus præbeat, benè prolatæ sententiæ virtutem exequimur, si sanctissimi viri exẽplum, ad suorum fratrum formam, super candelabrum altius subleuemus. Magna quidem gesta cum fuerint, si nesciuntur, magnum quod habent lumen non proferunt: Quia in imis locis & abditis occultantur. Quocirca placuit mihi illius alumno, huius integerrimi viri, lucernam sub modio non abscondere. Nam qui abscondit frumenta, maledictus erit in populis. Frumentorũ nanq; nomine, maiorum exempla figurantur, & excellentia perfectorum describitur.

Matth. 5.

Prouer. 11.

Decet igitur, vt maiorum nostrorum veneranda merita reuerenter à pijs, & religiosissimis fratribus legantur, eisque nuncientur, ne quisquam possit siue sanctorum gesta legendo piger, & in religione tepidus remanere, non propulsa mentis infirmitate. Quocirca alacer sit, quisquis fuerit ordinis nostri frater, & ad grauissimorum patrum, & monachorum ordinis nostri venerabiles palmas festinet. Sanctissimus ergo frater Antonius Taxal decimusquintus ordinis Magister, computatione facta

facta à B. Petro Nolasco primo ordinis fratre, & generali Magistro, fuit Gotolanus, Tarraconensis ciuitatis, ibiq; ortus. Qui cũ esset in crepundijs lactentis infantiæ, fulsisse eius cunabula superno lumine videre quã plurimi, vt futuræ mentis claritatem lustrans eum, & præcedés fulgor ostẽderet, sequuturumq; splendorem in moribus, iam tunc typica luce signaret.

Notarum in scribendo compendia, & figuras varias, verborum multitudinem comprehendentes, breui assequutus, in exceptorum numero dedicatus emicuit. Hæc tamen reliquit, & liberalibus artibus à parẽtibus traditus est, quas cũ mira celeritate adeptus fuisset, insignis & ingenio magnus apud Gotolanos omnes habebatur. Igitur processu temporis, & laboris, ad sextum decimum ætatis annum, diuino fauore perductus est: Is Dei seruus cana cõsilia in puerilibus annis meditabatur, & vernabat in illo præ cæteris mater bonorum operum verecundia. Ita famulabatur patribus, & maioribus libens, vt si quid operis gereretur ab altero, grauiter ferret subreptũ sibi fuisse seruitiũ. Excipiebat senes grauiter, iuuenes comiter, & coercebat iam tũc facinorosos audacter. Quocirca de se, quid acturus esset animo decreuit. Statuit igitur firmo animo se seipsum Beatissimæ Virgini Mariæ tradere, ipsiusque habitum, & glorioſam togam induere in Barchinonensi cœnobio, ordinis redemptorũ sanctissimæ Mariæ de Mercede. In quo postquam induit cucullam, adeo profecit, vt esset primis & maioribus libenter subiectus: Prioribus sancta iniungentibus obsecundans, æqualibus blandus atque officiosus, sequentibus mera charitate communis: Nulli se præferens, cum religioso cursu per cœlestem tramitem omnibus anteiret. Laudationis amore vacuus, cum quotidie in eo laudanda adolescerent, & creuissent. Cũque res gloriæ dignas per temporum momenta consummaret, perire glorię fructum opinabatur, atque mercedem, si euulgaretur à fratribus, & hominibus, quod ipse soli Deo exhibebat abscõdite. Apostolici memor oraculi, assentationes respuens in semetipso, teste conscientia, & pro boni operis recognitione plaudebat. Sicque melior quotidie effectus, cum sa

crosanctæ theologiæ studijs operam dedisset, breui tempore consummatus prodijt, mire namque arcanorum eloquiorum difficilia, syncerè & catholice cognoscebat & interpretabatur. Difficiles rursus scholasticę theologię nodos rumpebat, & in ima eorum descendés, è penetralibus intimis, lucide veritatem eruebat. Quapropter apud eosdem Gotolanos, & in Tarraconensi, atque Barchinonensi vrbibus, vt sapientissimus & ingenio rarus excipiebatur. Consilium ab eo petebant regni proceres, & in quouis grauissimo negotio, nihil absque Antonij Taxal iudicio, & sententia peragebatur aut fiebat.

F. Antoni' Taxal fuit electus in priorē Barchinone, Anno Domini 1405. die quinta mensis Ianuarij.

Fuit rursus (cum tantus ille esset) electus prior Barchinonensis cænobij nostri ordinis, succesitque priori generali Guillermo Viues clarissimo, & honesto, atque inculpatæ vitæ viro. Fuitque pariter quintus decimus prior Barchinonensis electus quidem eo absente, cum esset Tolosæ, in quem locum missus fuerat ab ordine, vt cænobium prædictę ciuitatis nostri ordinis, reformaret ac visitaret. Sed cum cognouisset, se monasterio prædicto, à fratribus suis fuisse præfectum, id animo refugiebat, neque poterant eum à proposito amouere: Nam quanto sublimior virtúte tollebatur, tanto se gerebat humilius. Res namque omnes mortales pro nihilo ducebat. Verum, cum enixe deprecaretur à fratribus, vt eos tanquam pater reciperet, ne velut orphani, sine patre & duce viuerent, hac diuina permotus voce, ne videretur resilire, & religioni ingratus, pastoralem baculum suscepit. Baculum igitur prioratus, manu sumens, & spe Christi, diuinęque gratiæ armatus, & indutus, cæpit monasterium pastorali etiam & paterna cura gubernare. Et sane in eo ministerio, incredibile est quantum profecerit, quanta prudentia, & quo consilio omnia gubernaret, quanto amore & qua charitate, omnes prosequeretur, ita vt fieret omnia omnibus, & singulis fratribus. Cósiderabat enim, se redditurú esse rationem pro omnibus, & idcirco, sicut pusillanimes confortabat ad religiosę vitę frugem, sic vanos, audaces, & inobedientes audacter, & maiestate & grauitate sermonis acriter carpebat. Vtebatur lectione pro requie, & contempla-

tione

tione pro ſolatio, librorum venerabilium pro blandimentis inſtrumenta ſuſcipiens, & ne crederetur tramitem verborum, celeritate tranſuolaſſe, pingebat actibus ſuis paginam quam legiſſet. Si prophetа fuiſſet in manibus, prophetantem vidiſſe amiſſo codice lectorem. Si teſtamenti veteris recenſuiſſet volumina, Moyſi dignus æmulator incedebat, taliter quidē, ac ſi illum Iſraelitica per deſertum agmina ſequerentur. Si Apoſtolicorum lac verborum, & mel Dominicæ paſsionis, ſeueritatem legis condiens, ſcriptura index reuelaſſet, continuo ex ore ipſius, dulciora fauis verba fluxerunt. Poſtremo quod libri docuiſſent, vita ſignabatur. Domum taliter regebat, vt nec profuſione immoderata, commiſſam pecuniam exhauriret, nec odia ſordium pietate contraheret. Augebatur circa eum, per ſingulos dies, popularis affectus, & magnis ſucceſsibus cumulabatur amor.

QVo circa cum obijſſet, Frater Iacobus Tauſt, decimus quartus Magiſter ordinis, acclamante toto ordine, electus fuit in generalē Magiſtrū, prędictus ſanctiſsimus frater Antonius Taxal, die decima quinta menſis Martij, Anno Domini. 1406. & fuit confirmatus à ſummo Pontifice. Fuit autē vir vita illuſtris, ſermone & opere inſignis, egregius & ſapientiſsimus Magiſter, in artibus, & Theologia ſacra. Is poſtquam totius ordinis regimen, & paſtoralem baculum ſuſcepit, ſic ſane illuſtrabatur diuina gratia, vt facillime poſſet, quæ recta & conſentanea eſſent, intueri. Quæ enim apud Gotolanos, Valentinos, Gallos, Hiſpanos, Vandalos, & quæ alibi ſunt Monaſteria inuiſens, & in eis tanquam in floridis pratis verſans, virtutumque exempla, quaſi roſas decerpens, vitia quæque rurſus propulſans, vniuerſumque ordinem reformabat. Semper humilitatis, & charitatis perfectæ, ad fratres ſecum circunferens documenta. Perpetua vero abſtinentia, ſic erat confirmatus, vt delicijs, Dei amorem anteponeret. Sic vt vna cum magno Paulo ad Philippenſes. 4. ſciret & abundare, & penuriam pati: Atque ita inanem gloriam euitare. Fuit itaque vir magnæ eminentię, gra-

Quod fuerit electus in Magiſtrum ordinis F. Antonius Taxal.

Philip. 4.

uitatis & reputationis. Et idcirco pro bono eccleſię miſſus fuit per PP. Benedictum XIII. & per Alfonſum regem Aragonū, ad diuerſas orbis partes, & eccleſiæ. Iuſſu etiam, Illuſtriſsimi regis Aragonum Alfonſi, Sigiſmundo imperatore id poſtulante, miſſus eſt in ciuitatem Narbonenſem pro vnione eccleſiæ: Erat enim tunc ſchiſma in eccleſia Chriſti, inter Benedictum XIII. & Bonifacium IX. Prætendebat enim, prędictus Benedictus XIII. qui vocabatur, D. Petrus de Luna, & electus fuerat in vrbe Auiñonenſi, ſe eſſe ſummum Pontificem, & non Antipapam. Licet facta fuerit electio de perſona ipſius Benedicti, ſub certa conditione, Nempe, quod ad tollēdum ſchiſma eccleſiæ, pure & libere debuiſſet renunciare Papatum, ſemper inquam quod à competitore eius, nempe altero PP. ac ſummo Pontifice, ad effectum prædicti ſchiſmatis extirpandi ab eccleſia, ſimilis quoque fieret renunciatio. Quodque vt peracta capitulatione, & vnione regis Alfonſi, & omnium prælatorum, & Epiſcoporum ſui regni, fieret vnio cum concilio Conſtantienſi, & ſic celebraretur vnum vniuerſale conciliū legitimū & indubitatum. Data hac obedientia à prædicto Benedicto XIII. in dicta Ciuitate Narbonenſi, in quam miſſus fuerat, præfatus D. frater Antonius Taxal generalis magiſter: cum reuerteretur à prędicta ciuitate, electus fuit in epiſcopum Lugdunenſem. Verum noluit acceptare, donec eccleſia eſſet de facto reformata, & ſchiſma abolitum.

Miſſus fuit Antonius Taxal ab Alfonſo. V. rege Aragonum in ciuitaté Narbonenſem pro vnione eccleſiæ.

Frater Antonius Taxal eligitur Epiſcopus Lugdunenſis.

Quocirca cum deinceps, coactum, & congregatum fuiſſet generale concilium Conſtantienſe, miſſus eſt egregius, & inſignis frater Antonius Taxal, per ſereniſsimum regem Aragonū Alfonſum ad dictum concilium. Factuſque eſt ambaſiator, & orator primus prædicti illuſtriſsimi Principis Alfonſi quinti, regis Aragonum, ſimul cum Ioanne Raymundo Floch comite Cardonæ, in generali Concilio Conſtantiæ congregato, pro vnione eccleſiæ, ad tollendum ſchiſma, & ad depoſitionem Benedicti XIII. qui antea dicebatur Petrus de Luna. Et in prædicto concilio, per propriū organum aſcendēs in ſuggeſtum, ſeu ambonē, pro rege Aragonum, cunctiſq; prelatis, & eccleſiaſticis

cis perſonis totius Regni, fecit prædictam vnionem cum Concilio, ad tollendum ſchiſma, & ad depoſitionem Benedicti decimitertij Petri de Luna, Et ſimul cum concilio vocem habuit eligendi ſummum Pontificem, ſimul inquam cum alijs nominatis in eodem concilio. Rurſus præſidente Conſtantiæ, in prædicto concilio vniuerſali, Reuerendiſsimo Domino Cardinali, Ioanne Oſtienſi, vicecancellario ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: Et præſente, ac intereſſente in dicto vniuerſali concilio, (vt habetur in ſeſsione. 33. illius) ſereniſsimo Principe Sigiſmundo, Romanorum, & Vngariæ Rege, induto veſtimẽtis imperialibus, coronaque ſuperpoſita in capite eius, dum accuſaretur, contumacia Benedicti decimitertii, Petri à Luna: Ad vocandum eũ, vt compareret, reiecta contumacia pro bono vnionis Eccleſiæ, & vt propulſaretur ſchiſma, & eligeretur à concilio Conſtantienſi, verus & indubitatus ſummus Pontifex, &. PP. deputati ſunt à cõcilio Reuerendiſsimi Cardinales Ludouicus de Comitibus, & Othonius Columna, & frater Antonius Taxal Magiſter Generalis ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, ſimul cum epiſcopo Tridẽtino, vt vocarent præfatum Petrum de Luna, alioquin Benedictũ decimũtertiũ. Qui poſtea depoſitus eſt à Papatu, & electus fuit à concilio Conſtantienſi, Martinus. V. qui vocabatur Othonius Columna, Cardinalis ſancti Georgij, Romanus natione.

Cæterum antequam prędictũ concilium eſſet finitum, pro vnitate ſacroſanctæ matris Eccleſiæ, obijt Conſtantiæ egregius frater Antonius Taxal, Anno Domini. 1417. ſecundo kalẽdas Iunij, qui ſepultus eſt glorioſe, & cum honore, in Eccleſia Prædicatorum eiuſdem Conſtantienſis vrbis, verum illius corpus in depoſito & cõmenda datum eſt eis, & ordo cum voluerit poteſt ipſum repetere. Equidem cum in prędicto Conſtantienſi generali concilio, fuiſſet primus orator, & pariter Nuntius, & Ambaſiator pro vnione Eccleſię, ex parte Regni & Regis Aragonum, omnium iudicio reputabatur dignus Papatu, vt refert in ſuis Annalibus & hiſtorijs, Magiſter Natalis Gauer.

Sic ergo clariſsimus Antonius ab hac mortali vita diſceſsit,

ad immortalẽ,hilari ſane,& alacri vultu: Nam res omnes mortales pro nihilo ducebat.Sed quis,eius in orationibus familiaritatem cum Deo(quia ſic à rebus terrenis, purus euadebat, vt diuinarum actionum inſtrumentum fieret)pro dignitate queat explicare?Quis rurſus temperantiæ decus,cordis eius, enarrare poteſt?Quæ ſic eum rebus incorporeis coniungebat, vt Dei puriſsimum eſſet habitaculum. Quæ nam præterea oratio aſſequi valet incredibilem illius, erga fideles captiuitate detentos,charitatem & amorem, licet plerunque cogitationis animum,in alios conijciat?Aut quis fidei eius firmitatem,ab omni duplicitate alienam?Spei conſtantiam, qua ille, iam inde ab ipſa infantia inſtructus fuerat? Virtus eius ardentibus gratiarũ iaculis, fratres ſibi ſocios,ad imitandum inflammabat. Et quãuis vir alioqui magnæ eſſet authoritatis, ſeſe tamen omnibus humilem,& gratum exhibebat. Et licet illius animi ſubmiſſio, contemptum apud eos cum quibus conuerſabatur parere videretur:Cæterum tanta erat modeſtia,beneuolentia, & charitas in eo, vt eius virtutem venerantes, ei ſe ſe ſubmitterent omnes.

Recolo etiam,quod in vetuſtioribus codicibus legi de ſanctiſsimo viro,& ſeruo Dei,fratre Antonio Taxal,cum conſtantiæ eſſet pro vnione Eccleſiæ, & expulſione ſchiſmatis.Nã cũ malitiæ Authores Dęmones pręclaris ipſius geſtis & factis inuiderent,ei nocte paruũper dormienti, impudenter illudere conati ſunt.Manus enim ipſius pollicem,tanquam ſues agreſtes, dentibus corripientes,acerbum dolorem intulerunt: In eaque corporis parte luxata,dentium veſtigia reliquerunt.At ille Dei amore confiſus,& nequitia Dæmonum animum gerens ſuperiorem,non permiſit, vt ea re diutius inuidi Dæmones gloriarentur: Sed precioſi ligni vnguento, manum luxatam inunguens ,dicto citius,quod mirabile fuit,eam curauit,gratia enim diuina perpetuo illius laboribus, ſummiſsique animi moribus præſens,eumque munerum Apoſtolicorum gratia illuſtrans, rerum admirabilium effectorem reddebat. Equidem ſi omnia quæ diuina gratia in ſancto viro & ſeruo Antonio Taxal

xal inhabitans elargita eſt munera, enumerare voluero, nõ ſolũ laudandi legẽ tranſiliam, verum oratio mea inſtar nauis in medio mari diſſoluetur. Ob id ergo pauca quędam, pluribus omiſſis commemoraui, ſicque fiet vt oratio mea tanquam littora legens in tuto verſetur. Vnde ex his quæ dicta ſunt, reliqua huius viri geſta facile conjicientur.

Hic cum publice ſacroſanctæ theologiæ diſceptationes aperiret, & legeret, plures habuit diſcipulos in diuina Theologia eruditiſsimos, inter quos vnus fuit, frater Natalis Gauer, ſolemnis Magiſter, qui deinceps poſt egregium fratrem Antonium Taxal, fuit pariter decimus nonus generalis ordinis Magiſter. Et ipſe Natalis Gauer fatetur ſe fuiſſe ipſius diſcipulum, & pleriſque diebus vitæ ſuæ, cum eo fœliciter habitaſſe. Imo vero in ſuis noſtri ordinis Annalibus breuiſsimis, hæc verba ſubiunxit: Creditur ſanctus apud mundum, & ego vere ſic credo, attenta ſancta vita eius, & cum fuerim eius diſcipulus, nunquam in diſcurſu vitæ eius vidi, nec perpendi aliquid, quod eſſet reprehenſione dignum. Obijt Anno Magiſtratus ſui duodecimo: Et vt retulimus fuit Gotolanus, & de ciuitate Tarraconenſi oriundus, & filius conuentus Barchinonæ. Plura celebrauit capitula generalia: Primum in eadem ciuitate Tarraconenſi in feſto Pentecoſtes: Secundum celebrauit Pinciæ in prouincia Caſtellæ: Et præter hæc alia tria capitula generalia celebrauit, in feſto pentecoſtes, in quibus omnibus mirabiliter ſe geſsit, ſaluberrimaſque dedit ordinationes, & ad prædicta capitula conuenerunt viri & fratres doctiſsimi, tam in ſacra doctrina quam in decretis Doctores & Magiſtri.

DEcimus ſextus Magiſter Generalis, fuit frater Bernardus de Plano, Licentiatus in decretis, qui fuerat prius commendator Perpiñan, natione Vaſcus, filius cõuentus Toloſæ. Vixit duobus annis in magiſtratu, & obijt ſecundo idus Ianuarij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono & ſepultus eſt in Baſilica noſtri ordinis, in cõuẽtu de Perpiñan. Celebrauitque vnum capitulum generale Villebergæ, in feſto Pentecoſtes, Anno Domini. 1418.

Decimus

DEcimusſeptimus Magiſter Generalis, fuit venerabilis & circunſpectus vir, frater Iacobus Aymericus, recolendæ quidem memoriæ, qui fuit Gotolanus Barchinonẽſis, & fuit prius commendator Girundæ, illudque cœnobium in ſpiritualibus, & temporalibus reformauit & amplificauit, deinde Prior Barchinonenſis effectus, aſcẽdit ad Magiſtratum: Amplificauit ordinem, eumque tranquille & pacifice gubernauit. Obijt autem in conuentu Valentiæ decimo Kalendas Ianuarij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octauo, & per decem fere annos præfuit in magiſtratu. Sex fecit capitula generalia in feſto Pentecoſtes, Primum Xatiuæ, ſecundum Cordubæ in prouincia Caſtellæ, tertium Cæſarauguſtæ, quartum in cœnobio Perpiñan, quintum Illerdæ, ſextum & vltimum in ciuitate Valentiæ, vbi ſpecialiter deputati ſunt redemptores, ad liberationem captiuorum.

DEcimusoctauus Magiſter generalis ordinis fuit frater Antonius Dulhan, Decretorum Doctor Turonenſis ex regno Aragonum. Eius tempore ſemper fuit ſchiſma inter fratres, & in ordine nulla pax: Fecit nanque plures nouitates, & occaſione earum, moti fratres, & maiores ordinis patres, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo impetrarunt iudicem, authoritate apoſtolica, & illum citarunt, qui nuſquam voluit comparere, & tandem per ſententiam diffinitiuam fuit pœna priuationis pronuntiata contra ipſum: Et tandem à Cõcilio Baſilienſi, & ab Eugenio. PP. quarto depoſitus fuit à dignitate ordinis, & ab officio, inchoante decimo tertio anno ſui Magiſtratus. Hic celebrauit quatuor capitula generalia, primum in feſto Pentecoſtes in domo montis Albi, ſecundum celebrauit Pintiæ in prouincia Caſtellæ, tertium in domo Turonenſi, quartum in domo Calatainui. Suo tempore vt retulimus, graui & longiſsimo ſchiſmate diuexabatur ordo, imo vero ipſa Eccleſia Dei. Depoſito prædicto Antonio Dulhan, ſeu priuato à prędicta dignitate, fuit magnum diſsidium ordinis inter fratrẽ Natalem Gauer Gotolanum, & fratrem Petrum Hueptenſem Caſtellanum, circa dignitatem Magiſterij

obtinen-

obtinendam. Quoniam epiſcopus Oxomenſis, vacante magiſtratu, ob depoſitionem prefatam, exercens authoritatem apoſtolicam per litteras ad ſe directas, fratrem Petrum Hueptenſem Caſtellanum, ordinis magiſtrum creauit. De cuius nominatione & creatione, fuit magna lis & contentio, quia predicta nominatio & creatio fuit contra ordinis conſtitutiones facta. Vnde inſtante eodem fratre Antonio Dulhan, Eugenius PP. Florentiæ caſſauit prædictam nominationem & electionem, adhuc enim dictus Antonius Dulhan putabat ſe poſſe reſtitui ad magiſterium, à quo fuerat depoſitus. Veruntamen ſanctiſsimus, PP. Eugenius, pro illa vice dumtaxat, fratrem Natalem Gauer magiſtrum ordinis prouidit & creauit, tertio nonas Auguſti, Anno Domini. 1444. vt infra dicemus.

At ſiue computetur inter magiſtros ordinis, ſiue non, præfatus dominus frater Petrus de Huete, nihilominus fuit primus, qui in comitijs regalibus regni Caſtellæ Pintiæ habitis, fecit vt ordinis priuilegia de verbo ad verbum ibi recitarẽtur, & à ſingulis procuratoribus ciuitatũ totius regni, & magnatibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Dominis Epiſcopis, Archiepiſcopis, & alijs quam plurimis confirmarentur, & approbarẽtur, vt ad perpetuam rei memoriam, ſic conceſſa forent, & inuiolabiliter obſeruarentur, vt ita conceſsit ſuo regali priuilegio D. Ioannes rex Caſtellæ, in quo priuilegio conceditur, vt ordo poſsit legata omnia, etiam facta locis incertis, & perſonis, aſſumere in redemptionem captiuorum. Et pariter conceſsit quintam partem bonorum, & rerum, eorum qui mõriuntur ab inteſtato. Et pariter conceduntur ordini bona omnia dominis carentia, quæ communi vocabulo, Hiſpane dicũtur, moſtrencos & bona vaga, rurſus conceſſa ſunt bona algari ba, & pariter bona, de los deſemparentados.

Et in prædicto priuilegio reuocantur quæcunque in contrarium facta, vel conceſſa fuerint, ex quibuſcunque cauſis aut priuilegijs. Et ſimiliter confirmantur petitiones eleemoſynarum, quæ fiunt ab ordine noſtro: Et à Domino Ferdinando rege Caſtellæ quarto huius nominis. Inquarum fauorem voluit

quod omnes & singulæ petitiones eleemosynarum, pro redemptione captiuorum, non impediantur per Bullam cruciatam, neque à petitionibus quæ fiunt à fratribus Trinitarijs. Confirmatur præterea priuilegium nostri ordinis, nempe quòd fratres nostri, ad quoscũque declinauernit, recipiantur in hospitio gratis. Item vt possint petere ostiatim (&, lo que llamã con bacines) Et rursus quod licet à fratribus Trinitarijs ostẽdantur, quæcunque prouisiones, seu regalia instrumẽta, etiam à quibuscũque alijs ostendantur, quod id minime intelligatur, neque contra ordinẽ B. Mariæ de Mercede, neque vlla ratione possit id nostro ordini obesse. Quæ omnia priuilegia, à Regibus Castellæ sunt concessa & confirmata, ad instantiã procuratoris Castellę, & petente fratre Ioanne de Miranda, & fratre Petro de Valẽtia Prouincialibus Castellæ, ipsoque præfato Petro Hueptẽsi. Alia multa & insignia, & maiora etiam priuilegia sunt concessa nostro ordini, à Regibus Aragonũ, & potissime à Rege Catholico Ferdinando & à Rege Alphonso. 5. huius nominis, & maxime contra fratres Trinitarios, ne intromittant se, aut immisceãt in petitionibus eleemosynarum, pro redẽptione captiuorum.

D. Rex Enricus secundus huius nominis præcepit q̃ fratres ordinis gratis, & sine mora recipiantur in hospitijs sæcularium.

Extat tamen Salmanticæ, & Pintiæ concordia facta inter fratres ordinis B. Mariæ de Mercede, & fratres sanctissimæ Trinitatis solũ pro prouincia Castellæ, & Vandaliæ, vt omnia & singula bona ad redemptionẽ pertinẽtia, omnesque petitiones & eleemosynæ, & vniuersa bona vaga, siue quæ abintestato procedunt, quomodocunque & à quibuscunque fratribus obtineantur, vtriusque ordinis, semper per æquales partes diuidantur inter prædictos fratres B. Mariæ & fratres Trinitarios: Et id per definitiuam sententiam sancitũ est ab auditoribus supremi cõsilij Regalis, & mandatum. Cui sententiæ ambæ partes consenserunt, & subscripserunt, & pronunciata fuit à Regijs consiliarijs, ab eisque subscripta, simulque à Carolo quinto Imperatore Hispaniarum Rege, vt liquet ex instrumento executorio scripto in pargameno, sigillo regali communito.

DEcimus nonus Magister Generalis fuit clarissimus, & reuerendissimus pater, ac egregius vir, recolẽdæ memoriæ

riæ, frater Natalis Gauer in artibus, & Theologia ſolemnis Magiſter, natione Gotolanus, ortus Barchinonæ, & filius cœnobij Barchinonenſis. Hic fuit vir, qui in virtute Domini, virtutum ſignis & mirabilibus glorioſus effulſit, & viris ſanctiſsimis & religioſiſsimis comparandus. Ob cuius natale iure poſſet ordo noſter, dicere cum propheta Dauid Pſalmo. 80. Buccinate in Neomenia tuba in inſigni die ſolemnitatis veſtræ. Natalis enim vocatus fuit: Nam & noſtro ordini natus eſt, & ob eum datus à Deo nobis: Ipſe enim primum corpus ſuum, cum vitijs & concupiſcentijs crucifigens, ab adoleſcentia ipſa, à carnibus, & à vini vſu abſtinebat, niſi quod valde modico vteretur, propter ſtomachi euerſionem, quibus diebus euchariſtiam accipiebat, & ſacrum celebrabat. Fuit præterea vir pius valde, qui fere annis triginta in Magiſtratu vixit, & ordinē gubernauit, nēpe ab anno milleſimo, quadringēteſimo quadrageſimo ſecundo, vſque ad annum milleſimū quadringenteſimū ſeptuageſimum primum: Et cum ad Magiſterium ordinis aſcēdit, eo tempore erat prior Barchinonenſis cœnobij noue electus, frater Ioannes Gilabertus, & nominatus quidem à ſanctiſsimo fratre Antonio Taxal: Qui ſane fuit egregius & inſignis verbi diuini concionator, & omnium ſui temporis facile princeps: Et ob eā cauſam apud Gotolanos in magno prætio fuit: ſed ob lites quaſdam ſuper electionem ipſius ortas, factus eſt ſocius Reuerendiſsimi & Clariſsimi Generalis Magiſtri Natalis Gauer, & deinde electus fuit diffinitor Generalis capituli, Pintiæ celebrato: Eo nanque tempore, lites & contentiones erant in ordine. Et idcirco nunquam obtinuit poſſeſsionem dicti Prioratus, neq; fratres Barchinonēſes eum acceptauerūt. Sed cū hic ſocius eſſet Magiſtri Generalis: Tūc prędictus Frater Natalis Gauer cępit ſtatim in principio ſui officij ſeu Magiſterij, pleraq; ordinis monaſteria viſitare, in quibus egregius Pater & magiſter zelo religionis flagrans, mirabile eſt quantum profecerit, & quot ac quanta ſalutaria monita & conſilia dederit fratribus: Nam ſicut cœpit docere & inſtruere religioſos,

ſibi ſubditos,ita pariter cæpit facere, & eos operis exemplo inſtituere & animare,ad integrã & perfectam religioſæ vitæ frugem quam profeſsi ſunt. Vnde egregius Magiſter Natalis Gauer,vt altercationes,lites,odia,& ſchiſmata quæ in ordine erant orta,circa modum regiminis, & viſitationis in prouincia Caſtellæ & Luſitaniæ;propulſaret & funditus repelleret, celebrauit capitulum in cœnobio ſancti Antonini noſtri ordinis, ciuitatis Guadalfajaræ, ſimul cum pleriſque diffinitoribus & prouincialibus diuerſarum prouinciarum atque regnorum, probatiſsimis quidem & prudentiſsimis viris, & inierunt concordiam,ſub certis clauſulis & conditionibus, quę poſtea fuit confirmata per ſummum Pontificem, & ſic explosum fuit ab ordine ſchiſma. Et idcirco inſignis Natalis Gauer pleriſque annis ordinem gubernauit quiete,pacifice & magna cum tranquillitate. Huic venerabili Dei ſeruo,ordo plurimũ debet,ipſe enim primus eſt,qui breuia quædam annalia ordinis,& rerum geſtarum compoſuit & ſcripſit, nempe ab ipſo primo religionis exordio, vſque ad annum. 1445. Qui cum mortuus fuiſſet ab eo tempore quo ipſe non extat, vix certam reperio ſeriem quorundam ordinis Magiſtrorum, neque rationem electionũ, eorum qui deinceps fuerunt Magiſtri Generales ordinis. Incerta tamẽ ratio & annumeratio ſolũ eſt quatuor vel quinq; Magiſtrorum generalium, vſque ad fratrem Benedictum Zafont. Nam deinceps certus & indubitatus ordo hic eſt conſtitutus & traditus. Præfatus vero Magiſter Natalis Gauer, poſt prædictam confirmatam Bullam concordiæ nullum aliud generale capitulum celebrauit in prouincia Caſtellæ. Anima eius in pace requieſcat. Plenus enim dierum & in ſenectute bona mortuus eſt, & ſepultus cum fratribus ſuis.

DE

DE VIGESIMO MAGISTRO Generali B. Laurentio Company.



Igesimus Magister Generalis fuit B. Laurentius Company Valentinus, ortus prope Valentiam in oppido del Puche, quod primum fuit suæ habitationis domicilium. Hunc ego fere per omnia similem reperio sanctissimo, illius Patri, primoque ordinis Magistro, fratri Petro Nolasco. Nam adeo fuit redemptioni captiuorum intentus, vt in excambium, & pacis pignus se seipsum dederit, non semel atque iterum, sed sæpius antequam ad dignitatem Magistratus ascenderet. Hic ab infantia præclare atque pie educatus, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius, vale dicens mundo, sanctæ religionis nostræ habitum sumpsit. Et quoniam mundi illecebræ, & voluptates perturbare solent homines, & iuuenes, idcirco vt militarem religionis nostræ togam indueret, decreuit in recessu vitam agere monasticam. Quapropter egressus ab vrbe fœliciſsima Valétiæ elegit proficiſci solitudinem, & in cœnobium sanctissimæ Virginis Mariæ del Puche, se seipsum contulit. Solebat nanque ille solitariam, & eremiticam vitam laudare, & ex se se multa adijciebat encomia, dicens: Eam esse plenã tranquillitate, liberam ab omni perturbatione: Vt quæ, animæ statum, quæ in his quæ non videntur, philosophatur, silentio & quiete amplificat, & his, via progredientem ducit prope Dei cognitionem. Postquam vero cucullam induit, incredibile est, quantum plerosque alios sibi sodales & socios excelluerit: Rigorẽ religionis obseruabat, & vitæ austeritatem verbis & operibus ostendebat: Et cum audiuisset ex Apostolo Paulo, oportere seruũ Dei esse mansuetum ad omnes, ita se in vita sua gesit,

vt eius ætate nullus inuentus sit, qui mansuetudine eum superaret, aut qui Mosaycum illud, æque atque ipse in se exprimeret, eo quod vir mitissimus esset super omnes, qui curam regiminis habentes morabantur in regione sua. Interim tamen nō nunquam sine vllo mansuetudinis detrimento, adèo in inquirendis, vel discutiendis causis, constans & immotus, in sua permansit sententia, vt à nemine potuerit vnquam dimoueri. Quod autem nihil hoc, mansuetudini eius, detrimenti attulerit, satis illud argumento est, quod sibi contradicentibus, nihil vnquā iracundæ cōmotionis ostēdit: Nihil verbis asperis cōtra illos egit, sed magis familiaribus colloquijs, & gratam orū suauitate, id apud omnes fratres effecit quod animo constituerat.

Fertur verò etiam priscorum more Sanctorum, quædam feciſſe diuina opera, nempe cum in Africam, ad redimendos Christi fideles proficiscereturquia nō raro maris tempestatem suis orationibus sedauit, & cæci cuiusdam oculos illuminauit, idque eum effeciſſe, cum illum sacro baptismate inter Barbaros & Mauros abluisset: Atque etiam fertur quendam Regis Pagani Mahumetum filium, à Dæmone liberasse, cui quidem facto illud adstipulari videtur, quod plerisque astantibus viris, & Christianis, ab ore Dæmoniaci sæpius hic clamor edebatur: Laurentium Company eum esse à quo torquebatur. Sed quoniam nostris temporibus defecit sanctus, vt dicit Propheta Psalmo. 11. & diminutæ sunt veritates à filijs hominum, nec facile admittitur quemquam ex huius qui viris, talia feciſſe, satis sit nos hactenus dixiſſe seruum Dei Laurentium Company sanctitatis apprehendiſſe apicem, idque per illos gradus virtutum, quos in euangelio dominus proponit, Matthæi. 5. dicēs Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. Quam sanè paupertatem verissime ille coluit, quia non solum, quæ habuit dedit propter Christum, pauperibus captiuis: verum se se ipsum in excambium dedit: Vnde in generali capitulo, ob eximiam charitatem suam cum in redemptorem captiuorum fideliū esset electus, & ad Affricanos Mauros appuliſſet, videns plerosq; ex iuuenibus & pueris probabili periculo

lo abnegationi fidei expositos esse, seipsum in pignus dedit Sarracenis vt fratres suos lucri faceret, eosdē à captiuitate liberā do & redimendo. Quodq; cū ingens pecunia esset necessaria, vt ipse liberaretur, & repignoraretur ab infidelibus, neq; posset cito ab eis expediri quoniam debitorē ingentissimæ pecuniæ vt diximus se constituerat, factum est vt plerisq; diebus apud ipsos permanserit, in quibus pene infinitos labores, & carceres, famem, atq; sitim pertulit pro Christo & pro religione. Deinceps vero cū ille vir esset magnæ reputationis, & apud regem Aragonum Alfonsum gratus, & apud deū & homines humilis & prudentissimus, idcirco Sarracenorū Barbarus Rex Affricanus, eundē fratrem Laurentiū Company ab vrbe Tunices, in Hispaniā, & Neapolim bis misit, eumq; Ambasiatorem, & specialem eius nuntiū ad præfatū regem Alfonsum instituit & creauit, vt à potentissimo rege Alfonso peteret inducias, quod Hispane dicitur treguas, & pacem debito fœdere cum eo copularet. Qui cū ad clarissimū Principē regē Alfolsum deue uenisset, explicata eius ambasiata mirifice ab eodē rege Alfonso honorificeq; exceptus est. Verum cū potentissimus Alfonsus animo antea statuisset debellare Tunetū, & Mahumetos inde pellere, manusq; conserere contra Affricanum regem, non potuit sane obtinere quod petierat: Et idcirco voluit prædictus frater Laurentius Company, Tunetum reuerti, & regis Alfonsi responsum aperire, ne fœdifragus à Mauris iudicaretur, aut ne Christiani captiui morti adijcerentur, si rex se cerneret illusum fuisse à Laurentio Company, eorundem captiuorum redēptore & liberatore. At cū rex Aragonū Alfonsus audiret præfatum Laurentiū Company velle iterū Tunetum reuerti, quasi in captiuitatē suā, cum esset pignus in excambiū traditus, pro redēptis Christianis fidelibus, eū ad se accersiri fecit & vocare, ne reuerteretur. Quod cum audiret præfatus Laurentius Company, ita regem alloquutus est. Mandatum tuum adimplere, potentissime Alfonse decerno, quoniam mandatum regis est: verumtamen, quid Agareni præstabunt, si audierint me fœdifragum & infidelem fuisse? Pari enim

ratione

ratione ipsi deinceps nobiscum agent, & fidem nostram amplius contemnent, denigrabiturque apud illos: nullaque post hac residua erit spes, Christianos captiuos liberandi, & redimendi ab illis. Quæ sane cum à Rege audirentur, & perpenderẽtur, ex ipsius iussu & placito reuersus fuit, sponsione tamen facta, quod breui tempore ab eo reduceretur in patriam suam, & suę religioni restitueretur. Et eam rem, fideliter Aragonum Alfonsus Rex, non post multum tempus, sicut vere promiserat impleuit: Nam copiam non mediocrem Maurorum & Turcarũ Regi Tunices, suis triremibus trasmisit, vt liberaretur insignis frater Laurentius Company. Et hoc pacto Deo fauente reuersus est in patriam suam, & religioni restitutus à potentissimo Aragonum Rege Alfonso, cui cum Neapolis ageret prius præsentatus est, vt gratias ęternas, & nunquam perituras, illi referret, pro beneficio accepto, quas non tantum egit pro se, sed pro religione sua. Deinde reuersus Valentiã applicuit, & à cunctis fratribus suis reuerenter, & grate fuit exceptus. Tandem in cœnobium Sanctissimæ Virginis del Puche redijt in suam prę ceptoriam, vbi religiosissimam vitam ducens, Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, de consensu fere omnium electorum assumptus est ad ordinis magisterium.

Hic, iam factus totius ordinis Pastor, & Generalis Magister, cum cognouisset se ad fœliciorem ascendisse dignitatem, nihilominus mores non mutauit. Nam quamuis prudentissime & vigilantissime intentus erat regimini ipsius religionis: cæterum omni instantia interdum se expediens à negotijs, magis ac magis augere cœpit, quicquid antea boni exercuerat. Etenim B. Laurentio Company solemnis hic mos erat, vt nocturnis hymnis, laudibusq; peractis in choro persisteret, & fusis vbertim lachrymis Deum pro fœlice Ecclesiæ statu, pro fidelium omnium, & viuorum & defunctorum salute, abstractus à cæteris, & humanæ laudis plausum declinans, sedulo deprecaretur: potissime vero enixe orabat pro Christianis fidelibus captiuitate detentis, ne quicquam mali eis accidisset, præsertim erga

fidei

fidei confeſsionem, cum in tantis periculis verſentur corporis & animæ: quæ ipſe cum apud Mauros & Sarracenos egiſſet, traditus in excambium, proprijs oculis expertus eſt. Vnde prolixe iterum atque iterum à Deo petebat oppreſſorum fidelium liberationem, conſolationes etiam, & diuina auxilia de cœlo, quibus illi plurimum egent, cum captiuitate barbarica detinentur. Et dum pauliſper ab oratione recedebat, iacebat in duro lecto, & ibi ſoporabatur: Rurſus expergefactus, negotia ordinis, mira beneuolentia expediebat, patiens erat ad omnes, & alacri vultu ſemper incedebat. Quo circa diligebatur plurimũ à fratribus ſuis, quorum nõ tantum pater, & paſtor, verum etiã ſodalis & comes videbatur. Hic anno pene integro, ante ſuam è corpore migrationem, quibuſdam fidelibus fratribus, ſibi valde dilectis, ſecreto indicauit, multa ſibi eſſe oſtenſa ſigna, è quibus colligeret atque præmoſſet, ſe non diu in hac vita manſurũ, eoſque (quibus hæc loquebatur) in corpore vlterius non eſſe viſurum. Quocirca toto eo tempore, aſsiduis lachrymis incedebat, aſsiduiſque vigilijs & diſciplinis corpus ſuum in ſeruitutẽ redigebat, & ieiunijs multis atque abſtinentijs ad ſuperna eleuabat, ne corpus, quod corrumpitur, animam aggrauaret. Sicq; factum eſt vt ille nunciauerat. Nam anno illo expleto circunſeptus a dilectiſsimis fratribus, videns ſui corporis diſſolutionem imminere, ordinem (quem ipſe gubernauerat) eiſdem cõmendauit, & quod feruenter perſeuarent in redemptione Chriſtianorum captiuorum, ſicque oculis in cœlum leuatis amplexatiſque fratribus ſuis, cũ dixiſſet, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meũ, ſpiritum tradidit Altiſsimo, Anno Domini. 1479. Et profecto vt ex antiquioribus codicibus colligitur, cum ille fuerit tantæ ſanctitatis, & in redimendis captiuis non vulgaris zeli, animo quidem & voluntate fuit martyr, vt ex his quæ de eo ſcribuntur intelligitur, rexit autem ordinem, fere per octo annos.

VIgeſimus primus Magiſter Generalis, fuit frater Ioannes Vrgel Gotolanus, quibus annis gubernauerit, & durauerit in magiſtratu, id quidem non reperio.

¶ Tempore quo præfatus Ioannes Vrgel ordinem gubernauit, vixit inclitus frater Georgius, regum Castellæ prædicator, & inclitus totius Hispaniæ concionator, à cuius ore omnes regni proceres atque ciues pẽdebant, & fuit pariter de consilio regis. Iacet modo Hispalis in cœnobio ordinis nostri. ¶ Pariter rursus eodem seculo, atque tempore floruit, frater Petrus Ciarius, ex regno Aragonum: doctissimus quidem Theologus, qui scripsit libellum, de Authoritate & potestate summi Pontificis: & de perfectione finis ordinis nostri & redemptionis captiuorum. Et Pontificum pleraque priuilegia in vnũ collegit. ¶ Vigesimus secundus magister ordinis, fuit frater Iacobus de la Mata, ex regno Aragonum, in oppido de la Mata natus, & in sanctissimo cœnobio B. Mariæ del Oliuar educatus, cuius fuit alumnus: quot annis gubernauerit ignoratur.

Tempore huius Iacobi vixit in ordine nostro, frater Antonius Pincianus, vir insignis, quem honoris causa nomino, Prouincialis perpetuus Castellæ & Lusitanię, Regumque Castellæ Catholicorũ cõsiliarius, & capellanus, Illustris theologus, at q; doctor, qui ob incredibilẽ sui prudẽtiã, & vitę cãdorẽ factus fuit de cõsilio regis, & magni nominis & æstimationis in toto regno Castellę. Vixit vsq; ad annũ millesimũ quingẽtesimũ decimũ quartũ. Hic priuilegia ordinis, pleraq; obtinuit à regibus Castellæ, & antiqua confirmauit. Et quod fuerit de consilio regum Ferdinandi & Elisabeth, & regis capellanus, habetur in priuilegio regali, dato Hispali vigesima die mensis Maij, anno Domini, millesimo quingentesimo.

VVigesimus tertius magister ordinis, fuit frater Iacobus Laurẽtius Gotolanus, theologiæ magister, cuius regimẽ durauit vsq; ad annũ millesimũ, quingẽtesimũ decimũ nonũ.

VIgesimus quartus magister ordinis, fuit frater Benedictus Zafont, qui à Gotolanis originem duxit fuit tamen in regno Valentiæ natus, & ob id Valẽtinus vocatur. Hic fuit electus anno. 1520. & eo tempore fuit confirmatus à summo Põtifice, & in pastorali regimine ordinis durauit vsque ad annum 1535. Fuit filius Barchinonensis cœnobij, & sacræ theologiæ magi-

magiſter non vulgaris. Hic voluit bullam concordiæ prouinciæ Caſtellæ infringere, & minimè obſeruare, ſed patres prouinciæ Caſtellæ acriter reſtiterunt, & à Clemente VII. fuit pronuntiata ſententia per ſuos auditores, in fauorem præfatæ prouincię Caſtellę contra ipſum.

Tempore prędicti magiſtri generalis floruit in ordine noſtro in Salmāticēſi vniuerſitate & gymnaſio, frater Dominicus ſancti Ioannis del Pie delpuerto magiſter inſignis & ſolennis in philoſophia & ſacra theologia. De quo in annalibus Salmaticenſibus reperio, quod anno domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, vniuerſitas ipſa miſit doctorem Horcala qui poſtea fuit canonicus Abulenſis in magiſtrali cathedra eiuſdē eccleſię Abulenſis conſtitutus, vt ex vniuerſitate Pariſienſium, ſub certo ſtipendio, atque prēmio, duceret in Salmanticenſem Scholam, prędictum magiſtrum fratrem Dominicum ſancti Ioannis, & magiſtrum Ioannem à Siliceo, vt ambo competitores eſſent & candidati, & legerent curſum artiū, & philoſophiæ. Nam ab eo tempore curſus artium, & philoſophiæ cæperunt eſſe in Salmanticenſi vniuerſitate, Quia ab antiquo ſolum cathedrę principales, & proprietarię artium, & philoſophiæ extiterunt. Et hoc ordine præfecti ſunt in lecturis, vt præfatus magiſter frater Dominicus ſancti Ioannis del Pie del Puerto, legeret in via Realium, & interpretaretur Ariſtotelē iuxta modum Scholæ Pariſienſis. At vero præfatus magiſter Ioannes à Siliceo (qui poſtea fuit archiepiſcopus Toletanus, & magiſter regis potētiſſimi Philippi Secundi) legeret curſum artium, & philoſophiæ in via nominalium. Poſtquam vero pleriſque annis, prędictus magiſter frater Dominicus ſancti Ioannis fuit regens in artibus & philoſophia, cathedram aliā principalē, ex proprietarijs obtinuit: quā mirifice, & ſapientiſſimè rexit. Hic ſcripſit ſuper Ariſtotelis logicā, & philoſophiā, & quidē maxima cū dexteritate ingenij. Hic intra alios inſignes, quos habuit diſcipulos in artibus & philoſophia, habuit quidem egregium, & inſignem diſcipulum, (quē honoris cauſa nomino) magiſtrū fratrē Manciū primarię cathedrę theologię

Salmanticensis postea regentem, à cuius ore ego ipse audiui, nẽ pe se fuisse discipulum illius, antequam habitum ordinis prædicatorũ induere: Et ipse dictus frater Mantius testificabatur illum, præclarissimum fuisse, & ingenio perspicacissimũ, & acutissimum magistrum suum fratrem Dominicum sancti Ioannis. Hic cum fuerit Doctor, & Magister Salmãticensis, Scholastriæ regimen, & gubernationem diu tenuit in eadem vniuersitate, Et mire atque reuerenter ab omnibus colebatur. Hic, fuit rector, & commendator plerisque temporibus in collegio sanctissimę veræ crucis nostri ordinis. Et postquam sanctitatis suæ & religiosæ vitæ cursum peregit, non sine fratrum suorum lachrymis mortuus est anno Domini. 1540. & iacet modo in ecclesia eiusdem collegij verę crucis in Salmanticensi cœnobio, & collegio. Et certe ob vitę sue sanctitatem, & candorem sanctissimus reputatur non solum à fratribus sui ordinis: verum etiam à laicis & à Salmanticensi gymnasio. ¶ Ordo noster celeberrimum habet collegium Veræcrucis, in ciuitate Salmanticensi, & nomine Veræcrucis vocatur, ob insigne miraculum ibi à Deo factum. Nam cum prædictum collegiũ antea fuerit Synagoga Iudęorum, id sane euenit, vt cum quadã die Iudęi in sacello eiusdem Synagogæ pariter essent congregati, adfuit repente inter eos Beatus Vincentius Ferrer, qui cum duplicia mella sermonum habuisset ad eos, & in eo gratia Dei feruens esset, Iudæos omnes eiusdem Synagogæ commouit, & cum concionem celebrem habuisset ad eosdem Iudeos ipso quidem finito omnes crediderunt in Christum, & conuersi sunt. Nam statim eo loci se se ipsos mutuo cernentes, & aspiciẽtes, viderunt purpuream crucem eorum pectoribus impressam à quo insigni miraculo dictum collegium, Veræcrucis nominatur. Vbi hodierna die crux Christi colitur, vbi fuerat à Iudęis retroactis temporibus calcata. Et quoniam antea fuerat Synagoga Iudæorum, modo vero ex pontificio diplomate cautũ est, vt nemo in collegam assignetur, in prædicto collegio sanctissimę Veræcrucis nostri ordinis, nisi fuerit de bonorum veterumque Christianorum genere descendens.

Vige-

¶ Vigesimus quintus magister ordinis fuit frater Petrus Sorel Gotolanus Barchinonensis, qui electus fuit in magistrum generalem anno Domini, 1535. sed breui tempore suũ cursum expleuit, & mortuus fuit. Erat tamen vir honestæ, & vitę sanctę conuersationis.

VIgesimus sextus magister, fuit frater Michael Puig, Gotholanus Barchinonensis, decretorum licentiatus. Hic plerisque annis in magistratu vixit nẽpe vsque ad annũ. 1567. in quo mortuus est vigesima die Nouembris, & sepultus in cœnobio Barchinonensi nostri ordinis. ¶ Suo tẽpore floruit illustris vir, & sapiẽtissimus pater frater Hieronymus Peresius Valentinus: Qui fuit doctissimus in in omni genere scientiarũ sed præcipue præstãtissimus Theologus, & acerrimus hęreticorum impugnator. Hic scripsit super D. Thomam, postquam per viginti annos sacrosanctæ Theologiæ cathedram rexit, & in suis commẽtarijs, cum reuerenter cõmemorat S. Thomam, ait, Multiscius Thomas non est intellectus à Caietano hoc loco. Pleraque alia scripsit Theologica, & diuina, quæ inuidia tẽporis non comparuerunt. ¶ Eodem etiam tempore floruit in Salmanticensi gymnasio magister frater Petrus à Salazar, genere inclytus, & illustris, qui postea fuit prouincialis Castellæ, & Lusitanię. Hic fuit insignis Theologus, fuitque peritissimus in Gręca Hebraica, & Chaldaica lingua, & idcirco trium linguarum cathedram principalem in Salmanticensi gymnasio obtinuit. ¶ Rursus eodem tempore floruit insignis, & Prudentissimus magister frater Gaspar de Torres, qui postea fuit Prouincialis Castellæ, & Lusitanię, & Episcopus Melaurensis. Hic, fuit Magister solẽnis & peritissimus in sacra Theologia, qui mire ab omnibus colebatur, & per triginta annos publice legit in Salmanticensi vniuersitate, quia diuersas obtinuit cathedras in ea, Plerisq; etiã diebus regimen, & gubernationẽ vniuersitatis Salmantinæ obtinuit: Quoniã scholastici officium exercuit, non sine ingenti gloria ipsius, ac totius ordinis, & leges ipsius vniuersitatis ordinauit. Et hic fuit qui potissime prouinciã Castellę reformauit, & ad fastigium religiosissimę obseruationis perduxit

duxit.Fuit sane vir modestus grauis & inculpatæ vitæ, quantũ nos vidimus,cũ in prædicto collegio veræ crucis cum eo commoraremur.Ordinẽ in Prouincia Castellæ amplificauit, & cœnobiũ Matriti fundauit, & collegia studentiũ plerisq; honorificis, & redditibus insigniuit. Non est cur vnquã à memoria religionis excidat,insignis illa liberatio, & peril lustris captiuorũ redẽptio,quam suo tẽpore peregit, Pater Gaspar de Torres, cũ esset Prouincialis Castellæ,ac Lusitaniæ,in qua videtur glorioſè triũphasse ordo noster : Nam liberati sunt ex Ciuitate Argel,& à Maurorũ sæuitia ex Africano litore ferè quingenti fideles captiui,prẽtio tamen ingẽti.Nã quadraginta millia scutorũ aureorũ transmissa sunt à fratribus nostri ordinis, vt à captiuitate barbarica liberarentur.Cuius redẽptionis,& liberationis patres redẽptores fuerunt in prædicta Castellæ prouincia frater Antonius Martinez Cõmendator Domus de Caçorla& frater Ioãnes Vallejo vir insignis & candore sanctitatis sanctissimus,quẽ ob vitæ innocẽtiã nomino. ¶ Floruit etiã eodem tẽpore eloquẽtissimus & sapientissimus Magister F. Gregorius Acciſſo Valentinus,ex cuius ore Salmãticenses auditores pendebant omnes.Hic duas obtinuit cathedras in eadẽ Salmãticẽsium Vniuersitate, in quibus contra plerosq; viros doctos,& graues,qui in regno Hispanię nõ infimũ locũ tenuerunt,victor & triũphator euasit.¶ Eodẽ tẽpore floruit sanctus vir F.Augustinus à Reuenga,Cõplutensis Academiæ cõseruator,& iudex, prædecessor meus.Sed recolo me legisse D.Bernardũ, in sermone speciali D.Benedicti Patris sui;Cũ enim humilitatis vultu D. Patrẽ Benedictũ Abbatẽ sui ordinis,mẽtis oculis contẽplaretur aiebat.Abbas ille,Abbas & ego:Sed O Abbas, & Abbas? Pari ergo,imo verò multò maiori ex causa dicã ego, cũ celsitudinẽ sanctissimi viri,fratris Augustini à Rauẽga,toto animo cerno. Cõseruator ille,cõseruator & ego:Sed ò F.& frater? O Frãcisce, & Augustine?O Cõseruator & cõseruator?Fuit nãq;F.Augustinus à Reuẽga,claro genere natus & ortus,sed clarior operib⁹,& vitæ institutis.Hic sanè(cuius rei ego testis sum)ferè cũctis diebus vitæ sue,exceptis dominicis,& festiuis diebus ieiunabat,&

carnium

carniũ abſtinẽtię deditus erat, humi propè ſemper iacuit, & ob id pallore quodã, vultus eius ab omnibus cernebatur. Veſtimẽta eius nec nimiũ erãt nitida, neq; plurimũ abiecta, ſicut legimus de D. Patre noſtro Auguſtino. Et præterquã, quod aſsiduis flagellis & diſciplinis percutiebat corpus ſuũ, propè ſemper tamẽ cilicio indutus ad carnes incedebat. Præcipuè fuit mirabilis in contẽplatione & oratione, pernoctabat nam q; ſæpius in eadem oratione Dei. Et cũ tantiſper ſoporabatur, cernens ſe eo tẽpore nõ poſſe cũ Deo agere, quaſi migraturus ab hac luce, omnium ſcelerũ ſuorum recogitabat offenſas, & triſtis erat, lachrimabaturq; & peracta generali cõfeſsione, proteſtationeq; fidei, ſe ſomno tantiſper tradebat, Placidus erat vultu, & cõuerſatione amabilis, cuius corpus cõditũ eſt Compluti, in almo Collegio Conceptionis B. Marię de Mercede noſtri ordinis: Et ſepulchrũ eius debitè ſignatũ eſt, ne tranſlatione pereat corpus illius. Hic tanta pollebat apud Complutẽſes authoritate, vt ob ſui grauitatẽ, & ſanctitatis teſtimoniũ, ab omni populo ſanctus reputetur. Quo circa Marchio à Zenete, magna diligentia curauit, neq; id facilitèr obtinuit, huius ſancti viri ciliciũ, veluti ſacrã reliquiã venerari & poſsidere. ¶ Eodẽ etiã tempore floruit, Magiſter Petrus Lopez à Cardenas: omnium ſui temporis Prædicatorum facile princeps, vir quidem inſignis, & in ſacra Theologia doctiſsimus.

VIgeſimus ſeptimus Magiſter generalis electus, fuit inſignis frater Mathias Papiol Barchinonenſis, ſacræ Theologiæ Magiſter, ſed ante eius confirmationem mortuus eſt, & à ſuo tempore vacauit Magiſterium Ordinis, ſeptem circiter annis, Et hactenus Magiſtri generales ordinis noſtri fuerũt per petui. Deinceps verò ex Apoſtolicæ ſedis decreto, non perpetui ſed temporales ſunt.

Hactenus generales erant perpetui, deinceps vero, ſolum temporales ex decreto ſũmi Pontificis.

Sede Magiſterij noſtri ordinis vacante, Plures fuerunt viri inſignes in prouincia Aragonum, & alij etiam plerique in prouincia Caſtellæ, & Vandaliæ, & inter eos reperio egregium & inſignem, Magiſtrum fratrem Petrum à Carrillo, qui ſede vacante ſtudia Artiũ & Theologię in prouintia Caſtellę ſtabiliuit

liuit prę̃sertim in vrbe Imperiale Toletana, in qua primus qui cathedram Artium rexit, fuit Magister frater Franciscus à Medina, qui cum cursum consummaret, ad lecturam sacrosanctæ Theologiæ ibidem ascendit. Fuit nanque ea ætate in cœnobio nostri ordinis, primariæ lectioni sacrosanctæ Theologiæ præfectus, egregius & grauissimus Pater Magister frater Rodericus de Arce, Vesperorum verò Patre Magister frater Franciscus à Medina, qui postea ascẽdit ad lectionẽ primariam diuinæ Theologiæ, & in ea mirifice profuit. ¶ Floruit etiam eodem tempore insignis, & doctissimus pater Magister frater Christophorus à Soto, vir non ingenio vulgaris, qui prope modum quasi naturæ miraculum habebatur, & fortunæ inuidia raptus est, cum internos placide cõuersaretur. Hic sacro sanctæ Theologiæ cathedram rexit in inclyta Pintiæ vniuersitate: Fuitque eximius pastor, custos & gubernator plerisque annis in insigni Pintiæ monasterio nostri ordinis. Hic togam redemptorum B. Mariæ induit, postquam in Complutensi gymnasio sæcularis collega fuit, & licentiam honorifice obtinuit.

VIgesimus octauus Magister ordinis fuit frater Franciscus à Torres, oriundus & ortus in villa & oppido de Helche. Hic, fuit vir rectus ac timens Deum, cuius vitæ candor resplenduit in orbe, & ob insigne testimonium castitatis, & vitę innocentiam, à sereniss̃imo Rege Philippo diligebatur, prodijtque illius testimonium in generali capitulo, Guadalfajaræ celebrato, decimoquarto kalẽdas Decembris; Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto: Nam publico testimonio denunciatum fuit eum esse, & semper fuisse virum inculpatæ vitæ. Et quidem Dei maximo & summo beneficio factũ est, vt in prædicto suæ electionis capitulo, sancitis legibus pene diuinis, ordo noster ad perfectiorem & vlteriorem reduceretur reformationem in plerisque prouincijs. Et cum fuisset electus omnium patrum calculis. 14. Kalendas Decẽbris, Anno. 1574. tantisper tamen vixit inter nos, & raptus est, non sine dolore omnium suorum fratrũ: Quia neque vnũ confecit annum in magistratu, Mortuus est enim Cęsarauguste tertio kalendas

Octobris

Octobris Anno. 1575. Hunc ego noui, & inter cæteros electores & definitores fui vnus, & de eodem fratre Franciſco Torres ſolitus fui dicere, Sapiẽtem dixiſſe de ipſo verba illa: Beatus vir qui poſt aurum non abijt, nec confidit in pecuniæ theſauris: fecit enim mirabilia in vita ſua. Hic eſt, & laudabimus eum.

Ex receſſu atque morte fratris Franciſci à Torres Valentini, ſede Magiſterij vacante, Barchinonæ electus eſt in Generalem Magiſtrum, frater Antonius Tremuller, Magiſter in Theologia, vir doctus & ingenio rarus, egregiuſque verbi diuini concionator, prouincialis Galliæ, & de Regio conſilio Toloſano: Verum non fuit confirmatus, quia electores non fuerunt congregati authoritate apoſtolica, ac proinde non fuit rite & canonice electus. Sed nihilominus ille erat inſignis, & iniuria temporis deinde breuiſsimo tempore mortuus eſt.

VIgeſimus nonus Magiſter Generalis ordinis, fuit frater Franciſcus Maldonado, vir clara & Illuſtri proſapia natus, Salmanticæ oriũdus. Hic prius in Curia Romana pro prouincia Caſtellæ fuit procurator generalis, circa reformationis negocia: Quo in loco & officio, plurimum ſibi conciliauit authoritatis apud Gregorium. XIII. qui tũc erat Cardinalis Boncompany, commiſſarius tamen reformationis. Deinde in Hiſpaniam reuerſus, Commẽdator Malacitanus fuit creatus. Fuerat tamen prius ſocius ſanctiſsimi viri fratris Ioannis à Peñaranda prouincialis Caſtellæ viri religioſiſsimi. Cũque ad fuiſſet in generali capitulo Guadalfajaræ celebrato, ob prudentiæ grauitatem factus eſt ſocius ſui predeceſſoris: nempe reuerendiſsimi Magiſtri fratris Frãciſci à Torres, qui cum tantisper vixiſſet, eo iam mortuo, grauiſsimus pater frater Franciſcus Maldonado, reuerſus eſt in prouinciam Caſtellæ, & à Nuntio ſanctitatis Apoſtolicæ in curia regia tunc exiſtente, creatus & inſtitutus eſt viſitator, præcipue prouinciæ Cathaloniæ. Quo tẽpore electus eſt ipſe in Magiſtrũ Generalẽ, omnium electorum calculis, nemine prorſus diſcrepãte, Fuitq; ad ſexẽnium electus, reclamantibus tamen fratribus prouinciæ Cathaloniæ, & acriter obſiſtentibus. Hic pro religione ingentes pertulit labores,

potissime in prouincia Cathaloniæ: Et sane iustitiæ amator,& religionis feruens Zelator fuit. Optime calluit religionis negocia,& maxima cum dexteritate perfecit. Ante tamen quam magisterium suum finiret,electus est regni Valentiæ deputatus, & in prædicto officio & deputatione maximo prudentię iudicio & consilio processit. Hunc ego noui,cũ ille iuuenis esset. Nam primo Salmanticæ in collegio Veræcrucis plerisque diebus,in liberalibus Artibus fuit instructus, deinde vero maioribus studijs Theologicis vehementissime fuit intẽtus. Sane testis sum oculatus, cum eius fuerim magister, quanta religionis sancti tas in eo emicuerit. Fuit enim obseruationis ardentissimus custos,& eo tempore cum iuuenis esset,præcipuè orationi erat intentus,& ieiunijs. Et sane durante eius magistratu, factæ sunt duæ liberationes captiuorum fidelium: Altera in prouincia Aragonum,& altera in prouincia Castellæ: & non sine ingenti religionis gloria. ¶ Suo tempore floruit in prouincia Aragonum frater Hieronymus Boneta magister in Theologia,& vniuersitatis Oscensis,primariæ cathedræ Theologiæ præfectus, vir insignis & doctissimus. Qui antequam ad senilem ætatem perueniret mortuus est,vt dicit Sapiens: Ne malitia mutaret intellectum eius,aut ne fictio deciperet animam illius. Verum de eo iure dici potest illud Sapiẽtis,Consummatus in breui, explevi tempora multa.

POstquam præfatus magister frater Franciscus Maldonado, suo functus est officio, vacauit magistratus ordinis per quinquennũ, ob lites quæ erant inter ordinem ex vna parte,& ciuitatem Barchinonensem,fratresque prouinciæ Cathaloniæ ex altera, super electione magistri generalis, & loco electionis,atq; suffragijs ipsius,& alijs quæ in eadẽ lite, & processibus causarum continentur. De qua re suum dedit decretũ Sixtus. PP. V. litesque composuit ac diluit, per proprium motum expressum ex certa scientia: Qui habetur in volumine harum constitutionum distinctio. II.

Sede magistratus vacante, fuit magister prouincialis prouinciæ Aragonum, frater Franciscus à Salazar, Magister in Theolo-

Theologia, qui mire prouinciam eandem gubernauit, & religionis negotia diſerte compoſuit. Fuitque in comitijs regalibus de Monçon pro eadem prouincia, quo loco honorificè valde exceptus eſt à Philippo ſecundo Hiſpaniarum rege catholico, de eo tamen infra dicemus ſuo loco.

¶ Eodem pariter tempore in prouincia Caſtellæ, & Vandaliæ, duo prouinciales extiterũt, inter quos fuit frater Petrus Carrillo, qui noue ſecundo electus eſt in prouinciale. Et vnus alter qui ei ſucceſsit anno domini, 1585. Huius tempore ordinis lites & diuiſiones finitæ ſunt, & ſtudia Theologica incrementum receperunt: & inter alia collegium Veræcrucis (quod in noſtro ordine celebre eſt) obtinuit, vt in Salmanticenſi Schola perpetuis futuris temporibus diſputationes publicas Theologiæ haberet in eadẽ vniuerſitate ordo noſter corã grauiſsimorũ theologorũ, eiuſdem Scholæ ſenatu. Et de eare extat regale diploma regio ſcuto ſigillatum in Archiuis eiuſdem collegij. Quæ res honorifica eſt ſatis, cùm ſolum ordinibus, D. Benedicti, Prædicatorũ, & D. Franciſci & Auguſtini fuerit id ab antiquo donatũ & conceſſum. Et rurſus ſtudiũ ſacroſanctæ Theologiæ Toleti (quod fuerat antiquatum) monaſterio eidem eſt reſtitutũ. Et eodem tempore floruit inſignis magiſter frater Petrus Machado, qui in Salmanticenſi vniuerſitate cathedram obtinuit in qua publico munere præfectus fuit. Et hic innumeros pene auditores ac diſcipulos habuit. De quo verum in ea re teſtimoniũ profero, cũ meus ille ſit alumnus, ac diſcipulus: eſt enim ingenio peracutus, & in ſacra Theologia diſertus, & in Mathematicis diſciplinis, Græca etiam atque Hebraica lingua peritus. ¶ Rurſus eo tempore facta eſt liberatio & redemptio captiuorum fidelium copioſa à prouincia Caſtellæ ad quam peragẽdam, miſi ſunt in Africam optimi patres, Frater Franciſcus à Vera, commendator Malacitanus: & Frater Ioãnes à Sancto ſimia commendator Granatenſis. Ambo in ſacra Theologia præſentati. ¶ Præterea honoris cauſa, recenſere volo quæ pariter hiſce diebus in prouincijs Indiarũ preſertim del Piru in prouincia Lymę glorioſę religioni & noſtro ordini acciderunt. Nã cum

Contra collegium ordinis Ciſtetienſiũ, D. Bernardi collegium Veręcrucis obtinuit de hac re id quod Hiſpane dicitur, executoria: Quæ habetur in Archiuo Veręcrucis noſtri ordinis circa actus & publicas theologiæ diſputationes.

insignis ciuitas Lymæ (quæ in nouo illo Orbe Præcipua est) omnium scientiarum vniuersitatem, & generale studium instituerit, & erexerit: suffragijs studendiũ, & ciuitatis ac reipublicę acclamatione, electus est in primariæ cathedræ sacrosanctæ Theologiæ professorem, insignis, & doctissimus pater magister frater Nicolas Oualle: Et quamuis literis Theologicis peritus sit, vita tamẽ & castitate pulchrior est, Nã plęrisque annis, cũ meus ille fuerit discipulus, & dilectus valde inter alios, nullum in homine adeo iuuene persensi motum, aut opus, quod non esset honestate, & castitatis candore plenum. Hic plurimũ in eo regno splendet, & prouincialis illius prouintiæ merito fuit. Et magnam sane sibi conciliauit authoritatem, apud proceres Lymæ, regiosque consiliarios: Est enim exemplaris vitæ decus.

DE TRIGESSIMO MAGIstro Generali ordinis Fratre Francisco à Salazar.

TEmpore quo glorioſus, & fœliciſsimus Philippus Rex Hiſpaniarum ſceptra ſtrenue, honeſteque regebat, electus eſt in generalem ordinis Magiſtrum, inſignis pater Frater Franciſcus à Salazar, ſacræ Theologiæ Magiſter & profeſſor, qui tempore ſuæ electionis erat prouincialis in prouincia Aragonum, ac vicarius Generalis ex iure apoſtolicæ reformationis. Equidem magna patrum omnium acclamatione electus & nominatus eſt, in vigilia Pentecoſtes, Anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi ſeptimi: Vir profecto egregius, qui magnis & præclaris ſemper enituit moribus & actibus. Cũ enim claris atq; Cæſarauguſtanis ciuibus & patribus, ortus ſit, ab ipſis puerilibus annis, toto niſu vt vere accepimus ingẽti deſiderio, ad ſupernã cœpit

patriam

triam anhelare. Et idcirco & ſi puerilis ætas in eius infantia, naturæ iure in eo præceſſerit, viguit tamen, & modo viget in ipſo operum, & morum ſenilis maturitas. Sane ludicris omnibus (quibus puerilis infantia delectatur) reiectis, ipſe ea quæ diuinæ religionis ſunt, auida aure percepit, & accurata ſolicitudine exequi ſategit. Cumque iuuenis eſſet coætaneorum ſuorum, vaniloquia, laſciuaque conuenticula repulit, & ſeniorum congreſsibus & colloquijs ſe ſe adiungebat. Iudico ſane cum ſemper memoriter retinuiſſe, elogium illud diuinum, Deuteronomij. 32. Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi. Maiores tuos & dicent tibi. Et illud quoque Prophetæ, pſalmo 118. Declinate à me maligni: & ſcrutabor mandata Dei mei. Rurſus ætate procedente, liberalibus diſciplinis, & Philoſophia inſtructus, ad maiora ſe ſe contulit Theologiæ ſtudia, in quibus mire profecit. Et id circo breui tempore, ſacroſanctæ Theologiæ magiſter & doctor creatus eſt. Et cum ſemper fuerit vir egregius, ac religioſiſsimus frater, & non poſſet lucerna Chriſti latere ſub modio, quam virtutum cuſtos humilitas celare cupiebat in eo: ob id factus eſt in pleriſque noſtri ordinis cœnobijs, rector & commendator, potiſsime in cœnobijs Cęſarauguſtæ & Calataiubi, in quorum regimine ſtrenue ſatis & religioſe vixit: Vnde cũ ſumme ab omnibus diligeretur fratribus, bis electus eſt in prouincialem dictæ prouinciæ Aragonũ Et cum primum illius prouinciæ regimen & ius dicebat, peracta eſt inſignis quædam liberatio, & captiuorum redemptio, cuius quidem meritiſsimi electores extiterunt, colendiſsimi Patres, frater Georgius del Oliuar, & magiſter frater Georgius Ongay, qui poſtea fuit prouincialis.

Hic vigilantiſsimus paſtor franciſcus a Salazar, ſemper fuit conſilio grauis, factis maturus, virtutum cultor, vitiorum extirpator, & eloquio diſertus. Et idcirco prouinciæ tenens gubernacula, ſtrenue adeò ſegeſsit, vt religioſorum mores componeret, & pacem inter fratres conciliaret. Quapropter ſuorũ fratrũ debita & glorioſa acclamatione, creatus eſt generalis magi-

ster totius ordinis, quodq; cũ pastorale baculũ, manu sumpsit, à Sixto. V. confirmatus, antiqua sua prudẽtia, & mirabili iudicio, ordinẽ gubernare cæpit. Ridẽt semper in eo genæ eius, & nitida labia mellaq; sermonũ ipsius, beneuolẽtiæ animũ indicant omnibus. Cerno semper eũ orationi & lectioni deditũ. Prouidentiæ vero suæ ac amoris & charitatis signa, cum primum ordinem gubernare cœpit palam edidit. Nam vt fratres suos lucri faceret, missis epistolis, in singula Cathalonię cœnobia: Barchinonam præcipue, singulos Cathaloniæ fratres, dulcissimis verbis, ac iuribus inuitauit, pacem non semel offerens, veniam promittens, sed & honores & præmia. Inuitauit rursus eosdem charissimos eius fratres, vt quiete, pacifice & tranquille viuerent, vt salutaribus consilijs & Pontificum monitis, & decretis acceptis, sub vnius pastoris suauissimo iugo viuerent, & commorarentur. Neque tamen exauditus est (proh dolor): Cerno enim hac in parte turbatã religionem, vtinã ego mentiar. Certe egregius pastor ac Generalis Magister, primo electionis suæ anno, cœpit totum ordinem visitare, & tanquam reformationis amator, & pacis, in dicta visitatione mire profecit, Parcus semper in victu, & modestus in vestitu est, & inter proceres, & illustres viros, magnam sibi conciliauit authoritatem & opinionem, præsertim apud sereniſsimum Regem Philippum secundum, Hispaniarum Regem catholicum, ipsiusque consiliarios. Hic constitutiones ordinis, mores, & statuta, ad veram obseruationem, & regularis vitæ disciplinam, redegit. Cumque sit trigesimus Magister Generalis ordinis; suæ vitæ exemplo videtur consumare præcedentes: Equidem ter denarius numerus perfectam & circularem efficit numerationem, & numerus consummatus denarius est, vltra quẽ numerus alius esse nõ potest, sed primus semper reperitur & iteratur. Cum ergo omniũ perfectior sit ternarius numerus, plane constat ter denarium esse consummatiuum omnium numerorũ: Sic ergo is est vir insignis, & Pastor charisimus & clarissimus antecessorum suorum consummator, & ob id inter-

nario

nario Denarij numero conſtitutus. ¶ Tempore etiam quo vigilantiſsimus pater franciſcus à Salazar Prouincialis fuerat in prouincia Aragonum, & ius dicebat, floruit egregius Magiſter frater Hieronymus Boneta in vniuerſitate Oſcenſi primariæ cathedræ ſacroſanctæ Theologiæ regens: Et extant etiam hodierna die huius habitus & religionis fratres, qui ſub tanto magiſtro generali ac grauiſsimo paſtore eidem cathedræ primariæ præficiuntur.

Explicit breuis Ordinis, ac Magiſtrorum Generalium, hiſtoria.

INDEX INSTRVCTIONIS officiorum, ordinis B. Mariæ de mercede Redemptionis Captiuorum. In quo pariter alius est index, de vitis Patrum, & Magistrorum Generalium eiusdem ordinis Redemptorum B. Mariæ de Mercede.

Capitulum Primum, de officio Magistri Generalis circa ordinẽ in communi. folio. 1

Quo pacto se debeat habere Magister Generalis circa capitulũ generale, circa prouincias, circa diuinum officium, circa curiam Romanam, circa conuentum, circa fratres. De potestate Magistri generalis & quo pacto se debeat habere circa socios suos, circa mensam, & circa Cameram. fol. 1. instructionum, Et à folio. 2. vsq; ad fol. 10.

De his quæ ex lege constitutionum, & ex vi reformationis, tenetur seruare Magister Ordinis, agitur Distinctione. 2. nostrarum constitutionum, à cap. 2. & deinceps fere vsque in finem, nempe à fol. 137. vsq; ad fol. 200.

Cap. ij. de officio Definitorum capituli generalis, Et de instructione eorum, Et circa ea quæ sunt agenda ante definitionem. 11

Capit. iij. de officio electorum Magistri Generalis. 12. 13

Cap. iiij. de officio Magistri Prouincialis Et quo pacto se debeat habere circa cõmune bonum prouinciæ, Et circa visitationem, & Commendatores & circa capitulum Prouinciale. 14. 15. 16. 17. 18

Capit. v. de officio definitorum capituli prouincialis. 61

Cap. vj. de officio visitatoris, Et de his quæ præcedunt visitationem. 20

Cap. vij. de officio commendatoris circa seipsum, circa maiores, circa conuentum, circa fructum animarũ, circa temporalia, Circa ministros, & officiales. 21. 22. 23. 24. 25.

Cap. viij. de officio vicarij conuentus. 25.

Cap. ix. de officio consiliariorum. 26

Cap. x. de officio examinatorum. 27

Cap. xj. de officio depositariorum. 29

Cap. xij. de officio procuratoris. 30

Cap. xiij. de officio Magistri Nouitiorum. Circa ingressum nouitiorum, circa professionẽ, circa repulsam. 31. 32. 33. 34

Sunt etiam pleraq; alia pertinentia ad Magistrum Nouitiorum, & de recipiendis ad ordinem, & de instructione eorundem nouitiorum, et de obligatione professionis quando emittitur, quæ habentur in volumine constitutionum, distinctione. 1. à cap. 20. vsque ad cap. 25. Quo loco videnda sunt scholia.

Cap. xiiij. circa Scholam & capitulum, circa necessitates nouitiorum, & quo pacto se debeat habere Magister Nouitiorum, circa membra sua. 35. 36. 37

Cap. xv. de officio zelatoris seu circatoris. 38.

Cap. xvj. de officio sacristæ. 38. 39

Cap.

Cap. xvij. de officio Magistri studentium, circa studium in genere. 40
Cap. xviij. de officio Lectoris circa doctrinam. 41
Cap. xix. de officio librarij circa armarium, circa libros. 42.43
Forma instituẽdi visitatorem. Altera forma instituendi visitatorem. 44.45
Froma dandi facultatem alienandi. 45
Forma recipiendi ad beneficia ordinis. 46.47
Capit. xx. de iudicijs in ordine faciendis. 47.48.49
Forma inquisitionis contra denunciatum, aut infamatum. Forma examinis. De modo procedendi per accusationẽ. Forma citationis ad eum qui accusari debet. Forma accusationis. Forma cõdemnandi conuictum per accusatorem. 50.51.52
Forma sententiæ contra denunciatum confessum. Forma sententiæ contra accusatorem qui deficit. 53.54
Forma indicendi purgationem infamato. Forma liberandi, vel releuandi ab infamia, eum qui se purgauit. 55.56
Forma restituendi ad gratias ordinis, quibus propter delicta quis erat priuatus. 57.

Index in quo de vitis Patrum, & Magistrorum Generalium, & quorundam aliorum, breuis historia continetur.

PRoœmium operis. 59.60
De sanctissimo viro Petro Nolasco primo fratre, & primo Generali Magistro nostri ordinis agitur à fol. 61. vsq; ad fol. 82
Quod institutum sanctæ redemptionis, in fauorem fidei à Cœlo sit datum, quod sequutus est Beatus pater Leonardus, fol. 74.75.
Quod idem institutum redemptionis B. Mariæ sequuti sunt, Beati & sanctissimi viri, quales sunt, B. Raymundus Nõnat. B. Serapio. S. Raymundus, de quo legitur eum fuisse Martyrem pro redẽptione captiuorũ, cuius Socius fuit. B. Iacobus à Soto, fol. 75.76.77.
Quod rursus idem institutum redemptionis sequuti sunt pleriq; alij fratres nostri ordinis, & Alumni sanctissimi viri Petri à Nolasco, inter quos recensetur, B. pater Petrus Armengol, qui pro redemptione tuenda glorioſe occubuit, 77.78.79
De B. Laurentio Company. 79. Cæterum vita, sanctitas & religio huius viri recensetur late fol. 117. Quia fuit magister generalis ordinis.
De B. Petro Malasang. & sanctissimo Guillielmo, & clarissimo fratre Ioãne Granatẽsi prouinciali Castellæ. Qui à Mauris martyrium sustinuerunt, 79.
De pleriſq; alijs fratribus redemptoribus nostri ordinis, & quot quantosq; labores pertulerint apud infideles, pro redemptione captiuorum, 80.81.
De B. Maria Socos, & sancta Collagia, quæ sequutæ sunt institutum redemptionis, 81. & 82
De morte sanctissimi Petri à Nolasco. 82
De secundo magistro generali clarissimo Guillermo de Basso, 83.
De. iij. Magistro Generali, fratre Bernardo de Sancto Romano. 84
De. iiij. magistro generali fratre Petro Amerio. 85

De.

INDEX

De. v. Magistro Generali fratre Petro Formica, & quod suo tẽpore fuit schisma in ordine circa electionẽ Magistri. 86.87.88.89

De. vj. Magistro Generali fratre Arualdo Amerio. 90

De. vij. Magistro Generali, vltimo equite laico, fratre Arnaldo Roisinyol, qui electus fuit durante schismate. 91

De. viij. Magistro Generali B. Raymundo Alberto, deq; eius vita mirabili, à fol. 92. vsque ad fol. 100.

De. ix. Magistro Generali, fratre Berengario Cantul. 110

De. x. Magistro Generali fratre Vincentio Riera Gotolano. 101

De. xj. Magistro Generali electo Cardinali, fratre Dominico Serrano, natione Gallo. 102

De. xij. Magistro Generali fratre Pontio de Barellis. 102

De. xiij. Magistro Generali, fratre Nicolao Perezio. 103

De. xiiij Magistro Generali fratre Iacobo Tausti. ibidem.

De. xv. Magistro Generali fratre Antonio Taxal, qui adfuit in concilio Constantiensi, & fuit Ambasiator Regis Alfonsi Aragonum, & electus episcopus Lugdunensis: & mortuus in eodem concilio Constant. 104

De. xvj. Magistro Generali fratre Bernardo de Plano. 111

De. xvij. Generali fratre Iacobo Aymerico. 112

De. xviij. Generali fratre Antonio Dulhã 112.

De. xix. Magistro Generali fratre Natali Gauer. 115

De. xx. Magistro Generali B. Laurentio Company. 117

De. xxj. Magistro Generali fratre Ioanne Vrgel. fol. 121. & 122. & de quibusdam fratribus ordinis nostri, qui suo tẽpore floruerunt.

De. xxij. Magistro ordinis F. Iacobo de Lamata.

De. xxiij. Generali Fratre Iacobo Laurentio.

De. xxiiij. Magistro ordinis F. Benedicto Zafont, & alij viris illustribus ordinis nostri. 122. 123. 124.

De. xxv. & xxvj. Magistro Generalẽ F. Michael Puig, & de quibusdm viris illustribus qui suo tẽpore claruerũt. 125

De. xxvij. Magistro Generali F. Mathia Papiol, & quibusdam grauissimis viris qui suo tempore floruerunt. 127

De. xxviij Magistro ordinis F. Francisco à Torres Valentino. 128

De. xxix. Magistro Generali F. Francisco Maldonado. 127

De. xxx. Magistro Generali F. Francisco à Salazar. 130

Errata Constitutionum

Fol. 41. lin. 15. vestres, lege vestes fo. 41. li. 18. Et huc, le Et huic fol. 48. li. 7. & intentionẽ, le. & intentationem fol 147. li. 17 in perpetu., le in perpetuum fol. 149. li 6. & quorumcunq;. le. & quarumcunq; f. 151. l. 1. Dominicæ in Cantate, l. Dominicæ Cantate:

Errata quæ reperiuntur in Instructione officiorum Ordinis.

Fol. 29. li. 14. se apud se, le. sed apud se. f. 57. explicit instructio officiorum, le. officiorum.

Errata in historia Magistrorum Generalium.

Fol. 78. lin. 7. od liberationem, le. ob liberationem fol. 7. lin. 18. Alter etiam, le. Alterum etiam. & fol. eodem l. 24. Guillelmus, le. Guillermus fol. 86. en el titulo, de Primo Ordinis Magistro Generali, le. de Quinto Ordinis Magistro. fol. 87. en el titulo B. Perro Nolasco, lege. Fratre Petro Formica Fol. 128 lin. 7. vesperorum verò Patre, lege Pater Magister

Nonnulla alia errata parui momenti reperientur præter hæc, quæ, quando hæc prælo mandabantur, in multis codicibus sunt à me emendata: Et ob id hæc solùm sunt, quæ in omnibus codicibus simul inuenientur errata.

Salmanticæ.

Excudebat Cornelius Bonardus.

1588.

MOTVS PROprius Gregorij PP. XIII. in quo confirmantur Constitutiones ordinis, præcipuè illę, quæ ad eius pertinent reformationem.

Gregorius Papa. XIII.

AD futurã rei memoriam. Vt sacris religionibus iuxta editas de nouo ordinationes viri præficiantur idonei authoritate nostra prouidendum est. Cum itaq; sicut accepimus, nuper in monasterio sanctæ Eulaliæ ordinis fratrum sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Barchinonens. contra formam Constitutionum, & Capitulorum editorum in generali capitulo, quod vltimo loco in monasterio eiusdem ordinis oppidi de Guadalajara Toletan. diœces. die decimaquarta Nouembris, vel alijs die & mẽse anni Domini. M. D. Lxxiiij. præsidẽtibus eidem Capitulo duobus Commissarijs Apostolicis, celebratum fuit, ad electionẽ Generalis eiusdem ordinis minus canonicè & de facto processum fuerit. Nos ea, quæ minus canonicè & de facto facta sunt, abhorrentes electionis prædictæ tenorem præsentibus pro expresso habentes: Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instãtiam: sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostris, electionem prædictam non seruata dictarum constitutionum forma nulliter factam, & attentatam, cũ inde secutis quibuscumq;, Apostolica authoritate tenore præsentium cassamus, & annullamus, nullãq; & irritã, nullius roboris, vel momenti fore, viribusq; penitus carere, nec per illam ius sic electo quæsitũ fuisse, nec acquiri posse decernimus, & declaramus. Ne autem idem ordo diutius Prælato careat: qui eiusdem vniuersi ordinis curã gerat, idemq; generalatus munus longæ vacationis exponatur incõmodis, paterna solicitudine pro

ſpicientes, Venerabili fratri Nicolao Epiſcopo Paduan. noſtro & Apoſtolicæ ſedis apud charisſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicũ Nuncio per præſentes committimus, & mandamus, vt pro futura electione Generalis eiuſdẽ ordinis generale Capitulum dicti ordinis eo in monaſterio, in quo per dictas nouas cõſtitutiones ſtatutum fuit, ab eis, à quibus per dictas nouas conſtitutiones eſt conuocandum, cõuocari, & indici faciat, & eis impeditis, aut recuſantibus, ſeu negligẽtibus, vel ſi aliquid aliud obſtet, quod aliter fieri arbitrio ſuo expedire videatur, per ſe ipſum cõuocet, & indicat, & ipſo congregato in eo ipſe, vel ab eo deputandus præſideat, quo in Capitulo & comuẽru dictarum nouarũ conſtitutionũ forma ſeruata, ad electionẽ Generalis dicti ordinis procedi curet, & faciat: Nos enim motu & ſcientia ſimilibus capitula & cõſtitutiones, ac ordinationes, & reformationes quaſcũq; in Capitulo, quod in oppido de Guadalajara vltimo loco celebratũ fuit, editas, quarũ ſerie & tenorem ac ſi de verbo ad verbũ præſentibus inſertæ eſſent, haberi volumus pro expreſsis, per præſentes perpetuò Apoſtolica authoritate approbamus, & cõfirmamus, illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus ſupplemuſq; oẽs & ſingulos tamiuris, quàm facti, & ſolennitatũ etiam ſubſtãtialiũ defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdẽ, illaq; omnia & ſingula, ac in eis contẽta quæcũq; ab omnibus, quos illa cõcernunt, inuiolabiliter obſeruari debere præcipimus, ſicq; & non aliter per quoſcũq; iudices ordinarios, & delegatos, ſublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicãdi, & interpretãdi facultate, & authoritate iudicari, & diffiniri deberi; & ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis authoritate ſciẽter, vel ignoranter cõtigerit attẽtari, irritũ & inane decernimus. Non obſtãtibus præmiſsis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Cõcilijs editis generalibus, vel ſpecialibus cõſtitutionibus, & ordinationibus, dictiq; ordinis ſtatutis etiã iuramento cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoq;, indultis, & literis Apoſtolicis eidẽ ordini, illiuſq; ſuperioribus & perſonis cõceſſis, cõfirmatis, & innouatis: Quibus omnibus illorũ tenores præſentib' pro expreſsis habẽtes illis alias in ſuo robore permãſuris, hac vice dũtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcũq;. Dat. Romæ apud S. Petrũ ſub annulo Piſcatoris, die xx. Februarij. M. D. Lxxvj. Pont. Noſtri Anno quarto.

Confirmantur Conſtitutiones nouæ reformationis, quæ Guadalajaræ ſunt factæ.

Sub præcepto Pontificis debẽt obſeruari reformationes ſtatuta.

Irritum eſt quidquid factum fuerit cõtra prædictas conſtitutiones reformationis.

Ca. Glorierius. Sixtus

Sixtus PP. V. iterū cōstitutiones ordinis nostri approbauit & cōfirmauit, postquam volumen earum vidit & examinauit sicut impressum fuerat Salmanticæ, Anno. 1588. idque fecit Summus Pontifex. Anno IIII. Pontificatus sui.

CONSTITVTIONES REFORMATIONIS NOuę factę in generali Capitulo celebrato Calatajubij & ad instantiam Regis *PHILIPPI. II.* & totius ordinis confirmatę per SS. D. N. PP. Clementem. VIII.

Clemens Papa. VIII.

AD perpetuam rei memoriam. Ijs quæ pro felici Regularium personarū statu, & illorum salubri directione prouidè statuta cōperimus, vt firmiora subsistāt, & perpetuò futuris temporibus obseruentur, confirmationis Apostolicæ roburlibēter adijcimus prout ipsorū religiosorum vota expoſcunt, & nos conspicimus in Domino expedire. Sanè dilecti filij Magister Generalis, & Diffinitores Ordinis Fratrum Beatę Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum nobis exponi fecerunt, quod nuper in capitulo Generali dicti ordinis in Ecclesia Monasterij sancti Augustini eiusdem ordinis in oppido de Calatayud Tiraconensis Diœcesis anno proximè præterito, cum assistentia Venerabilis Fratris nostri Illephonsi Archiepiscopi Cęsaraugustani in eodem Capitulo Præsidentis, Apostolica authoritate deputati, celebrato; ad eiusdem ordinis, illiusq; Religiosorum prosperam directionem infra scripta decreta, ac statuta facta fuerūt. Et primò, quod deinceps electio Magistri Generalis dicti ordinis tàm quoad personam eligēdam, quàm quo ad locum, in quo electio erit celebranda,

Quod Generalis Magister alternatiue eligatur semper.

da, alternatim fieret, videlicet quod vna vice persona eligenda sit ex corona Aragoniæ, & Galliæ, alia vice sit ex corona Castellæ, inclusis prouincijs Andaluciæ, & Indiarum. Quo verò ad locum quãdo eligenda fuerit persona ex corona Castellæ, celebrari debeat capitulum in loco Coronæ Aragoniæ, & quando eligenda erit persona ex corona Aragoniæ capitulum celebretur in loco coronæ Castellæ, & quod iuxta hoc decretum siue statutum primum capitulum Generale celebrari debeat in Prouincia Castellæ, & persona eligẽda sit ex corona Aragoniæ. Præterea circa difficultatem itineris electorum ex Indijs, similiter decretum & statutum fuit vt semper & quando Prouinciales & Diffinitores Indiarum accedunt ad Capitulum Generale, vt electioni Magistri Generalis assistant, quiuis ipsorum admittatur & recipiatur in diffinitorio, & in electione, dummodò ostendant prius nominationem sui capituli Prouincialis, cuius nominationis data non excedat quatuor annorũ tempus, & dummodò nõ constet de ipsorũ reuocatione, aut noua alia nominatione facta per capitulũ Prouinciale. Decretũ item fuit, quòd quando Magister Generalis fuerit ex corona Castellæ, & habuerit Romæ Procuratorẽ, & Vicarium Generalem ex eadẽ corona, Aragoniæ Prouincia possit, si voluerit curam suorum negotiorum dare alteri Procuratori suis expensis Religioso suæ Prouinciæ nominato per suum Capitulum prouinciale, aut cum mandato procurationis Prouincialis, & diffinitorum ipsius, & idipsum facere possit Prouincia Castellæ quãdo Magister Generalis fuerit ex corona Aragoniæ, & nominauerit Romę Procuratorem Generalem suę coronę, cũ hoc quòd Procurator particularis Prouinciæ in robur Religionis, & obedientiæ sit subditus Commendatori Monasterij Romæ ipsius ordinis, vti Prælato ordinario, & Procuratori ac Vicario Generali vti talibus obseruatis in omnibus sui ordinis constitutionibus. Ad euitandos item sumptus superfluos decretũ pariter, ac statutũ fuit, vt Prouincia Castellæ, Andaluciæ & Aragoniæ nõ teneãtur dare Magistro Generali singulis annis vltra septuagintaquinq; scuta valoris decẽ dragmarũ Castellæ, neq; ipse Magister Generalis possit accipere, vel petere amplius pro ipsius victu, & vestitu; quæ scuta septuaginta quinque vnusquisque Prouincialis per suã prouinciam diuidat habito respectu reddituum, & prouentuum, quos quilibet cõuentus habet, & quòd Prouinciæ Indiarum soluãt vestuarium huc vsque solitum: habeatque Magister Generalis redditus prouentus,

De tẽpore electorũ pro prouincijs Indiarum.

De Procuratore Generali Romæ habẽdo pro qualibet prouincia.

De vestuario M. Generali per soluendo.

tus,& emolumenta loci de Algar,quemadmodum hactenus sem per habuit. Quia etiam domus dicti ordinis sunt ita pauperes vt extraordinaria onera sufferre nõ possint, decretum fuit vt Magistris Generalibus,& Prouincialibus quando eorum officijs finem imposuerint,nihil dari debeat. Non obstantibus decretis in alio Capitulo Generali Cæsarauguſtæ celebrato, factis, per quæ designati fuerunt centum Ducati singulis annis soluendi Magistro Generali,qui officio suo finem imposuisset,& sexaginta octo Ducati vnicuique Prouinciali, qui similiter officium suum impleuisset. Addita tamen cohortatio fuit ad Commendatores & Prelatos ordinarios Domorum,inquibus habitauerint, vt ipsorum officijs peractis ita illos tractari curent,vt ipsorum personas,& dignitates decet. Præterea vt cessent multa inconuenientia, quæ ipsa experiẽtia magna esse comprobauit circa exemptiones,quas Magistri Generales pro tempore existentes concedere cõsueuerunt multis religiosis tam in sedendo, quàm in nõ assistẽdo choro nec non officijs conuentualibus, & similiter circa dispensationes super celebratione plurium Missarum, quàm permittunt Ordinis cõstitutiones,& super vsu lini in vestibus,nec nõ super immunitatibus à dictis Magistris Generalibus aliquando quibusdam concedi solitis, illos sibi, ac præfato Magistro Generali pro tempore existente immediatè subijciendo, reuocando imprimis dictas exemptiones, decretum & statutum fuit vt nullus Religiosus possit talibus exemptionibus,dispẽsationibus,immunitatibus,& subiectionibus vti,nec Prælati vlteriùs illis assentiri sub pœna priuationis officij quoad Prelatum ad annum;quoad reliquos vero illis vtentes sub pœna carceris in quo detineri debeãt per sex menses. Et insuper fuit addita cohortatio ad Magistrum Generalem,quòd in cõcessione huiusmodi exemptionum parcè admodum, & considerate procedat,neq; illas concedat passim,sed raro,& ex iustissimis causis, & cum debitis limitationibus. Item cum visum fuerit grauata fuisse Capitula Prouinciæ Castellæ & Andaluciæ in Redemptione Captiuorum aliarum Prouinciarum mediantibus pecunijs earundem Prouinciarum Castellæ, & Andaluciæ,decretum fuit quod pecuniæ quæ venerint ex Indijs ad redimendum Captiuos vnà cum reliquis quæ aggregabũtur in Prouincijs Castellæ & Andaluciæ deseruiant tantummodo & applicentur Redemptioni Captiuorum dictarum Prouinciarum absque eo quod Magister Generalis illas extrahere, aut in Redemptionem

Quod prouinciæ Indiarũ oẽs integrũ per soluant vestiariũ sine diminutione.

Quod Honorifice sũt tractãdi & Reuerẽter Generales etiam peractis officijs suis.

Nota Reformationẽ Quod pecuniæ pro redemptione captiuorum nõ possint extrahi à Generali Magistroextra

prouincias Castellæ, aũ alias.

Captiuorum aliarum Prouinciarum, vel in alios vsus conuertere seu aliter applicare valeat, sub pœna priuationis officij. Præterea cum consideratum fuerit quod domus Bergæ, Tarragæ, Pradas, & Mont blanch in principatu Cataloniæ, & Domus Sarrionis, & cu iusdã loci nũcupati, Vn castillo, Regni Aragoniæ sint ferè inutiles ordini, & Religioni, nã paucos cõtinent in se fratres, & nõ potest in ipsis seruari Regularis obseruãtia, decretũ fuit, quod sumptas domus Cataloniæ vniantur seu incorporentur, & reducãtur ad collegiũ quod Ordo ac Religio habet in Ciuitate Illerdẽsi, & hoc eo cõsilio vt ex redditibus dictarũ domorũ cõiunctis cũ redditibus dicti Collegij possit maior numerus Scholasticorũ, & Personarũ, quæ in litteris exerceantur in dicto Collegio manuteneri. Et similiter quod domus Regni Aragoniæ vnirentur & incorporarentur Collegio quod Ordo habet in Ciuitate Oscensi ad eundẽ finẽ, & effectũ. Et quod executio vnionis seu incorporationis Domorũ Cataloniæ cõmittatur Priori Barchinonẽsi, Domorũ verò Aragonię, Prouinciali, seu eius Vicario dictę Prouincię. Præterea vt directus gradus Præsentatorũ & Magistrorũ dentur personis dignis, quin sacris litteris ac scientijs diu operã præstiterint, & in illis profecerint, decretũ & statutũ fuit, vt nulli Religioso dicti Ordinis detur gradus Præsentati, nisi ad illũ à suo Capitulo Prouinciali prius propositus siue nominatus fuerit & nisi saltẽ spatio triũ annorum logicã docuerit siue legerit, & postquã fuerit expositus & cõfirmatus in capitulo generali nõ possit ad Magistri munus & gradũ similiter proponi aut nominari nisi Theologiã scholasticã, aut Positiuã spatio quatuor annorũ similiter docuerit siue legerit nõ cõprehenso inter illos tẽpore quo legerit casus cõscientiæ, & obseruata in reliquis omnibus forma constitutionis in distinctione. 2. capitul. 25. Et qui aliter fuerint graduati non habeantur neque reputentur vti tales, nec habeant nomen, nec votum, nec aliud priuilegium superquo per Magistrum Generalem non possit dispensari aliqua de causa, occasione, vel prætextu. Et nullus expositus fruatur voce, loco, nec aliquo priuilegio præsentati nec Magistri quousque admittatur in capitulo generali. Simulque vt Magistri Generalis adesse possit Capitulis Prouincialibus quãdo opus esse viderit, decretum pariter & statutum fuit quod eidẽ Generali liceat differre, aut anticipare Capitula Prouincialia celebranda ante capitulum inter medium quod sequitur, ea tamen lege, vt anticipatio aut dilatio vnius Capituli Prouincialis ad aliud

De Magistris & præsentatis quo modo creandi & quis ordo seruandus sit, vltra ea quæ in constitutionibus habẽtur.

Quod possit anticipare capitula vel postponere Mag. Generalis.

non excedat tempus quadraginta dierum, cum sit tempus competens ad hoc vt possit vni interesse, & ad aliud accedere. Nec non vt in electionibus tam Magistri generalis, quàm aliorum Prouincialium vota libera sint, decretum & statutum fuit, quòd ij qui præsentes sunt votum non teneantur petere schedulas ad effectū voti dandi à Secretario Capituli, sed possint ipsi facere schedulas arbitrio suo postquam congregati fuerint in Capitulo ad eligendum, aut illas ex suis cubiculis factas afferre, vel vt ipsi voluerint afferendo tantum modo schedulā eius personæ, in cuius fauorem votum dederint, & vbi hoc pacto vota præstita fuerint electus debeat habere supra medietatem votorum alia duo vota, si electus est capitularis. Similiter decretum & statutum fuit, quod Magister generalis si commorabitur in Hispania non possit nominare Vicarium Generalem in aliqua Prouincia. At vero mortuo Prouinciali alicuius Prouinciæ, licet dictus Prouincialis substituerit alium Vicarium Prouincialem, possit tamē Magister Generalis nominare pro illa Prouincia alium Vicarium Generalem, qui in ea exerceat jurisdictionem, quam exerceret ipse Magister Generalis si in ea existeret. Vlterius decretum & statutum fuit, vt nullus Religiosus alterius Ordinis in ipsum ordinem absque expressa licentia Magistri Generalis recipi posset. Et quod nullus Vicarius Generalis Indiarum possit ex Indijs in Hispaniam reuersurus egredi quousque alius in eius locum deputatus accesserit, aut Magister Generalis per suas literas permittat vt recedere valeat, antequam successor illuc perueniat prouiderit, sub pœna priuationis officij, & vocis activæ & passiuæ in perpetuum. Et sub eadem pœna successor, qui illuc accedit, remittere teneatur visitationem, seu quam dicunt residentiam sui antecessoris cum eiusdem antecessoris culpis, & Iustificationibus, clausoque processu illum remittat in Hispaniam vt Magister Generalis super eo videlicet sententiam ferat, mandando supradicto Vicario Generali qui ex Indijs fuerit reuersurus vt se præsentet coram ipso Magistro Generali; ita tamen vt si ex processu probatæ extiterint culpæ, & delicta, propter quæ idē Antecessor videatur carcerandus, possit illū carceri mancipare. Postremo habito tractatu de loco celebrationis Capituli Generalis intermedij, resolutum fuit, quod dictum capitulū celebretur in monasterio eiusdem ordinis oppidi Vallesoleti Palētinæ diœcesis, ac alias pro vt in statutis, & ordinationibus desuper vt præfatur factis, plenius continetur dicitur. Cumque Magister-

Quod electores eligant per schedulas secretas à se factas.

Quod Magist. Gener. non possit nominare Vicarium Generalem in prouincijs residentem.

Quod vicarij Indiarū nō recedāt ab eis antequam eorū successores illuc perueniant & fidēliā præstiterint.

ster Generalis & diffinitores præfati cupiant præmissa omnia Apostolico munimine roborari, nobis humiliter supplicarifecerunt, quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere, ac alias in præmissis opportuné prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos habita super præmissis cum Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus super consultationibus Episcoporum & Regulariũ Deputatis, quibus præinserta statuta examinãda demandauimus matura consultatione huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula præinserta statuta apostolica auctoritate tenore præsentium ex certa nostra scientia perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes & singulos iuris & facti ac solemnitatum quarumcunque quomodolibet omissarum, & alios quoscunque defectus si qui interuenerunt in eisdem supplemus, eaque omnia & singula perpetuò valida & efficacia fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, ac à modernis & pro tempore existentibus dicti ordinis Magistro Generali, alijsque superioribus fratribus & personis quibuscunque inuiolabiliter perpetuò obseruari, eosque omnes & singulos ad illorum omnium obseruationem cogi & compelli posse; sicque & non aliter per ipsius ordinis Magistrum Generalem, & superiores, ac quoscũque iudices quauis auctoritate fungentes, & sacræ R.E. Cardinales ac etiã de latere legatos, & causarum Palatij Apostolici auditores sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & definiri debere; irritum quoque & inane quicquid secus super his à quoque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, & nihilominus Venerabilibus Fratribus Toletano & Cæsaraugustano Archiepiscopis, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori Generali per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, vbi & quando opus fuerit præsentes litteras & in eis contẽta quæcunque solemniter publicantes faciant statuta præfata à Magistro Generali, & fratribus dicti ordinis nunc & pro tempore existẽtibus perpetuò obseruari, ac eos, quos illa concernunt, & concernere poterunt quomodolibet in futurum ad illorum omnium obseruationem omnibus iuris & facti remedijs cogant, & compellãt non permittentes aliquod contra illorum statutorum continentiam & tenorem per quoscunque quouis prætextu, vel colore, aut

Quod præmissa omnia cũ venerabilibus S. R. E. Cardinalibus sunt a PP. Clemẽte demãdata approbata & cõfirmata.

aut alias quomodolibet attentari, contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias & censuras Ecclesiasticas, ac etiã pecuniarias pœnas, aliaque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescẽdo, ac legitimis superhis habẽdis seruatis processibus sententias, cẽsuras, & pœnas præfatas aggrauando, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit,) auxilio brachij secularis. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis illiusq; monasteriorũ, domorum, Prouinciarum, & locorum quorumcunq; etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis & litteris Apostolicis contra præmissa, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas Generales idem importãtes Nuntio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruãda foret, illorum omnium & singulorum tenores ac si de verbo ad verbum exprimerẽtur, & insererentur præsentibus pro sufficiẽter expressis ac de verbo ad verbum insertis habẽtes, illis alias in suo robore permãsuris hac vice duntaxat harum serie specialiter & expresse derogamus, & ad plenũ derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autẽ vt earundem præsentium transumptis, & impressis manu Notarij Publici subscriptis, & sigillo ipsius ordinis, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constituta, obsignatis eadem prorsus fides in iuditio & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forẽt exhibitæ, vel ostẽsæ. Datis Romæ apud Sanctum Petrum sub annullo Piscatoris, die octaua Nouembris, M. D. Xciij.

Pontificatus Nostri.

Anno. • Tertio.

M. Vestrius Barbianus.

CAPITVLVM

Generale intermedium celebratum Pintiæ, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo nonageſimoſexto.

* *
*

In nomine ſanctiſsimæ Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus ſancti ſub protectione etiam ſanctiſsimæ Virginis de Mercede Redemptionis Captiuorum Dominæ, ac Patronæ noſtræ, &c.

EN la ciudad de Valladolid dentro del monaſterio de la orden de la Redempcion de Sancta Maria de las Mercedes, en primero dia del mes de Iunio de. 1596. Años, el Reuerendiſsimo Padre Maeſtro Fray Franciſco Zumel, Maeſtro General de toda la dicha orden, aũiendo llamado a Capitulo General intermedio en cumplimiento de la nueua reformacion y del Motu proprio de la Sanctidaã de los Pontifices de glorioſa memoria, Gregorio XIII. y Sixto. V. y conforme al tenor de las Conſtituciones de la dicha orden para en el tratar las coſas concernientes al bien comun de la Religion, y para eſtablecer los decretos y ordenaciones que mejor conuinieſſe, y para emendar anſi meſmo las coſas que pareciesſe tener neceſsidad de enmienda. Y para la cõfirmacion del officio del Reuerendiſsimo Maeſtro General de la orden, eſtando ya

do ya todos juntos y conuocados por la Constitucion, conuiene a saber. El Reuerendissimo Padre Maestro F. Francisco Zumel, Maestro General susodicho: y el padre Maestro F. Miguel Perlas, Prouincial de Aragon: y el padre Maestro F. Iuan Negron, Prouincial de Castilla: y el padre Maestro F. Iuan Bernal, Prouincial del Andalucia: y el padre Maestro F. Pedro Valaguer, Diffinidor de Aragon y Comendador del Puche: y el padre Maestro F. Bernardo Papiol, Diffinidor de la misma Corona: y el padre Maestro F. Antonio Simon, Prior de Barcelona elector: y el padre Presentado F. Iayme Tensa, elector y Comẽador de Valẽcia, y el padre Presentado F. Miguel Vidal, Elector y Comẽdador de çaragoça: y el padre Presentado F. Monserrate Ausias, Elector y Comẽdador de Girona: y los padres Maestros Fray Christoual Gonçalez, y Fray Pedro de Oña, Diffinidores por la prouincia de Castilla: y ansi mesmo los padres Maestros F. Iuã de Ribas, y F. Luys de Heredia Comendador de Malaga, Diffinidores por la prouincia del Andalucia: Y todos juntos dentro del Diffinitorio y lugar diputado para las cosas susodichas del dicho Capitulo intermedio, El Reuerẽdissimo padre Maestro F. Francisco Zumel, dando principio al dicho Capitulo, exorto a todos los susodichos a la obseruancia de la Reformacion y vida Regular, mostrando con muchas raçones quanto importa el buen exemplo de los superiores y Prelados, y que no solamente esten siempre velãdo en el gouierno de sus subditos: pero q̃ aun tambien es necessarissimo tener execucion en las leyes y ordinaciones que la Religion tiene mandadas guardar, y que para esto conuenia tratar las cosas tocantes a la reformacion, con amor y paz, sin otro genero de interes ni pretension, pues no contradezia el hazer las cosas affectuosa y amorosamente a la execucion de las leyes, que en orden al seruicio de Dios y bien de la Religion, estauan ordenadas.

HEcha la dicha platica, el dicho dia, mes y año, dentro del dicho Diffinitorio se procedio por el orden que la

Constitucion dispone en la distinction.2. cap.2.a la confirmacion de officio del Reuerendissimo General suso dicho, la qual auiendo les sido propuesta a los dichos Vocales, todos vnanimes y conformes nemine discrepante, dixeron que confirmauan y confirmaron en Maestro General de la dicha orden al dicho Reuerendissimo Padre Maestro Fray Francisco Zumel por otro triẽnio, hasta acabar el sexenio de su officio de Maestro General, y que ansi mesmo approbauan y confirmauan su election hasta la Pascua de Spiritu Sancto, del año de nouenta y nueue venidero; y ansi mesmo dixeron que hauia biẽ hecho y cumplido su officio, y guardado las constituciones y reformacion de la orden, y que le encargauan que ansi prosiguiese desde aqui adelante, porque en nombre de la dicha orden estauan satisfechos de su gouierno, y que auia bien cumplido cõ las obligaciones de su officio. Y luego immediatamente se leuãtaron por sus antiguedades todos los dichos Vocales, Prouinciales, Diffinidores, y Electores, sin discrepar ninguno, y le besaron la mano y dieron la obediencia de tal Maestro General confirmado, lleuando al susodicho Reuerendissimo General el Maestro Fray Francisco Zumel en procession a la Iglesia y Capilla mayor del dicho conuẽto, diziendo: Te Deum laudamus, y haziendo todas las ceremonias acostũbradas.

¶ E luego el dicho dia, mes, y año se voto por votos libres y secretos sobre el lugar de la futura election del año de nouẽta y nueue por Pascua de Spiritu sancto del nueuo Maestro General. Y auiẽdo votado por escrutinio libre y secreto, parecio en el dicho escrutinio, y al tiempo de la publicacion de el, que vuo treze cedulas que todas vnanimes dezian Valladolid, y Vna sola que dezia, Segouia: por lo qual eligieron el lugar de la futura election del año venidero de mil y quinientos y nouenta y nueue, el monasterio de la dicha orden de la dicha ciudad de Valladolid.

¶ ITEM, Nombro el dicho Capitulo vnanime y confor

me

me: conuiene á saber todos los Diffinidores de todas las Prouincias, y todos los Padres Prouinciales, por contadores del dicho Capitulo para la quenta y razon de todo lo tocante a Redempcion de Captiuos, y para las otras quentas de gasto, y recibo, ansi del Capitulo, como del padre Maestro General, y de su officio, a los Padres Maestros Fray Antonio Simon Prior de Barcelona, y al padre Maestro Fray Christoual Gonçalez Diffinidor de Castilla, y al padre Maestro Fray Luys de Heredia Diffinidor de Andalucia y Commendador de Malaga, y al padre Maestro Fray Pedro de Oña Diffinidor de Castilla y Secretario del Capitulo, para que como Secretario assistiesse a todas las dichas quentas.

¶ ITEM, Se nombraron juezes de causas, al padre Maestro Fray Pedro Balaguer, y al padre Maestro Fray Christoual Gonçalez.

¶ OTROSI, Se leyo en el dicho Diffinitorio, vna Bulla de nuestro muy sancto Padre Clemente. VIII. sub annullo piscatoris, Dat. 8. de Nouiembre de. 1594. en la qual su Sanctidad confirma las ordenaciones y decretos fechos en el Capitulo General de Calatayud del año de. 1593. y bien entẽdida la dicha Bulla por el sancto Diffinitorio, el Reuerendissimo General, Prouinciales, y Diffinidores, todos jũtos nemine discrepante dixeron que recibian la dicha Bulla y cõfirmacion, conforme al tenor de nuestras constituciones, y que ansi la daua por promulgada y publicada, y mãdaron se guardasse para siempre jamas, y q̃ porque de ella vuiesse mayor noticia se imprimiesse y pusiesse en el cuerpo de las constituciones de la orden, juntamente con la Bulla de Gregorio. XIII.

¶ ITEM, Ordenò y mandò el dicho Capitulo, que se suppriman las casas de Mon blanch, Verga. Terraga, de todo punto: y que si el pueblo no acudiere con lo necessario tambien se extingua la de Sarrion, cõforme al Breue y Motu Proprio de su Sanctidad. Pero permite se por agora que la casa de vn Castillo, porque va en augmento, se quede fundada, y no

ſe ſupprima. Y para la reduction de las caſas arriba dichas ſe to me por juez al ſeñor Arçobiſpo de çaragoça, cõforme al Motu proprio ſobredicho de ſu Sanctidad.

¶ ITEM, Ordenò y mandò el dicho Capitulo General, que todos los Comendadores quando de nueuo cõtran en ſus officios y encomiendas, nò puedan lleuar los officiales, Vicarios, Depoſitarios, Procuradores, Maeſtro de nouicios, y otros officiales del conuento conſigo, ni ſe los puedan dar, ſi nò que eſtos ſe queden en el mismo cõuento donde eſtauan, por ſer perſonas que tienen noticia de las coſas del monaſterio donde eſtan, y que eſtan capaces de los officios en aquella caſa, y que por lo menos por los ſeys meſes deſpues de la prouiſion del nueuo Comendador nò los puedan mudar los Padres Prouinciales, por ningun titulo in cauſa, del dicho monaſterio y conuento.

¶ OTROSI, Se manda y encarga la conſciencia a los Padres Prouinciales, que no muden frayle ninguno, ſino fuere en viſita, conforme a Conſtitucion: ſino fueren Predicadores, Eſtudiantes, Lectores, Organiſtas.

¶ ITEM, Se manda y ordena por el dicho Capitulo General, que a los religioſos que no ſon ſacerdotes, no ſe les pueda dar en todo el triennio licẽcia para yr fuera del lugar, mas de ſola vna vez, fuera de los quatro dias que pueden dar los Comendadores de Conſtitucion, y en lo de mas ſe guarden las ordenaciones de los Capitulos Prouinciales, y ſolamente pueda diſpenſar en eſtos caſos el Reuerendiſsimo General.

¶ ITEM, El Capitulo encargo la conſciencia a los padres Prouinciales, que quando viſitaren vean ſi conuienen los depoſitarios hechos, y ſi no ſe muden y pongan otros.

¶ ITEM, Ordenò y mandò el Capitulo General y ſu ſancto Diffinitorio, vnanimi conſenſu, que ningun Pronincial, ni Viſitador ſuyo, pueda reſidẽciar los Prelados paſſados que gouernaron fuera de ſu triennio: y entiende ſe, ſobre los que ya paſſo Viſita y Capitulo Prouincial.

¶ ITEM,

¶ ITEM, Se ordenò y mandò, que los Prouinciales y Visitadores, determinen las visitas que vuieren hecho, primero que se vayan del conuento donde visitan: pero que siendo necessario determinar algun caso que tenga necessidad de junta, lo pueda dilatar por tres meses: los quales cumplidos no pueda conocer de la causa sino fuere el Reuerendissimo General, o el Capitulo Prouincial. Y en esto no se comprehéden las prouincias vltramarinas, ni las islas.

¶ ITEM, mandò y ordenó el dicho Capitulo General, que ningun Prouincial, ni Visitador, pueda dar licencia para cargar censos, sino fuere el Capitulo General, o Capitulo Prouincial: ni pueda véderlos, ni dar licécia para ello, so pena de priuacion de voz actiua y passiua, in vtroque foro, sino fuere en caso que se compre alguna propriedad con que se mejore el conuento, y su hazienda.

¶ OTROSI, Ordenó y mandò el dicho Capitulo, que las legitimas que cupieren en cénsos y bienes rayzes, no se puedan enagenar, ni dar licécia para ello, debaxo de las mismas penas, sino fuere en Capitulo General, o Capitulo Prouincial, o con su licencia de los dichos Capitulos.

¶ ITEM, Se determinò y mandò, que los que notificaren mandamientos, assignaciones, licencias, patentes, y otras cosas, no puedan posponer la notificacion, ni anteponer la, so pena de excommunion mayor, y la pena de grauiori culpa: sino q̃ el mesmo dia que se notifica se ponga, y que se tenga por fugitiuo el que viniere sin la notificacion de la dicha licencia.

¶ OTROSI, Ordenó y mandò el Capitulo, que cada Comendador en su casa guarde las licencias, assignaciones, y mandamientos, de todo el tiempo de su officio, para que de quenta dellas quando se las pidiere su Prouincial, o General, o Capitulo.

¶ ITEM, Acordò el sancto Diffinitorio, y Capitulo, que las excommuniones puestas en las Visitas hasta el Mayo de nouenta

nouenta y tres inclusiuè cessen, y q̃ solamente valgan las que estan puestas en las Visitas de los nueuos Generales y Prouinciales, el tiempo que gouiernan: y que acabado su tiẽpo, no sereualidando de nueuo, no valgan. Y lo mismo se entienda de los preceptos de los Generales y Prouinciales passados. Pero declarase, que los preceptos de los que de presente gouiernan tengan fuerça hasta que acaben sus officios. Y declarase assi mesmo, que assi las penas corporales como las de priuacion, essas se quedan siempre en pie.

¶ ITEM Ordenó y mandò el Capitulo, que el dia de sant Lorenzo, que es la fundacion de la Religion se haga fiesta en todos los monasterios de la orden, con solemnidad spiritual de Missa y sermon.

¶ ITEM, Mandò este sancto Diffinitorio, y ordenò el Capitulo General, que en las Prouincias de las Indias en las elections de los Prouinciales, tan solamente sean votos los que tuuieren las calidades requisitas conforme a la Constitucion, guardando en todo la reformacion: que son los Comẽdadores, y Maestros, y Presentados del numero en quien concurran los requisitos que la constitucion pide: y no voten los Vicarios, ni Presidentes, ni Maestros de nouicios por que en este caso aya vn mismo gouierno y toda vniformidad en la Religion. Y se declara que los Maestros, o Presentados, en quien no concurren las calidades de la Constitucion, no tienen voto en ninguna election, aunque sea en las Indias, attento a que assi esta ordenado por la orden, y por los Summos Pontifices: y especialmẽte confirmado y mãdado guardar por el Motu proprio de Gregorio. XIII.

¶ OTROSI, Ordena este sancto Diffinitorio y Capitulo General, q̃ en las Prouincias de las Indias, las Elections de los Prouinciales se hagã por quatro años enteros desde aqui adelante, por la grande distancia que ay en aquellas partes de vnos conuentos a otros, assi para las visitas como para la congregaciones y elections, y quanto al tiempo de eligir se guar-

de el

de el vso antiguo de aquellas prouincias que tenian en hazer sus capitulos Prouinciales atenta la diuersidad de los climas, y que quando aca es inuierno, alla es verano: y a que si se hiziessen, la Dominica in Cantate, casi siẽpre faltariã los Prælados de sus casas, y monasterios, al tiẽpo de la Quaresma, y por otras muy justas y razonables causas.

¶ OTROSI, Ordeno y mando este Capitulo q̃ pos la pobreza que tienen las prouincias de Guatimala y nueua España con sus casas, el que fuere por Vicario General vaya con titulo de Visitador por tiempo limitado, los quales corran, y se quenten desde el dia que desembarcare, y cumplidos los tres años expire su officio.

¶ ITEM, Ordeno, y mando que el Vicario General del Piru, no lleue tan excessiuos Vestuarios y derechos desde aqui adelante, y para esto se le limitan, que la prouincia de Lima solamente pague al dicho Vicario General quatrocientos pesos corrientes de a ocho reales, y las del Cuzco, y Chile trecientos cada vna, y su viatico moderado.

¶ OTROSI, Ordeno y mando el capitulo General, que los dineros de Redempcion de Captiuos que vinieren de Indias a España sean ygualmente de Castilla y Andalucia, y los Redemptores de las dichas prouincias de Castilla, y Andalucia, lleuen y partan por iguales partes la plata y oro y dinero de Indias y otras joyas y cosas.

¶ ITEM, Ordeno el Capitulo que la Redempcion que hizieren Castilla y Andalucia se haga juntamente y pro indiuiso, con que tenga cada Redemptor por si vn libro entero de todo, y que no pueda el vn Redemptor encubrir ningun adiutorio, ni dinero, ni otra cosa al otro, so pena de priuacion perpetua. Pero en caso que las Redempciones se hagan como hasta aqui, se parta la plata y dinero de Indias, y otras cosas por iguales partes entre los dichos Redemptores como dicho es.

¶ ITEM, Ordeno que el Comissario, o Redemptor que

no guardare fidelidad en lo q̃ toca a la Redẽpcion de los mi. ſtes Captiuos, y la vuiere defraudado en alguna coſa, no ſolamẽte ſea priuado perpetuamẽte de Voz actiua y paſsiua, conforme a cõſtitucion, ſino q̃ no le puedã reſtituir General, ni Prouincial, ſino todo el Capitulo, y que ſea negocio de gracia que vengan todos en el fin diſcrepar ninguno.

¶ ITEM, ſe declara y ordena que los Comiſſarios de la Redempcion que tienen los conuentos y ſalen a predicar y recoger las limoſnas, ſean nombrados por Capitulo Prouincial, y ſiendo nombrados fuera del dicho Capitulo no valgã. Y entendieſe los que vuieren de ganar tiempo y curſo para ſer Preſentados.

¶ ITEM, Ordeno y mando que los Comendadores de los conuentos, con titulo de comprar veſtuarios, eſtameñas, ni paños, ni con otros titulos fingidos de comprar, y ventas y negocios, no falten de reſidir en ſus monaſterios, mas del tiempo que la conſtitucion les da, y ſi ſalieren fuera ſalgan a ſu coſta, y no a la del conuento y aſienten los depoſitarios el dia que ſe van en el libro de cuẽtas ſo pena de grauiori culpa, y que ellos paguen el dinero que ſe gaſtare.

¶ ITEM, Para deſterrar el abuſo de ſegundos lectores, y ayudas de lectorias que para effecto de ganar curſos para Maeſtros y Preſentados ſe han querido introducir, Declaro y mãdo eſte Capitulo General, que eſto en ninguna manera les valga para ganar curſos para Preſentados, ni Maeſtros, Porque demas y aliende de nombrarſe algunas vezes hõbres ignorantiſsimos queda fruſtrado el intento de la cõſtitució, y porque de hazerſe lo contrario vendrian los ignorantes e idiotas a prenaleſcer, y ſeria irriſion de las letras, y ſe relaxarian los eſtudios.

¶ ITEM, Ordeno que para delictos atrozes, y fugas aya algunas carceles aſperas en las Prouincias, y calaboços y no ſe deshagan, porque de deshazerſe ſe da tienda a los Diſcolos y malhechores.

¶ ITEM,

¶ITEM, exhorta y amonesta a los Prelados y Comendadores de la Religion que con diligencia, procuren reparar y edificar en sus conuentos por el tiempo que en el son Prelados, y que no dexen deudas nueuas quando acabaren, y lo cõtrario se les da por culpa.

¶ITEM, Ordena y manda el dicho Capitulo General que el Comendador de Sicilia pueda castigar, quitar y poner, y tenga jurisdiction sobre los Vicarios del dicho Reyno de Sicilia.

¶OTROSI, Ordeno el dicho Diffinitorio y Capitulo General que para las elections de futuros Capitulos, y elections de Prouincial de Castilla, Andalucia, y de la Corona de Aragõ, pueda nuestro Reuerendissimo Padre General, anticiparlos, o posponer los por tiẽpo y espacio de tres meses.

¶ITEM, Declaro el dicho Capitulo General que quando la ordenacion del Capitulo General de Calatayud dize, que si el Procurador general de Roma fuere de la corona de Aragon pueda la Prouincia de Castilla embiar procurador, se entienda, que debaxo de Prouincia de Castilla se comprehende tambien la del Andalucia.

¶OTROSI, se ordena que en la Octaua de todos Santos se haga vniuersalmente en toda la Orden vn Anniuersario por los Captiuos Diffunctos que murieron en poder de infieles, y en la Vnion de la sancta Iglesia de Roma.

¶ITEM, Por quanto algunos Religiosos de la Prouincia del Andalucia, tienẽ algunas rentas con particulares breues de su sanctidad, las quales estan applicadas en propriedad a la orden: aora de nueuo se ordena y manda que los reditos que se cobraren los cobre el Procurador conuentual, y para ello sea obligado a dar poder el dicho Religioso, y ellos pueda gastar de manu, & licentia Prelati, y se vse con ellos lo que haze la Religion con los otros depositos de los Religiosos.

¶OTROSI, Declaro y mando, que ningun Religioso pueda tener seglar que le sirua, ni duerma en su celda. Pero los

Maestros, Cathedaticos, o Predicadores antiguos, y viejos, puedan tener escriuientes y algun seglar, como se haze en las demas Religiones. Y si algun seglar se permitiere, no duerma de noche en el conuento dentro de sus claustros y dormitorios.

¶ ITEM, El padre Maestro F. Ioã Bernal Prouincial del Andalucia, y los padres Maestros Diffinidores de ella, el P. M. Ribas, y el P. M. F. Luis de Heredia pidieró al capitulo General fuesse seruido q̃ se llamassen Paternidad los Presentados F. Balthasar Cataño, F. Rodrigo de Bustos, F. Iorge de Quintanilla, y F. Ioan de Cornieles de la dicha Prouincia del Andalucia, attento que son viejos, y que ha mas de veynte años, y aun treynta que algunos son Prelados. A lo qual Respondio el dicho capitulo General que attento que la Prouincia del Andalucia lo pide para si y haze instancia, se les permite que los puedan llamar Reuerencia, o Paternidad los otros Religiosos como quisieren: pero que no se obligue a nadie que los llame Paternidad. Y la mesma gracia se haze al padre Presentado, F. Hernando Montesinos, y se pone perpetuo silencio a la dicha Prouincia desde aqui adelante.

¶ OTROSI, permite llamar Paternidad por el tiempo que fueren Comendadores y no mas. Al Comendador de Valencia, Zaragoza, Barzelona, y Girona, y al Comendador de Valladolid y de Madrid, y al de Seuilla, y Granada, e no mas.

¶ ITEM, Declaro è mando que los Prouinciales que acaban sus officios, al tiempo que acaban puedan entrar en diffinitorio en el mesmo Capitulo dõde se elige el nueuo Prouincial que les sucede, y entonces entren como Consultores para las prouisiones de las casas, è informen como hombres que han visitado aquel triẽnio para que mejor se acierten las prouisiones de los Comendadores.

¶ ITEM, Ordeno este sancto Diffinitorio, que en la corona de Aragon del Reyno donde saliere el Prouincial, no pueda

pueda auer mas de vn Diffinidor, y el. Pero los otros tres diffinidores del Capitulo Prouincial quede en su libertad de eligirlos la prouincia de los otros Reynos del que quisiere, y que a esto se reduze el acta del Capitulo del Oliuar. De suerte que los Electores puedã eligir y nombrar los dichos tres diffinidores de todo el otro cuerpo de la Prouincia de Aragon, como sean benemeritos para los dichos officios.

¶ ITEM, Ordeno y mando pro hac vice duntaxat, que las prouincias de Castilla, y Andalucia, se junten con Aragon por la necessidad que de presente padeze la corona de Aragõ, y todas tres prouincias juntas hagan vna Redempcion en Argel. Lo qual se ordeno de consentimiento, y voluntad de las prouincias de Castilla, y Andalucia.

¶ ITEM, Declaro y ordeno que en la Election de Prior de Barzelona quando acabare su officio, por lo menos passen dos años antes que pueda ser reelecto.

¶ ITEM, Ordeno y declaro que en la election del nueuo Prior de Barzelona præsida el Suprior del dicho conuento de Barzelona, y no el prior que acabare. Pero estando presente el Reuerendissimo General, o el Prouincial de la dicha prouincia de Aragon, presida qualquiera de ellos como superiores y Prelados supremos en la dicha corona.

¶ ITEM, se declara, que ningun Religioso sea osado de salir de su conuento sin expressa licencia in scriptis, de su Comendador, o Prouincial, o General: y que no baste pedirla vocalmente, y que en este caso se guarde lo que esta decretado en el Concilio Tridentino en la sesion. 25. en el decreto de regularibus cap. 4. *Concil Trident. Sesion 25. Decret. de reform. cap. 4.*

¶ OTROSI, Para quitar la occasion de discordia, y codicia, y la inquietud, y el escandalo que en esto ay, y para que se restituyan a las tristes y pobres casas de Indias las haziendas que les suelen quitar de los difunctos, por ser ansi que ay muchos monasterios pobres en las dichas prouincias, se ordena que las haziendas, dineros, y plata que pareciere tener los

Religiosos que murieren en las dichas Indias se appliquen a los Monasterios mas pobres è necessitados de las dichas Indias, o para los estudios è collegios de las mesmas prouincias: pero si algun Religioso viniere de Indias de qualquier condicion è calidad que sea, é officio, è traxere dineros a España, en su cabeça, o en agena, o q̃ los aya dado a alguno en confiança, que todos los dineros, oro y plata y otras cosas q̃ truxere, è otra qualquiera hazienda se appliqué a los collegios de Castilla è Andalucia, è desde agora se les applicã por iguales partes sin hazer differencia alguna, attento que las Indias fueron sujetas a la prouincia de Castilla, y que tienen igualmente dependencia de estas prouincias de Castilla, y Andalucia, y que el Religioso que truxere los tales bienes no pueda consumir ni expẽder los tales bienes, sino q̃ teniendolos y haziendolos seguros, por sus dias vse de los fructos de ellos ad vsum præcisse, & ad nutum Prælati, y con obediẽcia, y trayendo beneplacito de su Sanctidad.

Ita cautũ est in cõstitutionibus. dist. 2.

¶ Decretose y mandose por el dicho capitulo General que valgã las approbaciones y cõfirmaciones, y applicaciones de Rentas è de cẽsos è tributos hechos a los monasterios è collegios de las rẽtas è juros q̃ hasta agora se han hecho por los Capitulos Generales, è por el Reuerẽdissimo General, ansi para la casa de Salamãca, como para el collegio de Seuilla, è monasterio de la madre de Dios de Malaga, en la forma q̃ se hizierõ ante escriuano los años passados de nouẽta è tres è nouẽta è quatro, por ordẽ de nuestro Padre General, las quales dichas scripturas è applicaciones fechas, valgã è seã perpetuas è valederas inuiolablemente, q̃ son, las del P. M. F. Ioan de Ribas, è Maestro F. Francisco de Veamonte, è F. Pedro de Curiel, è F. Francisco Brauo, è se pone perpetuo silencio para adelante para no innouar, ni alterar en esto cosa alguna: è ansi mesmo se torna a confirmar è reualidar la applicacion del Padre Maestro F. Francisco de Mostoles a la casa de Salamanca, como hasta aqui estaua hecha quando no auia diuision de prouincias

uincias, è despues acatambien. La qual dicha renta procedio de lo que trajo de Indias, y esta aplicada ansimesmo por el Breue de su Sanctidad a la dicha casa de Salamanca, que es è ha sido el seminario principal de los estudios de Theologia de la orden: è en esto ansimesmo se puso perpetuo silencio, como antes estaua puesto.

¶ ITEM, Decretò vnanime è conforme el dicho Capitulo General, que el nombramiento è institucion de Vicario General, del Piru, y nueua España, se remite a nuestro Reuerẽdissimo padre General, el Maestro Fray Frãcisco Zumel, y para en todas las prouincias de las Indias, ansi de las vacantes de agora como las de adelante: è para que les de los poderes con las clausulas è facultades q̃ le parecieren, è cõ las que suelen ser instituydos, que desde luego damos por buenos los nombramientos è nominaciones que por su Paternidad Reuerendissima se hizieren.

LOs Maestros è Presentados que en este Capitulo se confirman de la Corona de Aragon, son los siguientes.

¶ Primeramente se confirman los Maestros que en el Capitulo General de Calatayud se recibieron y confirmaron.

¶ ITEM, Se confirmaron por Presentados del numero los padres, Fray Nicolas Valero, Fray Gaspar Perez, y Fray Bartolome Hernandez, por concurrir en ellos las calidades que la constitucion dispone è hauer sido expuestos en su capitulo Prouincial Año de. 94.

¶ ITEM, Se confirmo por Presentado Fray Ioan Suarez de Godoy Commendador de Bique, en vna de las dos presentaturas del pulpito de la corona de Aragon; el qual fue expuesto por su Capitulo Prouincial, con que tan solamente le valga en la dicha prouincia de Aragon.

¶ A la peticion del Presentado Fray Monserrate Ausias, se le responde que este diffinitorio è capitulo General, le admite y recibe los tres cursos que tiene leydos de Theologia escolastica hasta aqui, è que acabando de leer vn curso q̃ le queda, lo

da,le exponga su capitulo Prouincial futuro,è se guarde lo ordenado en su Capitulo Prouincial conforme a constitucion.

¶ A la peticion del Presentado Fray Miguel Vidal Comendador de Zaragoza, se le responde,que lea sagrada Scriptura o Theologia,è que despues de leyda è probada su lectura acuda a los capitulos Prouinciales de su corona, para que le expongan,è se le da licencia paraque pueda leer.

¶ A la peticion de los Presentados Fray Frances Andreu, y Fray Ioan de Monluna,se les responde que lean lo que les falta para tener los requisitos,y probandolo el Capitulo Prouincial immediate futuro,los exponga.

¶ A la peticion de Fray Ioan Pastor,le admiten las probanças, con que le exponga su capitulo Prouincial, y con esto le admiten guardando las cõdiciones de la constitucion.

LOs Presentados de la Prouincia de Castilla que en este capitulo se confirman,son los siguientes.

¶ Cõfirmase en primero lugar de los de este Capitulo,por Presentado del numero, Fray Isidro de Valcaçar, Cathedratico de Valladolid,è que desde oy en adelante le valga la Lectura que fuere haziendo è leyere en la Vniuersidad pretendiendo,o en la Religion.

¶ Confirmãse por Presentados del numero Fray Ioan Lopez,Maestro de estudiantes del collegio de Alcala,y el padre Fray Lope de Ribas.

LOs Maestros è Presentados de la prõuincia del Andalucia,que se confirman en este Capitulo,son los siguientes.

¶ Confirmose por Maestro del numero,el padre Fray Pedro de Medina,Lector de Theologia en el conuento de Cordoua.

¶ ITEM, se confirman por Maestros del numero,el padre Fray Pedro de Aguilar, è Fray Hieronymo de Orellana.

¶ porque vuo cierta contradiction, se responde, que en lo que

que toca a lo que alega de ser illegitimo el dicho Fray Hieronymo de Orellana, que presento en el dicho Capitulo General, vna probança fecha en el año de setenta y cinco, su fecha de ella en la villa de Caçarabonela, a veinte y ocho de Iulio, ante Gonçalo de Leon Escriuano publico, por donde consta ser hijo legitimo, y attento que esta fue para entrar en la religion, y fue recebido por hijo legitimo, no mostrando la parte cõtraria informacion juridica, le ampara este sancto diffinitorio por hijo legitimo.

¶ ITEM, Dixeron los dichos Capitulo y Padres Diffinidores, que por juramento y declaracion del Padre Maestro Fray Ioã Bernal Prouincial del Andalucia, y de los dos Padres Maestros Ribas, y Heredia, ha leydo el dicho fray Hieronymo de Orellana, alias fray Luys de Orellana, quatro años de Artes, y mas de siete de Theologia: è q̃ atẽto lo susodicho, è q̃ el Capitulo Prouincial, è Diffinidores, y Vocales que en el se hallaron, oyeron y consintieron su exposicion de Maestro, è callaron, è consintieron, è que los mismos son los que aora le contradizen siendo leyda en publico su exposicion dos años ha: Por tanto le confirma aora este Capitulo su Magisterio, y que si otra cosa pueden probar sus contrarios sigan su justicia en el Capitulo Prouincial primero que vendra del Andalucia.

¶ Y en quanto toca al Magisterio del padre fray Pedro de Aguilar, los padres Prouincial del Andalucia, el Maestro fray Ioan Bernal, y los Maestros fray Iuan de Ribas, y fray Luys de Heredia, declararon auer leydo tres años Theologia positiua, vno en Baeza, y dos en Seuilla: y que antes auia leydo otros dos años, que son cinco: Y que el auer entrado en el numero de los Presentados en el Capitulo de Zaragoça en el año de ochẽta y siete, fue de la manera que todos los demas se recibieron, por razon de la diuision de las Prouincias: y porque a el no le pidieron mas condiciones q̃ a los otros: Y atento que el Capitulo Prouincial de Ezija le expuso para

Maestro, y su exposicion fue recebida en Capitulo pleno por los mesmos que aora contradizen, & habet ius quæsitum, se confirma su Magisterio, y les dexan su derecho a saluo, para que acudan a su Capitulo Prouincial.

¶ ITEM, Confirmò el Reuerendissimo General por Presentados del numero, al padre Fray Ioan Andino, y al padre Fray Diego de Sandoual.

LOs Maestros de las Prouincias del Piru que se confirmã en este Capitulo, son. El padre Maestro fray Nicolas de Oualle, Cathedratico de Theologia de la ciudad de Lima, que ha leydo tres años de Artes, y doze de Theologia. Y ansi mesmo se confirma por Maestro del numero, en las Prouincias del Piru, el padre fray Alonso Henriquez, por auer sido expuesto y admitido por la Congregacion de las Prouincias del Piru y su Capitulo.

¶ Diose peticion al Capitulo General, por parte del Collegio q̃ tiene la orden en la Vniuersidad de Alcala, en la qual pide que atento que esta todo arruynado y caydo, y que es vno de los seminarios de la religion muy importante, y q̃ a el cõcurrẽ estudiantes de ambas Prouincias de Castilla è Andalucia, y q̃ esta muy pobre, q̃ el Capitulo General, y la Religiõ le socorran è ayuden, para ayuda de los edificios que tiene, è para que no se arruyne del todo. E vista esta peticion, y la necessidad del dicho Collegio, fue acordado por todo el Capitulo, nemine discrepante, que sea socorrido el dicho Collegio con toda la ayuda que fuere possible de la orden, è para esto pedian y rogauan al Reuerendissimo padre General que de algunos dineros q̃ pudieren ser auidos, o de algunas contribuciones, o vestuarios, o de dineros que viniere̅ de Indias, socorra al dicho Collegio y su necessidad, en la quantidad q̃ pudiere y le pareciere. Y lo mesmo dixeron del Collegio de Salamãca, y que le pedian le socorriesse, è le aplicasse para su acrecentamiento, por ser el el mas importante estudio y seminario de la orden.

¶ ITEM,

¶ ITEM, Declaro este Capitulo que en el votar de la elo ction, ó confirmacion del Maestro General de la orden vote en primero lugar el Prior de Barcelona primero que los Prouinciales, y todos los demas vocales: Pero q̃ quanto al assiento se siente despues de los padres Prouinciales, entre los quales esta su Prelado y superior el Prouincial de la corona de Aragon, y esto mismo se hizo è declaro en el Capitulo General de Calatayud.

¶ ITEM, Se aprobaron la ordenaciones hechas el año de nouenta è quatro en los dos Capitulos Prouinciales de Castilla y Andalucia, respetiuamente para que se guarden en las dichas sus prouincias.

ACabose este Capitulo a hõra y Gloria de Dios todo poderoso y de su bẽdita Madre Sãcta Maria, Patrona nuestra, a seys dias del mes de Iunio en esta ciudad de Valladolid, Año de mil è quinientos è nouenta y seys, y lo firmo nuestro Reuerendissimo Padre General, y los demas Padres Prouinciales, y Diffinidores.

FINIS.

F. Franciscus Cumel, M. Generalis.

F. Ioannes Negron, Magister Prouincialis Castellæ.

F. Michael Perlas, Magister Prouintialis Aragoniæ.

F. Ioannes Bernal, Magister Prouintialis Vandaliæ.

F. Petrus Valaguer, Magister & Diffinitor Aragoniæ.
F. Bernardus Papiol, Magister & Diffinitor Aragoniæ.
F. Christophorus Gonçalez, Magister & Diffinitor Castellæ.
F. Ioannes de Ribas, Magister & Diffinitor Vandaliæ.
F. Ludouicus de Heredia, Magister & Diffinitor Vandaliæ.

De mandato Reuerendissimi P. N Generalis.

F. Petrus de Oña, Magister Diffinitor Castellæ & Secretarius.

CONFIRMATIO

Priuilegiorum, gratiarum, exemptionum, immunitatum & extensionis, ac indultorum Ordinis B. MARIÆ DE MERCEDE, nec non de nouo concessio facta à Sixto P P. V.

***

SIXTVS PAPA. V.

AD futuram rei memoriam. Inter præcipuas nostræ solicitudinis partes illud vnum, semper enixè prouidere curamus, vt regulares personæ non solum iuxta laudabilia earum instituta, ita Deo Saluatori nostro famulentur, vt alijs exemplo esse possint, sed etiam vt taliter munitæ, & suffultæ priuilegijs, & externis adiumentis existant, vt in earum feruore propter temporalia minimè tepescere cogantur, aut aliàs perturbari, & inquietari vllatenus possint. Ad quod eò promptius erga Ordinem Beatę Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in regnis Hispaniarum primitus erectæ faciendum inducimur, quod eiusdem Ordinis professores ita eximio sunt charitatis zelo succensi in proximorum salute, vita, ac libertate procuranda, vt sese in precium, & pignus pro Christi fidelibus à Sarracenorum misera seruitute redimendis, & liberandis tradere, ac mancipare, cum necesse fuerit, non vereantur. Sanè cum pridem nos, ad tollendas nonnullas in hac Religione controuersias certam formam pro Capituli ac Magistri Generalis celebratione, ac electione facienda ordinauerimus, & statuerimus: ac, sicut pro parte dilectorum filiorum Franciſci de

ciſci de Salazar Generalis Magiſtri, ac Franciſci de Torres Procuratoris dicti Ordidis, ac Vicarij Generalis nobis expoſitū fuit, pro eiuſdē Ordinis directione, & propagatione, iuxta temporū qualitatē, & exigētiam nouæ quædam reformationes, & decreta tam de loco Capituli Generalis, quam de vocalium electorū, & Diffinitorum auctoritate, ac aliorum dicti Ordinis Superiorum auctoritate, & aliorum dicti Ordinis Superiorum officio, iuxta fœlic. rec. Pij. V. & Gregorij. XIII. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtras litteras præfatas, facta, & ſancita fuerunt: Ac inſuper à diuerſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris eidem Ordini plura priuilegia, & gratiæ tam ſpirituales, quàm temporales conceſſa, confirmata, ac innouata fuerūt, nobis humiliter ſupplicatum fuit, vt præmiſſa omnia confirmare, ac eis robur adijcere, ac aliàs in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos honeſtis, ac pijs ſupplicationibus huiuſmodi inclinati, ac eoſdē Generalem, Procuratorem, Prouinciales, Superiores, & fratres, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie, abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon decretorum prædictorum reformationum, indultorum, priuilegiorum, gratiarum, literarum etiam ſingularum tenores pro ſufficienter expreſsis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, conſtitutiones, ordinationes, reformationes, prouiſiones, ac decreta, electionē, auctoritatem, poteſtatem, officium Magiſtri Generalis, Electorum, Diffinitorum, Vocalium, Priorum, Fratrum, ac aliorum ſub dicta regula, & inſtitutis degentium directionem, gubernationem, curam, & adminiſtrationem, viſitationem, correctionem, quomodolibet in genere, vel in ſpecie, concernentia, quatenus licita, & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, ac ad formam Tridentinę Synodi ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, approbamus, confirmamus ac ab omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis, & aliarum pœnarum, pro arbitrio Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis, incurſu obſeruari, ac inuiolabiliter cuſtodiri mādamus, ſupplentes omnes, & ſingulos tam iuris, quam facti, ac ſolemnitatum quaruncumq; quomodolibet omiſſarum

defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem: Necnó omnia & singula priuilegia, immunitates exemptiones, libertates, prærogatiuas, antelationes, fauores, præheminẽtias, indulta, licentias, stationes, declamationes, facultates, concessiones, indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, & relaxationes, aliasq; gratias spirituales, & temporales ordini præfato, ac singulis illius monasterijs, Prioratibus, ac alijs regularibus locis, eorumq; Generali, Prioribus, Diffinitoribus, Visitatoribus, Superioribus, fratribus, ac alijs Religiosis per quoscunq; prædecessores nostros, Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam, tàm in genere, quàm in specie, etiam per modum communicationis, extensionis, & ampliationis, ac aliàs quomodolibet concessas, ac confirmatas, & approbatas, etiam si talia forent, quæ specialem requirerent mentionem, quatenus sint in vsu, & ad formam dictæ Synodi Tridentinæ, & quoad priuilegia modò nulli præiudicium inferant, approbamus, & confirmamus, ac etiam de nouo concedimus. Ac illis omnibus, & singulis, vti, frui, & gaudere, sicut ea omnia iustè, & pacificè possident, liberè, ac licitè posse, & debere decernimus, ac indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon ordinis huius modi iuramento, confirmatione Apostolica, aut quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs, quoq; indultis, & literis Apostolicis, quomodolibet in contrarium facientibus, cæterisq; contrarijs quibuscunq; Volumus autem, vt præsentium trasumptis, manu Magistri Generalis, seu alicuius superioris dicti ordinis, & alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo eiusdem Ordinis designatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datus Romæ apud sanctum Petrum sub annullo Piscatoris, die xxvj. Aprilis, M. D. LXXXIX. Pontificatus nostri Anno quarto.

M. Vestrius
Barbianus.

Circa receptionem nouitiorum animaduersiones.

DEspues de la Constitucion riguroſa de Sixto. V. viẽdo y entendiendo el miſmo Pontifice el rigor q̃ traya cõtra los mayores de. 16. años,

porque

porq̃ no se acabasse y enfriasse el spiritu y fervor de los q̃ pretendian ser Religiosos, esperãdo tanto viẽpo, modificò y tẽplò en su declaracion el rigor q̃ antes auia puesto, diziendo: q̃ basta para recebir los mayores de diez y seys años queen qualquier prouincia estẽ deputados dos monasterios, cuyos perlados y superiores se junten para hazer la inquisicion y diligencias que son necessarias al tiempo que se ha de recibir el nouicio.

Forma y preguntas para recebir el habito los mayores de 16. años.

¶ La informaciõ que se ha de hazer ha de ser fidedigna, de suerte que haga fe en juyzio. ¶ Lo primero, de sus padres y patria, de su vida y costumbres. ¶ Lo segundo que no son homicidas, ni ladrones, ni han cometido otros semejantes dolictos, mayores o menores, ni estan infamados dellos. ¶ Lo tercero, que no tienẽ deudas grandes, ni estã obligados a dar quenta de haziendas agenas. ¶ Y hallando al que pide el habito libre de lo susodicho se le puede dar el habito: y no se haziendo inquisicion desto y probança, la profession es nulla, como lo determinaron Sixto. V. y Gregorio. XIIII. ¶ Y declara se que los menores de diez y seys años, siendo legitimos, no tienen necessidad de las dichas probanças, sino que puedẽ ser recebidos como antiguamẽte se solia hazer sin estas probanças: porque el Papa solamente habla de los mayores de diez y seys años, y lo demas se queda in forma iuris communis.

Circa illegitimos, quid vlterius seruandum sit aduertendum.

RVrsus Gregorius. XIIII. Anno primo Pontificatus sui, moderauit Constitutionem contra illegitimos. Dicens eos, qui quouis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum & professionem regulares admitti posse quemadmodum admitti poterant si supradictæ Constitutiones editæ non fuissent. Ita tamen vt cum de recipiendis illegitimè natis ad habitum, & professionem agetur: ij ad quos huiusmodi receptio expectat, præter ea quæ requiruntur circa legitimos vlterius diligenter vita & mores eorum inquirantur, sic vt bonam indolem, & virtutis speciem præ se ferant, & tot eis merita suffragentur vt natalium suppleant defectum, & receptio eorum religionis commodò & vtilitati profutura videatur, & ita censeatur & iudicetur abillis ad quos pertinet huiusmodi receptio.

De todo esto se ha de hazer informacion para los illegitimos, y mas de las otras preguntas de los legitimos arriba dichas

¶ Reualidauit præterea Gregorius. XIIII. indulta et priuilegia Apostolica religionibus concessa, circa dispẽsationes cum illegitimis, ita vt ij quos Generalis, aut Prouincialis cum Generali Prouinciali, seu interueniente Capitulo, & non aliàs suffragantibus meritis dignos iudicauerint,

uerint ad honores gradus & dignitates obtinendas, cum eis dispensare, & dispensationes vt antea valere, ac si Constitutiones Sixti. V. non emanassent, seruata tamen prædicta forma.

C Lemente. *VIII.* concedio a la orden de sant Francisco que quatro diffinidores, o el perlado y quatro viejos diputados, puedan examinar las preguntas de Sixto en las casas donde los nouicios pidẽ el habito; y segun algunos desta concession solo gozan los padres de sancto Domingo y los de sant Agustin: Pero a mi me parece q̃ tãbien nosotros gozamos por la bula de Leõ. X. de Concessis, q̃ fue despues de la de Cõcessis & cõcedendis de sant Frãcisco y sancto Domingo, y ansi gozamos de las mismas clausulas, y Sixto. V. aora el año de ochenta y nueue, nos confirmo y de nueuo concedio todo lo q̃ antes teniamos aunque fuesse por via de extension.

¶ La informacion del que viene a tomar el habito ha de hazerse con juramento y testigos, y ante notario in scriptis: y alguna vez se podria hazer summaria con tres testigos, si ay peligro claro para la recepcion del habito: con q̃ despues de recebido se haga plenaria informaciõ, antes de la professiõ alias professio erit nulla & irrita, y la plenaria ha de ser con mayor numero de testigos, &c.

¶ *In actibus professionis eius qui profitetur, nomen & cognomen, quibus ipse vtebatur in sæculo & patria etiam describantur & notentur.*

Fratrer Franciscus Zumel Pintianus totius ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede, humilis Magister Generalis, ac seruus omnibus & singulis dicti ordinis fratribus & professoribus, salutem & obedientiæ spiritum precatur.

P *Erfecerã olim fratres mei dilectissimi volumen Constitutionũ, initiũ fundationis nostri ordinis; & ferè singulis Capitibus scholia subiecerã: deinde instructionẽ officiorum familiæ nostræ simul cum breui historia Magistrorum Generaliũ addidi. Nunc vero leges sanctiones & decreta quæ à duobus Capitulis Generalibus â me celebratis, edita & instituta fuere vobis offero, simulq; Gregorij. XIII. Sixti. V. Clemẽtis. VIII. diplomata, motus proprios, ac confirmationem priuilegiorum, gratiarum & immunitatum etiam per modum communicationis & extensionis. Precor Deum benedictum, vt tam ea omniaque in constitutionibus Salmanticæ edidimus quam eaq; nunc nouæ reformationis decreta pro bono religionis sancita fuerunt, vsu & operæ impleatis ad incrementum ordinis & Gloriam Dei omnipotentis.*

F. Franciscus Cumel, M. Generalis.